BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — L
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48.2.15.
48
F
15

Digitized by Google

Digitized by Google

IN TERTIAM PARTEM

DIVI THOMÆ

AQVINATIS

COMMENTARIA

IOANNIS WIGGERS

DIESTENSIS


S. Theol. Doctoris ac Profeſſoris Regij

IN SCHOLIS PVBLICIS

ACADEMIÆ LOVANIENSIS.

A Quæſtione I. vſque ad Quæſtionem XXVI.

DE VERBO INCARNATO.



LOVANII,

Apud IOANNEM OLIVERIVM,

& CORNELIVM COENESTENIVM,

M. DC. XXXI.

B. 5

Digitized by Google

CENSVRA.

QVæ Ex. D. M. N. IOANNES WIGGERS in Tertiam D. Thomæ Partem, de Incarnatione commentatus eſt, ſolidam eruditionem fideique conſonam doctrinam & conſuetam auctori cum methodo lucem exprimunt: vt typis exprimi mereantur. Act. Louanij 21. Iun. 1631.

MART. LVNÆCENIVS S. Theol. Lic. & Prof. Ordin. Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. *Dei gratiâ totius Hiſpaniæ, vtriuſque Siciliæ, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Sereniſſimus Belgarum Princeps, &c. diplomate ſuo ſanxit, Ne quis* IOANNIS WIGGERS Dieſtenſis S. Th. Doctoris ac Profeſſoris Regij in Scholis publicis Academiæ Louanienſis Commentaria in Tertiam Partem D. Thomæ Aquinatis, *præter Ioan. Oliuerij Bibliopolæ Louanienſis voluntatem, vel vllo modo in Belgio intra nouennium imprimat, vel alibi terrarum impreſſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve exponat. Qui ſecùs faxit, & confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* 2. *Maij, Anno* 1631.

Signat.

Steenhuyſe.

ERRATA *vide correcta in fine operis poſt Indicem.*

CHRISTO

VERBO DEI INCARNATO

D. MARIÆ

MATRI EIVS SEMPER VIRGINI

D. IOANNI

DISCIPVLO PRÆ CÆTERIS DILECTO

SACRAMENTI HVIVS A SÆCVLIS ABSCONDITI

TESTI VERACI ET OCVLATO

PATRONO SVO

SACRATA

Digitized by Google

IOANNIS WIGGERS, DIESTENSIS,

S. Theologiæ Doctoris, ac Profeſſoris Regij IN SCHOLIS PVBLICIS ACADEMIÆ LOVANIENSIS

COMMENTARIA

In XXVI. Quæſtiones Primas

TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ AQVINATIS.

PRÆFATIO

Continens eorum quæ tertiâ Parte Summæ S. Thomæ pertractantur, enarrationem, & ordinis ſimul rationem huius partis ad præcedentes.

V*BI venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*: Ita Apoſtolus Paulus ad Galatas cap. 4. vbi breuiter nobis ob oculos ponit tria hæc, ſcilicet magnum illud Verbi incarnati myſterium, generis noſtri Redemptionem, ac denique completam & perfectam noſtram in Dei filios adoptionem: in quibus verſatur totum argumentum Tertiæ huius partis Summæ Theologicæ: Primo namque loco D. Thomas agit de Verbo vt Caro factum eſt; ſiue de filio Dei ſecundum quod ex muliere factus eſt homo: Secundò tractat de Medijs & Inſtrumentis, de Sacroſanctis ſcilicet Sacramentis á Chriſto inſtitutis, quibus illi qui lege mortis tenentur, ſoluuntur ac liberantur, pretio Sanguinis Chriſti interueniente. Poſtremò autem agit de Corporum reſurrectione, & totius hominis vitâ beatâ, quibus perficitur filiorum Dei adoptio, cuius plenitudinem primitias Spiritus habentes ingemiſcendo expectamus corporis, ſcilicet noſtri, redemptionem & immortalitatem, vt Apoſtolus ad Rom. cap. 8. ſignificat.

De admirabili itaq; illâ vnione & nexu Verbi diuini cum naturâ humanâ, & de proprietatibus inde conſequentibus diſputat à primâ Quæſt. vſque ad Quæſt. vigeſimam ſeptimam: ab hâc autem Quæſt: vſque ad quadrageſimam proponit, & explicat ea quæ ſpectant ad aduentum & ingreſſum Chriſti Saluatoris in hunc mundum. Exinde vſque ad quæſt. quadrageſimam ſextam proſequitur multa quæ con-

cernunt progreſſum vitæ eius in hoc mundo: ab illâ autem vſque ad quæſt. ſexageſimam tractat de exitu & morte Saluatoris noſtri, & de exaltatione eius, quæ deinceps fuit ſubſecuta: & ſic abſoluitur ibi prima huius Partis diſputatio de myſterio Verbi Incarnati. Deinde ſequitur ſecunda Diſputatio principalior, ſcilicet de Sacroſanctis Sacramentis, quibus redemptionis Chriſti efficimur participes: & extendit ſe vſque ad quæſt. ſexageſimam nonam Supplementi: D. Thomas enim ſalutari morte præuentus tertiam Partem hanc non abſoluit, ſed tantum vſque ad quæſtionem de partibus Sacramenti Pœnitentię in particulari ipſe perduxit: quare ex Commentarijs eius in 4. lib. Magiſtri Sententiarum, fideli doctorum virorum operà, quæ deerant, fuerunt ſuppleta: quemadmodum & illa quæ ad tertiam Diſputationem principaliorem pertinebant; vnde hæc pertractantur à quæſt. ſexageſima nona Supplementi vſque ad finem, vbi agitur de Corporum reſurrectione, & de ijs quæ obueniunt hominibus poſt hanc vitam, tum bonis, tum malis.

Connexionem autem huius tertię Partis cum præcedentibus, & ordinis rationem ita ferè D. Thomas hic in procemio exponit: In illis diſputatum fuit de primo rerum principio, & de fine vltimo hominis primitùs & per ſe ex bonâ Dei voluntate, ipſi præſtituto: Itē de virtutibus & vitijs, quibus ad finem illum acceditur, aut ab eo receditur: Nunc verò, quia per primorum parentum inobedientiam, & diuini mandati tranſgreſſionem, genus humanum totaliter erat ab illo fine, & ſpe omni ad eum perueniendi ſecluſum, niſi mediator aliquis Dei & hominum, homo Chriſtus Iesvs, admirando Dei conſilio, ne homo verſutiâ Diaboli actus in culpam, contra Dei propoſitum periret, vt loquitur S. Leo, interueniſſet, hinc conuenienter & meritò prioribus iſtis explicatis, agitur deniq; de magno hoc pietatis Sacramento Verbi incarnati, *quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu; apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumtum eſt in gloria*: vt loquitur Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 3. Et de quo ſcribit D. Ioan. c. 1. ſui Euang: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Ipſe enim *factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*: vt docet Apoſtolus 1. ad Cor. c. 1. Ideoque & congruè adiungitur tractatus de Sacramentis, per quæ nobis bona iſta cōmunicantur: ac ſimul de cōpletiſſimo & finali effectu totius œconomiæ, ac operum Chriſti Saluatoris.

Ex dictis ſatis eſt intelligere, quodnam ſit huius doctrinæ Obiectum: principale enim eſt Verbum Dei vt incarnatum pro redemptione & ſalute hominum, qui alioquin à fine ſuo & beatitudine erant excluſi: Secundaria verò ſunt nouæ legis Sacramenta, & futura in nouiſſimo die glorioſa Corporum cum dotibus ſuis reſurrectio, & cum animâ beatâ reunitio. Vnde & æſtimare eſt, quanta ſit eius dignitas ac excellentia: & quanta in aſſidua illius meditatione reperiatur ſuauitas & delectatio. Sanè Apoſtolus per Epiſtolas paſſim mirabiliter extollit, oſtenditque nihil ſublimiùs, nihil homini appetibilius cognitione & contemplatione huius Myſterij poſſe dari. 1. ad Corinth. c. 2. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Iesvm Chriſtum & hunc crucifixum*, & infra, *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit*: & ad Epheſ. c. 3. *Quoniam ſecundum reuelationem, notum mihi factum eſt Sacramentum*, &c. *quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius* &c. Imò tam ſublime vt non tantùm non filijs hominum fuerit abſconditum, ſed vt nec Angelicæ mentes illud valuerint penetrare: vt alia eiuſdē Apoſtoli verba loco mox cit. indicant: *mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat Principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapiētia Dei ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto* Iesv *Domino noſtro.* Huius ſuauitate ita raptus fuit, vt omnis cogitatio cordis eius in eam fuerit ſemper intenta, & nihil maius, aut fœlicius ſe poſſe fidelibus apprecari exiſtimaret, quàm huius altiſſimi & abſconditi Sacramenti agnitionem, & aſſiduam meditationem, quod nobis ingerunt hi ſuauiſſimi & Chriſti amore pleni eius ſermones: ad Galat. c. 2. *Chriſto confixus ſum cruci: Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus*: & c. 6. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri* Iesv *Chriſti*, ad Philipp. c. 1. *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* & cap. 3. *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſciētiam* Iesv *Chriſti Domini mei.* ad Epheſ. cap. 1. *Non ceſſo gratias agens pro vobis* (inquit) *memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus, Domini noſtri* Iesv *Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapien*[illegible] *& reuelationis, in agnitionem eius; illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, &*

quæ

Digitized by Google

qua diuitia, gloria hæreditatu eius in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, &c. Fidelis itaque & omni acceptione dignus eſt hic ſermo de Chriſto Iesv nobis nato Saluatore, ac Redemptore generis noſtri: neq; enim aliud nomẽ eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri: & de medijs, quibus tantam placuit Salutem in nobis operari, ac de fœlici & completa perfectione eiuſdem; quomodo ſcilicet corruptibile hoc corpus induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, quando terreſtri Domo noſtrâ diſſolutâ, ædificationem ex Deo accipiemus Domum æternam in cœlis, vbi bonis illis dabitur nobis frui, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aliquando deſcenderunt.

QVÆSTIO PRIMA.

De Conuenientiâ Incarnationis

In ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari?

De Nomine Incarnationis.

1 OBSERVANDVM Primò, Nomen Incarnationis communi vſu accõdatum eſſe ad ſignificandam admirabilẽ illam duarum naturarum, diuinæ & humanæ in Perſona, Verbi vnionem. Ita inter veteres loquuntur Cyp. lib. 2. contra Iudæos. Lactantius Diuin. Inſtit. lib. 4. cap. 11. Hier. in cap. 1. Marci. Amb. lib. De Incarnationis Dominicæ Sacramento. Aug. lib. 9. De Ciuit. c. 19. Leo ſerm. 2. De Natiuit: & ita Scholaſtici omnes hoc nomine vtuntur, idq; meritò: imprimis quia Scriptura ſacra ſermone planè huic termino affini myſterium hoc exprimit & proponit Ioan. cap. 1. *Et verbum caro factum eſt.* Quod quid aliud eſt, quàm Verbum incarnatum eſt? Secundò, quia Scriptura ſacra quando de hoc myſterio etiam alibi agit, ſolet libenter carnis meminiſſe, tum quia caro eſt inferior & vilior pars hominis, quam dum inculcat Verbo vnitam, non tantum innuit à fortiori animam quoq; aſſumptã, ſed magis etiam commendat diuinam pietatem & miſericordiam circa hominem: vnde Apoſtolus 1. ad Tim. c. 3. vocat, Magnum pietatis Sacramentum quod eſt in carne manifeſtatum; tum quoque, quia eo nomine indicatur Deum non tantùm naturam noſtram, ſed etiam naturæ paſſibilitatem, & alias infirmitates abſque peccato aſſumpſiſſe: quæ in carne magis ſolent apparere, & nomine carnis aliquando ſignificari. Abſque fundamento autem trepidarunt nonnulli vocabulo Incarnationis in hac materia vti, ne Verbum carnem ſolam ſine anima ſibi vniuiſſe cum Apollinari ſentire videretur: inter quos fuit Auctor ſermonis de Deipara inter Athanaſij opera relati: cuius tamen Athanaſius auctor non fuit, vt docet Baronius Tom. 1. Annal. anno Chriſti 48. Dico trepidarũt ſine fundamento, quia Scripturæ familiare eſt, non tantũ in hoc myſterio, ſed & in alijs materijs vti nomine carnis pro toto homine, ſiue pro naturâ hominis, vt legenti conſtat.

Obſeruandum Secundò, & alia nomina eſſe quibus hoc Myſterium inuenitur apud antiquos expreſſum: à Concilio Epheſino in epiſtola ad Neſtorium, & à Damaſo lib. 3. De Fide cap. 6. vocatur Inhumanatio: ab Hilario autem in præfatione in Pſal. appellatur Corporatio & Incorporatio. Eodem modo illud compellat Tertull. De Incarnatione Chriſti circa initium: à Græcis Patribus ſæpius ſolet deſignari nomine Oeconomiæ, ſed vocabulum hoc ſignificat potius ipſam Dei extraordinariam diſpenſationem, quâ conſtituit Verbum carnem aſſumere, quàm ipſam humanæ naturæ aſſumptionem. 2

Quare vocabulum Incarnationis tum ob rationes dictas, tum quia frequentiori vſu Sapientum receptum eſt, præ alijs omnibus videtur probandum & vſurpandum. 3

Cur non primùm Diſputauerit D. Thomas de Poſſibilitate Incarnationis?

4 OBſeruandū tertiò, Hîc paſſim interpretes D.Tho. mouere quæſtionem, Cur non prius diſputauerit de Incarnationis poſſibilitate, quàm de eius conuenientia. Omiſſis opinionibus breuiter dicendum mihi videtur, rationem quæ D.Thomam mouerit fuiſſe, tum quod ratione naturali Myſterij huius poſſibilitas demonſtrari non poſſit: tum quod argumenta quæ videntur oſtendere eius impoſſibilitatem, nequeant ſatis intelligibiliter diſſolui, neque ſatis declarari non conuincere, quamdiu non fuerit particulariùs & latiùs explicata eius ratio, & huius vnionis modus. Idcirco itaque D. Tho. exiſtimauit ad breuitatem, & faciliorem intelligentiam facere, quod in progreſſu huius doctrinæ, argumenta quæ ei aduerſantur, hic & illic ſparſim prout ex hoc vel illo capite oriuntur, proponat & diſſoluat, ſiue non conuincere oſtendat: quam proinde formam etiam nos imitabimur. Vide alias rationes huius prætermiſſionis apud Caiet. hoc loco: & apud Vaſq. ibid. Dub. 1. circa textū quæ tamen parùm videntur probabiles.

5 Solet hic præmitti & alia diſputatio de aduentu Chriſti: Vtrū qui Iudæis promiſſus eſt olim Meſſias in Lege & Prophetis, de facto aduenerit? negant illi: ſed omnes qui Chriſtianum nomen profitentur, id certiſſimâ fide tenent: imò potior Chriſtianæ religionis portio eſt huius Meſſiæ veri Dei & veri hominis agnitio, & profeſſio tanquā qui venerit, & genus humanū à peccati ſeruitute, & Diaboli tyrānide, & æternâ morte liberauerit: in quo teſtādo totum nouum teſtamētum occupatur.

6 Sed quia à Iudæis huius Scripturæ auctoritas non admittitur, probant Chriſtiani DD. hanc religionem ſuam contra eos etiam ex veteri Lege & Prophetis, idque ex tribus potiſſimum locis, quæ præ cæteris euidentiùs conuincunt.

Primum teſtimonium ex antiquo Teſtamento pro aduentu Meſſiæ.

PRimum itaque teſtimonium ſumitur ex c. 49. Geneſ. vbi Iacob benedicendo ſic alloquitur Iudam filium ſuum: *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

7 Quibus verbis primò indicat Patriarcha aliquando in tribu Iudæ futurum Sceptrum & Ducem: vnde & tribus illa inter omnes mox à principio magnam obtinuit dignitatem & auctoritatem, vt ex Scripturæ ſacræ hiſtorijs eſt colligere: Numer. cap. 2. v. 3. cap. 7. v. 12. & cap. 12. v. 13. vbi primæ partes aſſignantur tribui Iudæ, Iudic. cap. 1. v. 2. ſuprema poteſtas poſt mortem Ioſue, diuino iuſſu ad hanc tribum delata eſt: & quando tribuum genealogiæ referuntur, ſolet primo loco referri poſteritas Iudæ, vt lib. 1. Paralip. cap. 2. & alibi frequentiùs.

8 Incepit autem hæc tribus propriè obtinere Sceptrum in Dauide, & tenuit illud in proprietate vſque ad Babylonicam captiuitatem: poſtmodum autem exorti ſunt Duces qui iuxta Prophetiam Iacob, non debebant deficere, donec veniret qui mittendus erat, id eſt Meſſias; prout omnes Chriſtiani, & ante Chriſti aduentum antiquiores Rabini ſemper intellexerunt, teſte Galatino lib 4. cap. 4. Et Chaldaica Paraphraſis, quæ apud Iudæos magnæ eſt authoritatis, expreſſè poſuit: Donec veniat Meſſias: atqui in confeſſo eſt, ante complura iam ſæcula non tantùm Sceptrum ſiue regiam poteſtatem, ſed etiam Duces, & Principes de Iuda omninò defeciſſe: tempore enim Chriſti regnum obtinebat Herodes Aſcalonita: in quem per vim tranſtulerant Romani regnum ſiue Principatum Iudæorum excluſis Hircano, & Antigono Ariſtobuli filio, prognatis ex Aſſamonæis ſiue Machabæis. Et in paſſione Domini profitebantur ipſi Iudæi ſe alium Regem non habere niſi Cæſarem. Ante tempora verò dicti Herodis, nunquam in regem vel in Ducem gentis Iudaicæ ſuffectus fuerat aliquis alienigena: ergo planè dicendum eſt Meſſiam qui mittendus fuerat, iam diu adueniſſe.

9 Multùm ſe hîc torquent Iudæi, vt ad hanc Prophetiam reſpondeant: ſed inaniter, vt licet videre latiùs apud Pererium circa Benedictiones Iacob: & ibidem apud Corn. à Lapide, & alios Commentatores.

10 Vna hîc contra Chriſtanos poteſt fieri obiectio: quod videlicet longo tempore ante Chriſtum videantur Sceptrum, & Dux de Iuda defeciſſe: vnde hoc conſequens ſaltem foret, quod ex hac Prophetia non poſſit ſtatui Chriſtum noſtrum fuiſſe Meſſiam ibi promiſſum. Declaratur aſſumptum breuiter, quia multis annis ante Chriſti aduentum obtinuerunt inter Iudæos Principatum Aſſamonæi, qui fuerunt non ex tribu Iudę, ſed ex tribu Leui de genere ſacerdotali. Diuerſas ſolutiones huius difficultatis commemorant Canus li. 2. de locis Theol. c. 11. Pererius loco cit. & alij.

11 Breuiter autem ac ſolidiùs reſponderi poteſt, negando ante Chriſti tempora defeciſſe Sceptrum, & Ducem de Iuda. Ad probationem verò dicendum eſt, Aſſamonæos ſiue Machabæos fuiſſe quidem de genere Leui ſecundum lineam paternam, quamuis aliqui contrarium ſenſerint, ſed

ſiue

ſine fundamento: conſtat enim ex Scriptura 1. Machab. cap. 2. eos fuiſſe de genere ſacerdotali. D. Paulus verò ad Heb. 7. apertè dicit neminẽ de tribu Iuda (qui videlicet de illa eſſet ſecundum originem paternam) præſto fuiſſe altari.

12 Veruntamen non idcirco admittendum eſt, iam tum defeciſſe Ducem de Iuda: primò, quia ſola penè tribus Iudæ cum paucis ex Beniamin & ex alijs tribubus ex captiuitate redierat: vnde factũ quod tribus Iudæ, tanquã numero longè maiori & in proprijs ſedibus Regni ſui reſidens, eſſet potior: imò apud illã eſſet gubernandi poteſtas, & Regum vel Ducũ electio, ita vt ab illâ tota gens Iſraëlitica nomen acciperet: quod in primis poteſt videri ſatis eſſe vt Sceptrũ & Dux non dicantur defeciſſe de Iuda, licet tribus hęc pro auctoritate quam ad cõſtituẽdos ſibi Duces habebat, elegiſſet Ducem ex alia tribu: quemadmodum Romani dicuntur imperaſſe toti orbi, licet multi exteri fuerint Imperatores: & ſimili modo non dicitur Sceptrum à Polonis deficere, quamuis pro Regia & plenitudine poteſtatis quam habent ad Regem ſibi conſtituendum, aliquando exterum ab ipſis dependentem aſſumant.

13 Quod ſi aliquibus id minus videatur forſitan ſufficere, quia Scriptura dicit non defecturum Ducem de femore Iudæ, quo innuitur non tantùm poteſtatem conſtituendi Duces apud tribum Iudę futuram, ſed & Duces ipſos fore ſemper ex progenie Iudæ vſque ad Meſſiæ tempora, addo ſecundò etiam dictos Duces, qui principatum obtinuerunt poſt captiuitatem, proceſſiſſe ex tribu Iudæ ſaltem ſecundum lineam maternam; de quo, vt ſcribit Baronius circa initium primi Tomi Annalium, nulla eſt dubitatio, etiam Rabinis idipſum teſtantibus.

14 Idem ex noſtris docent Epiphanius hæreſ. 29. vbi occaſione præſentis difficultatis, explicat coniunctionem tribus Regiæ & tribus Sacerdotalis, quomodo hæ duæ ob certas cauſſas ſolerent fœdere nuptiarum coniungi. D. Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ: & Cyr. lib. 8. contra Iulianum.

15 Quod ſi verò huiuſmodi ex Iuda generationis ratio ſuffecerit, vt Scriptura ipſa attribueret eis ſpecialiter Iudæ nomenclaturam, quando dicit], *viri Iuda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſraël*, Machab. lib. 1. cur non etiam ſufficiet, vt dicatur non defeciſſe Dux de femore Iudæ, quamdiu viri ſic ex Iuda deſcẽdẽtes Principatum ex Iudæorum voto obtinuerunt.

Secundum teſtimonium ex antiquo Teſtamento pro aduentu Meſſia.

ALterũ teſtimoniũ deſumitur ex 9. c. 16
Danielis, vbi Angelus Gabriel in anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum ita locutus eſt Danieli pro populi liberatione oranti: *Daniel tu animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta Hebdomades abbreuiata ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte: Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum Ducem, Hebdomades ſeptem, & Hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtiâ temporum. Et poſt Hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: Et Ciuitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.*

Orabat Daniel cum intelligeret tem- 17
pus deſolationis Hieruſalem & captiuitatis in qua erat, ſeptuaginta videlicet annos iuxta Ieremiæ vaticinium, compleri, quatenus iuxta pollicitationẽ ſuam Dominus vrbem ſanctam Ieruſalẽ, & Sanctuariũ ſuum reſtauraret: Gabriele autẽ internuntio cognouit non ſolùm id Deum facturũ, ſed & per nouũ vaticiniũ didicit tempus, quo Meſſias dudũ expectatus, eſſet venturus ad redimendũ populũ ſuũ. Quod enim de Chriſto Meſſia ſermo ſit, inde manifeſtũ euadit, quia bona quæ hic promittuntur per hunc Sanctum Sanctorum præſtanda, vt quod conſummabitur præuaricatio, & finem accipiet peccatum: quod delebitur iniquitas, & adducetur iuſtitia ſempiterna, ſuperant virtutem cuiuſque alterius, qui ſimul Deus non ſit. Deinde apud omnes certiſſimum eſt, quod viſio & prophetia principaliter omnis tendebat in Meſſiam venturum: quandoquidem igitur illa hic dicantur implenda poſt tempus illud, & vngendus Sanctus Sanctorum, nullum relinquitur dubium, quin Angelus de vero Meſſia mundi Saluatore, eiuſq; aduẽtu loquatur, & de illo hîc inſtruat Danielẽ virũ deſideriorũ. Tertiò, quamuis in Scriptura multi nominentur Sancti, nullus tamẽ homo purus, Sanctus Sanctorũ dictus eſt, vt rectè notauit Euſebius lib. 8. de Demonſt. c. 2. Chriſtus verò noſter cum per ſe Sanctus ſit, ſanctificatus ipsâ ſubſtantiâ & eſſentiâ Sanctitatis, vtpote in quo cõplacuit omnem diuinitatẽ habitare corporaliter:

cumque ſit principium totius ſanctificationis creaturæ omnis, meritò Sanctus Sãctorum dicitur, vt illa reduplicatio nobis inſinuet ſupremam & excellentiſſimam dignitatem ſanctitatis: ſicuti quando dicitur Rex Regum & Dominus Dominantium, indicatur abſolutiſſima & ſuprema Dominij poteſtas.

18 Accedit quod & alia Scripturæ loca conformiter teſtantur Meſſiam enumerata illa bona mundo allaturum; in ipſo viſionem omnem & prophetiam adimplendam, vtpote cui Moyſes teſtimonium perhibuit, & de quo Prophetæ ſcripſerunt. Vnde communiter interpretes omnes hæc verba de Meſſia intelligunt: quamuis poſteriores Hebræi pro ſua pertinacia conentur ea ad alium detorquere. Tempus autem intra quod prænuntiatur Chriſtus venturus, & dicitur occidendus, ſunt ſeptuaginta Hebdomades abbreuiatæ, id eſt tempus eouſque abbreuiatum vt ſupereſſent tantùm ſeptuaginta hebdomades, earum ſcilicet computum inchoando ab exitu Sermonis vt iterum ædificetur Hieruſalem: quemadmodum ipſe Angelus in allegatis verbis explicat; atqui ſeptuaginta iſtæ hebdomades iam à multis ſeculis effluxerunt, ergo iam dudum Meſſias venit. Vt de ſubſumpto clariùs conſtet.

19 Obſeruandum eſt primò, Hebdomadem ſignificare ſeptenarium qualemcumque: iuxta adiuncta autem ſumi vel pro ſeptenario dierum, vel annorum, vel aliarum rerum: hoc autem loco ſumi pro ſeptenario determinati temporis, circumſtantiæ textus ſatis ſignificant & requirunt: & quidem quod pro ſeptenario annorum, ita ſatis oſtenditur: quia nullo modo poteſt ſumi pro ſeptenario dierum, prout nos communiter iſto nomine vtimur: Nam tempus ſeptuaginta Hebdomadum (accipiẽdo Hebdomadem pro ſeptem tãtùm diebus) breuius eſt, quàm vt eo potuerint peragi quæ Angelus dicit illo tempore futura, etiamſi quoque ponatur ab exitu ſermonis mox veniſſe, & vnctum fuiſſe Sanctum Sanctorum, de quo loquitur: nec enim poterat vno anno cum medio, plus minus, Chriſtus Dominus concipi, naſci, tollere præuaricationem, adducere iuſtitiam ſempiternam, confirmare pactum, & teſtamentum ſuum, & occidi. Abſque ratione quoque fingetur nomen Hebdomadis ſumi pro ſeptenario decem annorum, vt ſignificaret ſepties decem annos; multoque abſurdius pro ſeptenario centum annorum: primò propter nimiam eiuſmodi Hebdomadum protenſionem & temporis longitudinem, potiſſimùm cum hic dicantur abbreuiatæ: non ſolemus autem dicere, tempus huius vel illius rei abbreuiari, niſi iam maior temporis pars quo expectatur rei aduentus, effluxerit. Secundò quia Scriptura alibi nuſquam de alijs Hebdomadibus, quàm vel ſimplicium annorum vt Leuitic. cap. 25. aut dierum, vt Leuitic. cap. 23. loquitur. Dicendum igitur eſt, Angelum hic loqui de ſeptuaginta Hebdomadibus annorum, quæ faciunt annos quadringentos nonaginta: quos iam iteratò aliquoties ab exitu ſermonis de ædificanda iterum ciuitate Ieruſalem, euolutos eſſe omnibus eſt euidens.

Obſeruandum eſt ſecundò, inter Interpretes cùm antiquiores, tùm recentiores non ſatis per omnia conuenire: Inprimis de anno, quo præcisè computus dictarum Hebdomadum ſit inchoandus: conſtat quidem ex verbis Angeli inchoandum eſſe ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem: Ex communi quoque ſententia certum eſt per ſermonem ibi intelligi edictum quo danda erat facultas Iudæis in patriam redeundi & Hieruſalem reſtaurandi. 20

In eo autem variant Authores, ſub quo Rege Babyloniæ, & quando Edictum illud emanarit: ſub diuerſis enim Regibus leguntur conceſſæ quædam libertates ipſis Iudæis: Cyrus enim lib. 1. Eſdræ cap. 1, fecit ipſis facultatem redeundi in patriam, & templum erigendi. Darius quoque Hiſtaſpis eodem lib. cap. 6. anno ſecundo Regni ſui dedit poteſtatem continuandi reædificationem templi intermiſſam. Artaxerxes Longimanus eodem quoque libro cap. 7. anno Regni ſui ſeptimo dicitur miſiſſe Eſdram in Ieruſalem cum magnis muneribus & magna vi pecuniæ, veriſimiliter ad templum perficiendum, vel Ciuitatem reſtaurandam. Denique idem Artaxerxes lib. 2. Eſdræ ſiue Nehemiæ, anno 20. regni ſui legitur expreſſam feciſſe facultatem Nehemiæ ædificandi Hieruſalem, muroſque eius inſtaurandi. 21

Hinc itaque dicunt aliqui, vt Clemens lib. 1. Stromatũ, exitum ſermonis de quo Angelus, fuiſſe edictum emiſſum ſub Cyro Rege. Nonnulli verò, vt Euſebius & Cyril. Ieroſolymitanus exiſtimant eſſe edictum editum ſub Dario. Alij volunt intelligi edictum, quod Artaxerxes cap. 7. lib. 1. Eſdræ legitur feciſſe ſeptimo anno regni, vt Cornelius A Lapide ad cap. 9. Danielis cum alijs quos citat. Alij autem docent nomine exitus ſermonis illius eſſe intelligendum edictum liberæ facultatis reædificandi Ieruſalem ab Artaxerxe datum anno vigeſimo Regni eius, quando Nehemiæ fecit poteſtatem reſtaurãdi Ieruſalem, & muros Ciuitatis vbi erant ſepulchra Patrum 22

trum eius: & ita docent Theodoretus, Rupertus, Beda; quos fere omnes poſteriores Doctores ſequuti ſunt. inquit Suares Tomo 1. in 3. p. Diſput. 1. ſect. 2. quæ proinde ſententia tanquam communior & magis cõformis verbis Angeli videtur præferenda: Nunquam enim apparet conceſſa propriè facultas Iudæis reædificandi muros & Ciuitatem Ieruſalem ante tempus illud, ſiue ante annum vigeſimum Regni Artaxerxis, cùm priùs tantùm facta ſit permiſſio de reſtaurando templo tam ſub Cyro, quàm Dario Rege: Angelus autem expreſſe dixit: *Scito & animaduerte: Ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Ieruſalem.*

23 Vnde minus probabilis eſt eorum opinio qui putant, initium iſtarum Hebdomadum ſumendum à tempore quo Ieremias prophetauit, & prædixit Ieruſalem fore reædificandum, vt ſentiunt Lyranus & Burg. quemadmodum & aliorum qui dicunt eſſe deſumendum à tempore quo Angelus hæc edocebat Danielem, vt Origines, & Tertull. contra Iudæos cap. 8. Non enim dicit Angelus à tempore quo id prædictum, aut promiſſum fuit; ſed ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem: nam alioquin pari ratione dicere quis poſſet Hebdomadas inchoandas à tempore quo de libertate illa prophetauit Iſaias cap. 45.

24 Iſtis igitur præſuppoſitis quod Hebdomades initium ſumant ab exitu ſermonis ſiue edicti quod Artaxerxes fecit de permiſſione reædificandi Ieruſalem & muros eius anno vigeſimo Regni ſui, naſcitur vlterius dubium primum, An exitus ſermonis ibi ſignificet euulgationem edicti, quę facta eſt Nehemiæ: An complementum edicti: id eſt, an inchoandus ſit computus Hebdomadum à tempore quo Artaxerxes indicauit Nehemiæ iſtam ſuam voluntatem, & miſit eum in Ieruſalem, an verò à tempore quo edictum exijt in opus, & completa fuit reſtauratio: iuxta diuerſum enim hunc vel illum ſenſum, computus venit inchoandus ab alio & alio anno: iuxta priorem inchoatur ab anno vigeſimo Regni Artaxerxis: iuxta poſteriorem autem ab anno vigeſimo tertio eiuſdem.

Dubitatur vlteriùs ſecundò, quos annos oporteat hic accipere quibus hebdomades conſtent, an Solares, an, Lunares: inter quos hæc eſt differentia, quod Solares contineant trecẽtos ſexaginta quinque dies & ſex horas: Lunaris verò tantùm cõtineat trecentos quinquaginta quatuor dies. Sed hęc dubia paulò poſt reſoluemus.

25 Ratio verò diſſenſionis Interpretum, ac dubitationum eſt, quia difficilè inſtitui poteſt computus Hebdomadarum, ita vt aptè terminentur in aduentum Chriſti Domini, eiuſque occiſionem ſeu mortem, quin aliqui anni videantur vel ſuperabundare, vel deficere. Naſcitur hęc difficultas, quia ex hiſtorijs Scripturę ſacrę non poteſt annorum iſtorum Chronologia contexi: à captiuitate enim Babylonica non deducit Scriptura Ducum ſeu Principum ſucceſſionem cum temporis deſcriptione, vſque ad Chriſtum. Vnde oportet computum annorum de quo agimus colligere pro maxima parte ex prophanis Scriptoribus, quos ſæpiuſ contingit in annorum deſcriptione, vt & in alijs rebus geſtis enarrandis falli & errare.

Quam ob cauſam hæc varietas Interpretum mira videri non debet, neque quemquam mouere, quo minùs firmiſſimè teneat ea quæ de tempore, quo aduenturus ſit & vngendus Sanctus Sanctorum, Angelus prænuntiat, dicta eſſe de tempore aduentus Chriſti noſtri: cum adiuncta quæ cum illo aut per illum dicuntur ſimul futura, euidentiſſimè tunc obuenerint, Vt quod deleretur iniquitas, quod adduceretur iuſtitia ſempiterna, quod impletur viſio & prophetia: Vnde Diſcipulis Ioannis interrogantibus. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* reſpondit Chriſtus: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur:* vt ſcilicet ita intelligerent in eo impleri viſionem & prophetiam Iſaiæ, & ſcirent illum eſſe Meſſiam qui venturus expectabatur, nec alium eſſe expectandum. Similiter clariſſimè conſtat in eo habuiſſe locum quæ ibi de morte illius prænuntiati Vngendi & Chriſti prædicuntur. 26

Chriſtus enim noſter à Iudæis traditus gentibus, innocens totus, vt iniquus ipſe iudex proclamabat, & conteſtabatur, ad eorundem obſtinatiſſimam exactionem morte turpiſſimâ condemnatus iuxta vaticinium quoque Sapientis, in cruce occubuit: & deinde non populus eius fuit, qui eum negaturus prædicitur: Negarunt eum Iudęi, qui erant populus Dei, Ioannis 19. quando interrogante Pilato: *Regem veſtrum crucifigam?* reſponderunt: *Non habemus Regem niſi Cæſarem:* & de poſt videmus eueniſſe, quod tum hic Daniel, tum alij Prophetæ de reiectione Iudeorum prædixerunt: vt illud Iſaię c. 65. *Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui ijs qui me non interrogabant:* & quod ibidem ſequitur dictum ad Iſraël: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Ac rurſum iſtud Oſeæ c. 1. *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam* 27

lectam : & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Vti hoc ipſum latè & pulchrè deducit Apoſt. c. 9. & 10. ad Rom.

28 Pariter conſtat à morte Chriſti Domini ſuis mox temporibus reliqua eueniſſe, quæ eodem loco à Daniele prænuntiantur ſecutura : ac in primis hæc : *Et ciuitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio* ; Poſt Chriſti namque mortem venit exercitus Romanorum cum Duce Tito, qui diſſipauit ciuitatem & Sanctuarium, & induxit vaſtitatem magnam & deſolationem.

29 Ac iterum quod adiungitur: *Confirmabit autem pactũ multis Hebdomada vna, & in dimidio Hebdomadis* (videlicet illius) *deficiet hoſtia & ſacrificium*; optimè in Chriſtum noſtrum quadrat; nam poſt Hebdomades ſexaginta nouem (quę iuxta probabilẽ ſententiã, vt infra declarabimus, finiuntur circa Baptiſmũ Chriſti) cœpit ipſe Hebdomadâ vnâ videlicet ſeptuageſimâ, multis certiſſimiſque argumentis, virtutibus, & ſignis pactum nouum confirmare, quod demùm & ſanguine ſuo obſignauit, nouam videlicet Euangelicam legem, per quam veluti per pactum quoddam credentibus & obtemperantibus ſibi, peccatorum remiſſionem, & vitam æternam promiſit. Vbi autem ſic confirmauerat pactum ſuum tunc in dimidio illius Hebdomadę, quarto videlicet eius anno, defecit hoſtia, & Sacrificium: quia per Chriſti mortem, qui tribus annis & aliquot menſibus à Baptiſmo ſuo fuit occiſus, hoſtiæ, & Sacrificia veteris legis euacuata ſunt : nam poſt id temporis, licet non fuerint ſtatim mortifera, fuerunt tamen ſtatim mortua, vt alibi docetur.

30 Denique ſic pergit loqui Angelus ad Danielem: *Et in templo abominatio deſolationis, & vſq; ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio:* Quibus exponit horrendam abominationem vaſtitatis, quam populus iſte de quo ante egit, cùm Duce ſuo erat ſuperinducturus, eamque futuram perpetuam prænuntiat abſque omni reparationis exſpectatione : quod vſque in hodiernum diem continuatum videmus. Ex quibus conſtat omnia in Chriſto noſtro adimpleta eſſe, quę hic Angelus de Chriſto Duce venturo, & de ſubſecuturis poſt eius aduentum & occiſionem pręnuntiauit:

31 Porrò vt ea quę de fine & termino Hebdomadarum, modò quaſi pręſuppoſuimus, quod ſcilicet in medium Hebdomadis ſeptuageſimę inciderit mors Chriſti Dom. noſtri, IESV ſcilicet Nazareni, & initium illius Hebdomadæ incœperit à Baptiſmo Chriſti, quando hic declaratus eſt ductor & Doctor populi Dei ſiue Eccleſiæ, Patre Cœleſti dicente: *Hic eſt Filius meus dilectus : ipſum audite*, per aliquam temporum deductionem oſtendantur ita ſe habere, opus eſt vt priùs reſoluamus, dubium antea propoſitum, ſcilicet cuiuſmodi annis, vtrum ſolaribus, an lunaribus debeant dici conſtare hebdomades illæ ſeptuaginta. Reſpondetur : multi & graues authores ſentiũt, quod dici debeãt conſtare annis lunaribus, idq; vt aptiùs oſtendãt ſeptuageſimâ hebdomadâ ab exitu ſermonis ſiue edicti promanati de Ieruſalẽ reędificanda 2. lib. Eſdrę c. 1. Chriſtũ eſſe occiſum : quod alioquin in computu deeſſent anni tredecim, & ſic occiſus eſſet Chriſtus hebdomada 68. Ita Iulius Africanus l. 5. Annalium, Rupertus, Pererius, & alij.

Verùm quia Scriptura ſacra paſſim non 32
lunaribus, ſed communibus & ſolaribus vtitur annis, & de illis loqui ſolet (quando enim narrat Adam vixiſſe tot annis, Filios Iſraël fuiſſe in Ægypto 403. annis, vel in Captiuitate Babylonica 70. annis, ſine vlla dubitatione intelligenda eſt de ſolaribus loqui) hinc potius videtur dicendum, quod hebdomades in prophetiâ Danielis debeant quoque intelligi conſtare ſingulæ ſeptem annis ſolaribus, & inuenienda ſit alia ratio ſupplendi defectũ illorũ annorũ qui videtẽtur alioquin deeſſe: idque eo magis, quod licet Hebræi ad obſeruanda quædam feſta mobilia, obſeruauerint annos lunares, tamen ſemper eis curę fuerit reuocare, & quaſi corrigere annum lunarem per ſolarem intercalando tertio anno, vel ſubinde & ſecundo vnum menſẽ, & ſic in vno anno tredecim menſes includendo, vt hoc modo numerus annorum lunarium numero ſolarium reſponderet, vt tradunt Baſil. Homil. 6. Hexam. non longè à fine, & Rupert. l. 1. De Trinitate c. 15. & 45. idque tum quia hoc neceſſarium fuerit propter Paſcha ipſorum, vt illud congruo tempore à lege præfixo celebraretur, puta poſt Æquinoctium vernum 14. die menſis primi ; alioquin enim cum annus lunaris minor ſit ſolari, ſæpe Paſcha celebrare debuiſſent, vel ante Æquinoctium vernum, vel alio menſe quàm primo : tum & vt ſuorum temporum deductiones accommodarent & commenſurarent Chronologijs aliarum gentium in ætatum, ac regnorum durationibus deſcribendis, dum adhiberent annum lunarem ſic correctum, ſiue quod in idem redit, dum pro menſura adhiberent annum ſolarem. Vnde Lyranus ad c. 9. Dan. qui fuit origine Hebręus ſcribit, falli eos qui putãt Hebræos talibus annis ſcilicet lunaribus vſos : alioquin (inquit) tota veteris in-

ſtrumenti

ſtrumenti ſeries vacillat: & ſic hebdomadas Danielis per ſolares annos computant Galatinus lib. 4. cap. 14. Euſeb. l. 8. Demonſt. c. 2. Chryſoſt. hom. 2. contra Iudæos: Driedo lib. 3. de Dogmat. Script. S. c. 5. Genebrard: lib. 2. Chronographiæ circa finem, quos refert & ſequitur Suarez Tom. 1. in 3. p. Diſp. 1. ſect. 2. & Cornelius à Lapide in cap. 9. Danielis.

33 Deinde reſoluenda eſt & altera dubitatio: Vtrum in verbis Angeli, quando dicit, Ab exitu ſermonis vt ædificetur Ieruſalem, per exitum ſermonis intelligatur ipſa emiſſio edicti, an complementum & effectus edicti, quæ ſunt ipſa reſtauratio Ieruſalem. Complures ſunt, qui velint per exitum ſermonis intelligi ipſum edictum de reædificanda Ieruſalem, idque ſatis cõformiter ipſis verbis, & modo loquendi Scripturę ſanctæ: quia exitus ſermonis magis ſonat loquentis & mandantis imperium, quàm rei imperatæ executionem, & ſic etiam ſolent loqui Prophetæ Exijt ſermo, vel Verbũ à Domino, id eſt Dominus locutus eſt; Dominus mandat: ſic Luc. c. 2. ſcribit *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis:* Aſt tamen quia aptius videtur poſſe contexi prædicta ſupputatio, ſi dicamus per exitum ſermonis intelligi effectum & complementum eius, Hinc quaſi à poſteriori colligunt alij ſic, prophetiam eſſe intelligendam. Illis itaq; poſitis poterunt probabiliter (quantum res ſatis obſcura admittit) declarari vera quæ diximus de initio hebdomadę ſeptuageſimæ à baptiſmo Chriſti, & de medio eius in morte illius, inſtituendo ſcilicet ſupputationem per Olympiades, quæ eſt expeditior & certior, quàm per Regna & Principes, quorum non ita continuata habetur ſeries, & ſucceſſio obſcurior eſt, & magis variè à Scriptoribus refertur.

34 Primùm igitur hic ſtatuendum eſt de anno illo, quo fuerit reſtauratio illa ciuitatis Ieruſalem, quam Artaxerxes conceſſit, opere completa, & quotæ Olympiadi, & quoto eius anno reſpondeat illa completio reſtaurationis. Ad prius quod attinet, tradit Ioſephus lib. 11. Antiquit. Iudaicarum, c. 5. quod reædificatio per Nehemiã fuerit abſoluta ſpatio duorum annorum, & trium menſium: quod intelligendum eſt de plena reſtauratione, nõ tantũ quoad externos muros, qui lib. 2. Eſd. cap. 6. referuntur fuiſſe perfecti ſpatio quinquaginta duorum dierum cum admirandâ quâdam acceleratione; ſed etiam quoad portas, propugnacula, ædes, plateas & ſimilia: quandoquidem verò edictum de reædificanda ciuitate emanauerit anno vegeſimo Artaxerxis vt ex c. 2. lib. 2. Eſdræ conſtat, hinc conſequens eſt, quod exitus ſiue effectus & complementum iſtius edicti contigerit anno 23. eiuſdem Artaxerxis: quodque proinde ſeptuaginta hebdomadarum computus ab anno vigeſimo tertio Artaxerxis ſit inchoandus, non quidẽ ab 23. quo ipſe ſolus regnauit, ſic enim hebdomades ſe vltra occiſionem Chriſti extenderent ad 13. vel 15. annos (qua de cauſa quoſdam diximus confugere ad annos lunares) ſed à 23. anno, quo cœpit imperare ſubſtitutus Patri ſuo Xerxi, iuxta Perſarum morem, quorum Reges dum in exteras Prouincias proficiſcerentur, ſolent cõſtituere aliũ qui in proprio regno imperaret, vt patet ex Herodoto l. 7. circa initiũ.

Hic annus 23. à Ioſepho ſcribitur fuiſſe annus 28. Xerxis, non quod Xerxes adhuc tunc viueret, ſed quia ab initio imperij eius computando eſſet 28. quemadmodũ dicimus anno 50. aut centeſimo vel milleſimo Chriſti.

Cæterùm quod ab hoc anno 23. Artaxerxis ſiue à 28. regni Xerxis fluxerint præcisè hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duę, vt loquitur Angelus, id eſt ſexaginta nouem vſque ad Chriſtum ducem, id eſt vſque ad tempus quo Chriſtus à Patre fuit dux manifeſtatus, & ipſe cœpit ducis officio fungi, quod factum eſſe diximus in eius baptiſmo, colligunt, & demonſtrant Doctores confugiendo ad Olympiades, idque hoc modo: quia quãtum ex hiſtoriarum Scriptoribus, & Chronologis licet obſeruare, annus ille vigeſimus tertius Artaxerxis concurrit partim cum anno quarto Olympiadis octogeſimę, & partim cum primo anno Olympiadis octogeſimæ primæ: Chriſtus Dominus autem fuit baptizatus anno quinto decimo Tyberij Cæſaris, vt conſtat ex cap. 3. Lucę, qui annus quintus decimus Tyberij, vt ex Hiſtorijs deducitur, fuit quartus annus Olympiadis ducenteſimæ primæ: Ab anno itaque vigeſimo tertio Artaxerxis vſq; ad baptiſmum Chriſti intercurrerunt centum viginti vna Olympiades quæ (quandoquidem quęlibet Olympias contineat quatuor annos) efficiunt quadringentos octoginta tres annos, non comprehenſo ſcilicet anno illo vltimo, ſiue quarto Olympiadis ducenteſimæ primæ quo Chriſtus fuit baptizatus, atque ita ab anno vigeſimo tertio Artaxerxis quo fuit opere completum edictum datum anno vigeſimo regni eius ſenſu explicato, vſq; ad Ducem Chriſtum, id eſt vſque eius oſtenſionem, quæ in baptiſmo illius facta eſt vti diximus, effluxerunt hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ, vt loquitur Angelus ad Danielem, quas prædixit futuras ab exitu ſermonis, vt ædifi- 35

cetur

cetur Ieruſalem, vſque ad Ducem Chriſtum: anni namque quadringenti octoginta tres faciunt præciſè hebdomades ſexaginta nouem: & deinde hebdomadâ ſeptuageſimâ adimpleri cœperunt cætera quę eodem loco Angelus prænuntiauit futura: tunc enim Chriſtus docuit veram viam iuſtitiæ, & peccatores adduxit ad pœnitentiam, & in corpore ſuo ſuſtulit præuaricationes & peccata, vnde Ioannes Baptiſta de illo perhibuit teſtimonium, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: & in medio hebdomadis vnius, ſcilicet ſeptuageſimæ, quando occiſus fuit Chriſtus, ceſſauit hoſtia & ſacrificium, & deinceps euenerũt reliqua ab Angelo prædicta, vt ſuprà n. 29. declarauimus.

36 Contra hanc ſupputationẽ inter alia occurrit peculiariter difficultas illa, quod expoſitio verborũ *ab exitu ſermonis*, id eſt, à ſermone re ipſa completo, poſſit videri minus conuenire verbis, ob rationes ſuprà allegatas. Sed non ita ſunt pregnantes illæ, quin eis non obſtantibus ad alias obſcuritates & difficultates tollendas facilè poſſit dicta expoſitio admitti, quandoquidem non ſit à verbis & à modo loquendi omninò aliena.

37 Si quis verò malit verba iſta, *Ab exitu ſermonis*, accipere ſecundum ſenſum magis obuium, id eſt, ab edicto ædito, poterit eandem ſupputationem retinere, dicendo errorem aliquem veriſimiliter interueniſſe in collationibus annorum imperij Xerxis & Artaxerxis cum annis Olympiadum, ipſumque annum 20. Artaxerxis, quando ſermo iſte exijt, correſpondere partim anno 4. Olympiadis octogeſimæ, & partim anno 1. Olympiadis 81. quod eo probabiliùs dici poteſt, tum quòd non ſatis ex hiſtorijs conſtet, quo anno præciſè Artaxerxes fuerit patri in imperio ſubſtitutus, tum quod in collationibus annorum imperij plurium Regum cum annis Olympiadum facilè intercurrat abuſus aliquot annorum: quia initium, & finis annorum inperij alicuius Regis non ſemper adæquatè correſpondent initio, & fini anni Olympiadis: ſed quòd eſt medium anni regni, poteſt eſſe finis, aut initium anni Olymqiadis cum quo dicitur concurrere.

78 Corn. à Lapide loco ſuprà cit. exiſtimat, quando in libris Eſdræ notantur anni regni Artaxerxis, quod adnotatio illa accipienda ſit de annis, quibus ipſe poſt Xerxem Patrem imperauit ſolus: ſed quia tum ab edicto quod Artaxerxes feciſſe legitur anno vigeſimo regni (& minus ab anno vigeſimo tertio, quo edictum fuit opere completum) vſque ad Chriſtum Ducem non reperiuntur ſexaginta nouem Hebdomades, idcirco docet hebdomades eſſe inchoandas ab edicto quod lib. 1. Eſd. c. 7. emiſiſſe legitur, anno ſeptimo Regni, quem ipſe quoque accipit de anno ſeptimo, quo ſolus regnauit; & quamuis Scriptura non expreſſè commemoret tunc Eſdræ fuiſſe factam facultatem reædificandi Ieruſalem, ſed tãntum fiat expreſſa mentio reſtaurationis Templi, nihilominus tamen etiam datam fuiſſe facultatem reædificandi, ſatis ex adiunctis & diuerſis coniecturis dicit colligi: vt quia dicitur: *deditq́; illi* (Eſdræ ſcilicet) *omnem petitionem*: dubium autem eſſe non poſſit, quin Templo ædificato, maximè petierit reædificari Ciuitatẽ, vt à vicinis hoſtibus Iudæi eſſent tuti, tũ in familijs ſuis, tũ in cultu Dei in templo. Vide aliam ſupputationem apud Perer. lib. 1. in Dan. quæ fit per annos lunares, & inchoat hebdomades ab anno 20. Artaxerxis, à quo ſolus cœpit regnare patre mortuo, tredecim videlicet, aut circiter annis ſeriùs quã iuxta computum noſtrũ: in quâ ſupputandi ratione, præter hoc quòd non ſit conformis modo loquendi Scripturæ, & Hebræorum in texendis Chronologijs & recenſendâ hominum ætate, vt ſuprà oſtendimus, etiam illud ſe offert incommodum, quòd iuxta eam Chriſtus fuiſſet occiſus finitâ hebdomade ſeptuageſimâ; Angelus verò indicet poſt ſexaginta nouem hebdomades, in medio hebdomadis, videlicet ſeptuageſimæ, defecturam hoſtiam & ſacrificium: ac proinde etiam Chriſtum in medio hebdomadis occidendum: Neque enim ante mortem Chriſti defecerunt hoſtiæ & Sacrificia antiquæ legis: ſed cum morte Chriſti ſunt mortua.

Cæterùm licet ob priſcæ Chronologiæ obſcuritatem, & non ſatis continuatam eius deductionem in vno aliquo ordine, multùm difficile ſit primum & vltimum annum 70. iſtarum hebdomadum, præciſè deſignare, in eoque varient Interpretes, tamen euidenter admodùm ex allegata prophetiâ conuincitur contra Iudæos, quod Meſſias ſiue Chriſtus iam pridem aduenerit, fueritque IESVS quem Chriſtiani colimus, tum quia omnium Interpretum, Patrum & Doctorum orthodoxorum ſententiâ finiuntur prædictæ hebdomades Danielis, vel in totum, vel pro maxima parte (quod addo quia aliqui volunt eas extendere vſque ad euerſionem Ieruſalem inductam per Titum & Veſpaſianum) ſub tempus illud quo vixit Chriſtus: nam 70. hebdomodes faciunt tantùm 490. annos, quos clarè conſequitur iam dudum lapſos eſſe, & quidem circa Chriſti noſtri tempora fuiſſe finitos: tum quod omnia reliqua adiuncta conueniunt in Chriſtum & in tempora eius, vt ſatis iam fuit demon- 39

ſtratum

ſtratum. Quare rectè ſcribit Lyranus ad finem Capitis 9. Danielis: Non remanet excuſatio Iudæis ex diuerſitate computationum, cum tempus 70. hebdomadarum, qualitercumque computetur, iam per mille annos tranſierit in præteritum & amplius. Sola igitur obſtinatio malitioſa (inquit) tenet eos in perfida expectatione Meſſiæ.

Tertium teſtimonium ex antiquo Teſtamento pro aduentu Meſſiæ.

40 Tertium Teſtimonium deſumitur ex Cap. 2. Aggæi, vbi ſic loquitur Propheta: *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram* &c. *& veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloriâ:* & paulopoſt adiungit: *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum.* Solatur hic Propheta populum ſuum mæſtum & dolentem, eò quod templum illud ſecundum eſſet humilius, & quaſi abiectius, neq; ad ſplendorem primi accederet: & prædicit futuram maiorem ſecundi templi, quàm primi gloriam: quia Dominus illud implebit gloriâ, non tamen nebulâ quàdam, ſicuti templum primum Salomonis; ſed ipsâ reali & corporeâ ſuâ præſentiâ: quia modicum adhuc, & veniet deſideratus cunctis gentibus: ſiue vt loquitur Patriarcha Iacob in benedictione Iudæ filij ſui: *Ipſe qui erit expectatio gentium*: nam hunc gentes deſiderabunt, quando ſcilicet Iudæis Chriſtum non recipientibus, & ſeſe regno Dei indignos reddentibus prædicabitur Euangelium gentibus & implebitur in illis: & dicetur eis: Non populus meus, populus meus, non miſericordiam conſecutus, miſericordiam conſecutus: Vnde & iuſtus Simeon Chriſtum in vlnas ſuſcipiens decantabat: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: Quod paraſti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium:* &c.

41 His conſonat illud Malachiæ 3. *Et ſtatim veniet ad templum ſuum, Dominator quem vos quæritis; & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quomodo autem modicum fuit? quomodo ſtatim vĕtutus erat? ſi nec modò aduenerit: imò quomodò implebitur vnquam Domus iſta ſecunda maiori gloria, & quomodò Dominator quem quærebant, veniet ad templum ſuum, quod nunc à tanto tempore funditùs fuit euerſum.

42 Denique omnia prophetarum de Meſſiâ vaticinia in Chriſto Domino noſtro, videmus adimpleta: vt quod Meſſias naſciturus eſſet ex Virgine, Iſaiæ cap. 7. quod in Bethleem Iudæ, Michææ. 3. quod naſciturus deficiente duce de Iuda, Geneſeo 49. quod Præcurſorem haberet qui iret ante faciem eius, Iſaiæ c. 40. & Malachiæ c. 3. quod euangelizaret pauperibus & contritis corde: quod cæcis viſum, claudis greſſum reſtitueret, Iſaiæ 51. quod pauper & humilis aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ, venturus ſit in Ieruſalem Rex filiæ Sion, Zachariæ c. 9. Quod poſt multa probra, irriſiones, flagellationes, morte turpiſſimâ condemnandus & occidendus eſſet: quod in ſiti, quando tanquam teſta aruiſſet virtus eius, & lingua adhæſiſſet faucibus, potandus foret felle & aceto: quod diuiderentur veſtimenta eius, & ſuper veſtem illius mitterent ſortem: Pſal. 21. quod ſepulchrum eius futurum ſit glorioſum, Iſaiæ c. 11. quod ad inferos deſcenderet, ac inde liberaret captiuos Zachariæ c. 9. quod reſurgeret, quod ad cælos aſcenderet captiuam ſecum ducens captiuitatem, quòd mitteret Spiritum Sanctum & dona daret hominibus: Pſal. 15. Ionæ cap. 2. Pſal. 67, Ioëlis c. 2. & ſimilia alia, vt quod ad eum confluent omnes gentes, quòd eum adorabunt omnes populi: quòd Idola ceſſabunt, Iſaiæ c. 2, Pſal. 85. 95. 96. & 97. Ex quibus non tantum efficaciter concluditur Meſſiam in lege, & prophetis promiſſum adueniſſe, ſed inſuper euidentiſſimè oſtenditur Chriſtum noſtrum eundem eſſe.

Sequitur reſponſio ad Articulum.

His conſtitutis pro reſolutione Articuli Diui Thomæ ſit 43

Conclvsio vnica: Conueniens fuit Deum incarnari. Ita D. Thom. hic: neque dubitationem poteſt habere, cum ita res à Deo definita & facta ſit: omnia verò quæ à Deo ſunt, ordinata ſint.

Probatur tamen concluſio, & ſimul congruentia facti explicatur: Primò quia, vt docet D. Damaſcenus lib. 3. de fide c. 1. Congruebat hoc opus Deo, quem decebat ſapientiam ſuam oſtendere, potentiam, & bonitatem: quid autem potentius (inquit) quàm coniungere extrema ſummè diſtantia? quid verò ſapientius, quàm quod ad conplementum totius vniuerſi, fieret coniunctio primi & vltimi, id eſt, Verbi Dei, quod eſt omnium principium; & naturæ humanæ, quæ in operibus ſex dierum fuit vltima omnium creaturarum. Quid benignius & melius, quàm quod creator rerum communicare ſe voluit rebus creatis?

Probatur Secundo: Quidquid enim ad rationem boni pertinet, conueniens eſt Deo: ipſa namque natura Dei eſt eſſentia bonita-

bonitatis, iuxta Dionyſium c. 1. de Diuinis nominibus: atqui ad boni rationem pertinet, vt ipſum ſe communicet alijs: ergo ad rationem ſummi boni, quod Deus eſt, pertinet quod ſummo modo ſe communicet creaturæ: quod fit dum naturam creatam ita ſibi coniungit, vt vna fiat perſona ex tribus his, Verbo animâ & carne, vt loquitur Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 17. quo maximè conueniens fuit Deum incarnari. Fuit autem hæc communicatio perfectiſſima & ſumma pluribus modis: in primis ſecundum genus cauſæ efficientis, quia inter diuinæ omnipotentiæ opera, videtur hoc Primum, quo res tam infinitè diſtantes, & inter quas nulla poterat videri poſſe reperiri vnionis proportio, (puta inter Dei Verbum & carnem) tam admirabili nexu coniunxerit, vt ſe quodammodo vnum cum carne fecerit, dum Deus & caro vnâ ſubſiſtunt perſonâ.

44 Non itaque dicta diſtantia facit myſterium Incarnationis impoſſibile, aut incredibile, ſed neq; indecens, aut incongruum: verum commendat magis omnipotentiam Dei illud operantis: ad hoc enim ne propter extremorum diſtantiam cenſeatur impoſſibile aut incredibile, ſufficit inter ea intercedere proportionem, ſecundum quam poſſint aliquando vnitatis rationem induere, quæ hic in eo ſita eſt quod natura humana ſit apta terminari ſubſiſtentiâ quæ ab eâ eſt diſtincta, non ratione tantùm, ſed etiam à parte rei: & quod diuina perſona potens ſit ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ, & naturæ humanæ exiſtentiam terminare. Vt verò non ſit monſtroſum, aut incongruum, ſufficit ſubeſſe rationabilem cauſſam quare eiuſmodi extrema tali modo inter ſe vniantur, quæ diuinæ ſapientiæ non deeſt; ſed de his infra latius.

45 Fuit Secundò dicta communicatio ſumma iuxta quandam rationem cauſandi ſubſtantialiter, & quaſi intrinſecè: quæ quandam habet affinitatem cum causâ formali, ſublatis huius imperfectionibus: quia in hoc Myſterio communicat Deus naturæ creatæ increatam perfectionem quam in ſe habet, dando illi diuinum & increatum ſubſiſtere, communicatione non accidentariâ, ſed ſubſtantiali, ſiue perſonali, quâ nulla Dei communicatio ad creaturas maior poteſt excogitari: neque enim huic comparari poteſt communicatio, quâ ſe Deus communicat beatis, licet etiam hâc dicatur diuinâ eſſentia per ſe ipſam coniungi intellectui beati; quia non ſic illabitur intellectui, vt per ſe ipſam ſubſtantialiter aut intrinſecè illum perficiat, & cum illo vnum verè componat, ſed tantùm per modum obiecti, & principij proximi ad viſionem beatificam concurrit per ſeipſam tum abſque ſpecie influendo, tum terminando. Vnde coniunctio illa, non eſt ſubſtantialis compoſitio; in hoc autem Myſterio Verbum ita coniungitur naturæ humanæ, vt verè & ſubſtantialiter illi copuletur, illam per ſe ipſum perficiat, & cum illa aliquid vnum ſubſtantialiter ineffabili modo componat, ita vt de eo ſcribat Diuus Auguſt. de Prædeſt. Sanct. cap. 15. Tantam, tam excelſam, & tam ſummam eſſe hanc humanæ naturæ eleuationem, vt quo attollatur altiùs non habeat.

Sed contra Secundum argumentum ex D. Thom. petitum, obijcitur: Si illud aliquid efficeret, probaret Deum, non voluntate, ſed neceſſitate fuiſſe incarnatum: 46

Confirmatur: Quia ex ijs quæ ad diuinæ bonitatis rationem pertinent, abſolutè nihil poteſt abeſſe.

Reſpondeo breuiter, negando aſſumptũ. Ad confirmationem dico dupliciter aliqua dici pertinere ad rationem alicuius: vno modo, quia ratio ſimpliciter ea includit, aut eſſentialem ad ea ordinem dicit; vel etiam quia neceſſariò ad talem rationem conſequuntur: alio modo, quia ratio illius propendet & inclinat ad tale, vel tale quid faciendum, quamuis hoc id ipſum in quod inclinat, neque illi ſit intrinſecum, neque aliquo neceſſario ordine connexum cum ipſo: quemadmodum ratiocinari poteſt dici pertinere ad rationem hominis. Et hoc poſteriori modo dicitur ad rationem ſummi boni pertinere ſe ſummo modo cõmunicare creaturæ, quia ſumma bonitas eſt quaſi inclinans ad hoc, non autem neceſſariò id operans: prout nec alium vllum effectum ad extra: poteſt enim diuina ſapientia ex alijs attributis habere alias rationes, ob quam oppoſitum velit.

Petet aliquis: Quomodo non ſit repugnantia in doctrina D. Thomæ, quam hic tradit ad Primum, & ad Secundum? Ad Primum enim dicit; Et ideò ſicut creatura incepit eſſe cum prius non eſſet, ita conuenienter, cum prius non eſſet vnita Deo in perſona, poſtmodum fuit ei vnita: Ad Secundum verò dicit: Vniri Deo in vnitate perſonæ non fuit conueniens carni ſecundum conditionem ſuæ naturæ; imò quomodo hinc non ſequitur, non fuiſſe conueniens ſimpliciter Deum incarnari, quandoquidem ex parte alterius extremi ſit inconueniens vnio. Reſpondetur non eſſe repugnantiam: quia in reſponſione ad Primum intendit ſolùm docere mutationem quæ facta eſt in incarnatione, factam eſſe non in Deo vt ipſe aliter inceperit ſe habere; ſed factam in carne: idque conue- 47

nienter,

uenienter, conſiderando illam ſub generali ratione mutationis, quia caro ex ratione ſua, mutabilis eſt: non autem intendit docere hanc mutationem ſecundum ſpecificam ſuam rationem fuiſſe carni conuenientem, quaſi in carne fuiſſet aliqua diſpoſitio, aut qualitas poſtulans vel ex neceſſitate, vel ex aliqua congruentiâ eiuſmodi ad Verbum, vnionem: hoc autem eſt, quod dicit in reſponſione ad ſecundum. Quare nec ſequitur myſterium incarnationis eſſe inconueniens, quia non dicit D. Thomas ex parte carnis eſſe inconuenientiam, quaſi indecens aut contra regulam rationis foret, carnem Verbo vniri: ſed tamen non fuiſſe conueniens ſecundum conditionem naturæ, quia in carne, vt diximus, non erat poſitiua diſpoſitio vel qualitas, quæ vel de congruo eiuſmodi coniunctionem requirebat: ex parte verò Dei dicit Diuus Thomas fuiſſe conueniens, quia eius infinita bonitas ad hoc quodam modo vti diximus, inclinat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm neceſſarium fuerit ad reparationem humani generis, Verbum Dei incarnari?

48 CONCLVSIO Prima: Deus non ex neceſſitate naturæ, ſed liberè pro bonâ voluntate ſuâ voluit humanum genus reparare; quod etiam ſine imperfectione, aut indecentiâ potuit prætermittere. Eſt communis & certa. Patet ex Scripturis, quæ vbique hoc opus gratuitæ Dei erga nos dilectioni, & miſericordiæ adſcribunt. Vnde Diuus Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 29. ſcribit: In Incarnationis myſterio ſummum eſſe exemplum gratiæ: neque gratiam altiùs commendari poſſe.

Sed obijcitur: Diuus Athan. de Incarnatione Verbi, docet indecorum ac indignum fore Dei bonitate, ſi quæ ab ipſo creata ſunt, in interitum abirent ob diaboli aduerſus hominem fraudem, quinimò indecentiſſimum fore, Dei artem in hominibus extingui, vel per ipſorum iniuriam, vel per Dæmonis impoſturam. Similia quoq; habet Diuus Anſel. lib. 1. Cur Deus homo.

Reſpondetur, eiuſmodi dici per exaggerationem quandam, & pio ſenſu interpretanda, vt indecorum, indecens, iodignum bonitate Dei accipiantur omninò negatiuè, pro eo quod eſt, non tam decorum, neque tam conſentaneum diuinæ bonitati, potiſſimum ſpectando hoc attributum præciſè ſecundum noſtrum de eo conceptum: cùm quo tamen ſtat, quod idem Deo conueniens ſit ex parte aliarum ſuarum perfectionum, poſſitque hominem relinquere in miſerijs & malis, in quæ ſuâ culpâ ſe coniecit: eſto enim non reſplendeat in eo opere miſericordia, poterit tamen commendari & elucèſcere Iuſtitia, abſque læſione aut imperfectione diuinæ bonitatis & benignitatis.

Neque haberet idcirco Diabolus, quo contra Deum cum fundamento gloriaretur: quandoquidem non ex Dei infirmitate acciderit, quod Diabolus contra hominem præualuerit, neque ruſum ex Dei impotentiâ, homo ſub Diaboli imperio relinqueretur: ſed ſi ita factum fuiſſet ob iuſtas rationes diuinæ ſapientiæ approbatas id factum fuiſſe tunc exiſtimandum foret: noluit tamen benignus Deus, vel tantillam gloriandi occaſionem, ſiue potiùs petulanter ſuperbiendi, Diabolo relinquere, vt pulchrè declarat Diuus Leo ſerm. 2. de Natiuit. & epiſt. 10. cap. 3.

CONCLVSIO Secunda: Hoe etiam 49
ſuppoſito, quod Deus decreuerit hominem lapſum ad iuſtitiam & vitam reuocare, non fuit tamen abſolutè neceſſarium ad eum effectum, Deum incarnari. Eſt communis Doctorum in 3. Diſt. 20. & omninò certa. Docet expreſsè Diuus Auguſtinus De Agone Chriſtiano, cap. 11. Sunt (inquit) ſtulti qui dicunt: non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi hominem ſuſciperet: & lib. 13. de Trinitate cap. 20. ſcribit, non defuiſſe Deo alium modum poſſibilem, cuius poteſtati omnia æqualiter ſunt ſubiecta: ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem non fuiſſe. Idem docet Diuus Leo Sermone 1. 4. & 10. de Natiuitate Domini: Diuus Bernardus epiſto-
la. 190. 50

Declaratur, quia potuit in primis Deus tanquam omnium Dominus, & ſupremus iudex liberaliter homini culpam & pænam remittere, ac Sanctitatem & iuſtitiam reſtituere, nullâ omninò ſatisfactione, aut diuini honoris læſi reparatione præſtitâ; nulli enim in hoc Deus feciſſet iniuriam, cum ipſe ſit ille qui læſus eſt. Hoc confirmat Durandus in 3. diſt. 2. q. 2. n. 9. quia paris eſt rationis, quòd aliquis quod ſuū eſt det alteri, & quod remittat id quod eſt ſibi debitum: ſed quilibet poteſt abſque præiudicio iuſtitiæ, illud quod

ſuum eſt, alteri gratis dare; ergò pari ratione poteſt culpam contra ſe commiſſam, & pænam culpæ debitam gratis remittere abſque omni ſatisfactione.

51 Potuit ſecundo hominem reſtaurare, non ita liberaliter omnem offenſam condonando: ſed aliquam exigendo ſatisfactionem, quàmuis non ad æqualitatem iuſtitiæ: huiuſmodi autem ſatisfactio aliqualis potuit præſtari abſque Verbi incarnatione: potuiſſet enim Deus non habito reſpectu ad ſatisfactionem, vel merita Chriſti, miſericorditer homines ſuâ gratiâ præuenire, & ad pœnitentiam, cæteraſque virtutes excitare, & auxilium conueniens præbere, ac vniuſcuiuſque ſic à Deo reſipiſcentiam & ſatisfactionem oblatam acceptare, & mediantibus illis offenſam cõdonare: vel poterat nouum hominem in ſanctitate creare, quem ſtatuiſſet caput humani generis, qui ſatisfactionem aliquã (licet non ad iuſtitiæ æqualitatem) Deo pro iniuriâ ab alijs illatâ, exhibuiſſet.

52 Conclvsio Tertia: Vt modo tamen conuenientiſſimo reſtauraretur humanum genus ad ſalutem, fuit neceſſarium Deum incarnari. Eſt D. Thomæ, & communis ac certa. Patet ex verbis D. Auguſtini allegatis. Idem docet Leo locis citat. Probat, & explicat Diuus Thom. hanc Incarnationis Verbi neceſſitatem ex conditione acquirendi finem hunc modo optimo, per decem rationes.

53 Quinq; priores procedũt ex bonis, quæ inde hominibus obueniũt: Primò, quia iuuat ad fidem certificandã, ex eo quod iam credat homo Deo ipſi loquenti: vnde D. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 2. ſcribit. Vt homo fideliùs ambularet ad veritatem, ipſa Veritas Dei filius homine aſſumpto conſtituit atq; fundauit fidem. Secũdò, quia facit ad ſpem corroborandam: vt patet ex D. Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. Nihil tam neceſſariũ fuit ad erigendam ſpem noſtram, inquit, quàm vt demonſtraretur nobis quantùm diligeret nos Deus: quid verò, huius rei iſto inditio eſt manifeſtius, quàm quod Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium? Tertiò, quia excitat & auget in homine charitatem. Nam ſi amare præ ignauiâ forſitan pigebat, certè redamare in tantum nos amantem pigere non debet: vt tradit Auguſt. lib. de Catechiſ. rudibus cap. 4. Quartò, quia iuuat ad rectam hominis operationem promouendam, quatenus ſe nobis omnium virtutum præbuit exemplar certum & infallibile, vt illius ſimus imitatores. Quintò, quia plurimùm facit ad pleniorem diuinitatis participationem, quæ ſe ſubſtantialiter communicauit humanæ naturæ in Chriſto: & per Chriſtum etiam alios fecit ſuo modo conſortes diuinæ naturæ.

Poſteriores quinque procedunt ex re- 54
motione mali, quã Incarnatio Verbi cauſauit: nam ex quo natura humana vnita eſt perſonæ filij Dei, habet homo vnde magis Diabolum contemnat, eiuſque cultum magis deteſtetur, cum noſtra natura ſupra Angelicam ſit eleuata: quia plus eſt naturam hominis Verbo in vnitate perſonæ vniri, quàm naturam ſine carne & corpore (vti dæmon) poſſidere. Secundò, quia reddit hominem magis ſollicitum, ne naturam ſuam ita euectam peccatis commaculet & defœdet: nam ſicut dignitas humanitatis Chriſti Domini in totam naturam humanam redundat, eamque venerabiliorem reddit: Ita etiam peccatum quo nos commaculamus, quodammodo in diminutionem & iniuriam humanitatis Chriſti cedit. Hinc Diuus Leo in Serm. 1. De Natiuitate: Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Tertiò, facit ad præſumptionẽ hominis tollendã, quando Dei gratiâ, in nobis nullis præcedentibus meritis, in homine Chriſto commendatur: vt habet Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 17. Quartò, retundit hominis ſuperbiam tanta Dei exinanitio & humiliatio. Quintò, quia hâc viâ liberatur homo à culpa & ſeruitute peccati ſecundum veram rationem iuſtitiæ: quod aliter obtineri non poterat. Conſtat igitur optimum modum reducendi hominem ad ſuum finem fuiſſe per Verbi Incarnationem. 55

Notandum verò eſt, quod pleræque ex dictis vtilitatibus myſterij Incarnationis habuiſſent etiam locum ſuum, quamtùmuis homo non fuiſſet lapſus, non tamen fuiſſent homini tã ſingulariter neceſſariæ, ac oportunæ, quàm lapſu ſuppoſito: quia homo ad virtutes præſertim Theologicas, & actus religionis, modò eſt multo infirmior, & tardior: ad mala verò, vt ſe Diabolo à quo ſemel victus eſt, iterum ſubijciat, naturam commaculet, in ſe ſuperbiat, multò magis præceps & procliuior. 56

Sed obijcitur: Videtur modus magis conueniens, quòd Deus qui maximè liberalis eſt & miſericors, omnino liberaliter abſque omni ſatisfactione exhibitâ culpam omnem condonaret, hominemq; ſibi gratiosè iterum amicitiâ coniungeret. Cõfirmatur, Nam & ipſe docet homines ignoſcere ſibi inuicem offenſas gratis. Reſpondetur Neg. Aſſumpt. Quemadmodum enim Deus ſummè liberalis eſt & miſericors, ita quoque ſummè eſt iuſtus; quare illo

ille modus conuenientiſſimus fuit, in quo & eius miſericordia ac liberalitas, & ſimul etiam eius iuſtitia, vtraque in ſummo gradu, admirandâ Dei ſapientiâ concurrunt, vti accidit, dum homo reparatur per Verbum incarnatum; maxima enim Dei liberalitas, & miſericordia enituerunt, quando gratis dedit filium ſuum vnigenitum, vt hominem redimeret: rigoroſa etiam fuit ſeruata iuſtitia: quia licet hominem miſericorditer ad vitam reuocare decreuiſſet, noluit tamen id facere, niſi præſtitâ ſibi condignâ ſatisſactione pro iniuriâ ab homine acceptâ, quam voluit ſibi exhiberi à filio proprio, ſupplicio mortis eius intercedente.

57 Neque facta fuit hic iniuria filio incarnato: præterquam enim, quod Deus ſupremus ſit omnium Dominus, & proinde de filij humanitate pro arbitrio ſuo poſſet diſponere, inſuper neque filium ad hanc ſatisfactionem præſtandam coëgit inuitũ, ſed vbi filius patris voluntatem agnouit, mox petijt à Patre, ſibi voluntatis paternæ adimpletionem demandari.

58 Quod ad Confirmationem attinet, Reſpondetur breuiter, aliud conuenire priuatæ perſonæ, quæ licet ignoſcat offenſam, supereſt tamen iudex qui eam poſſit vindicare, quando bonum publicum id exigit: aliud verò conuenire Iudici, qui niſi peccatum puniat, futurum ſit vt maneat impunitum.

59 Conclvsio Quarta: Ad redimendum ac reparandum genus humanum cõdignâ iuxta iuſtitiæ exigentiam ſatisfactione interueniente, omnino neceſſarium fuit Deum hypoſtaticè naturam creatam intellectualem aſſumere. Ita docet Diuus Thomas hîc ad Secundum: Eſtq; communis Scholaſt. doctrina in 3. diſt. 20. Probatur Primò ex SS. Patribus: qui paſſim, quando hâc de re agunt, dicunt myſterium incarnationis fuiſſe neceſſarium ad humani generis cum Deo reconciliationem: quem tamen loquendi modum oportet limitatè intelligere ad ſenſum videlicet huius Concluſionis, & ſuppoſitâ potiſſimùm diuina ordinatione, quâ decreuerat non abſque iuſtitiæ ſatisfactione, iniuriam ſibi ab homine illatam remittere, vt non maneret peccati dedecus abſque decore iuſtitiæ. Chryſoſtomus Homilia 10. in Ioannem: Cecidit (inquam) natura noſtra eo modo, vt reſtitui nullo pacto poſſet à quocumque, niſi ab illâ omnipotentiſſimâ manu. Diuus Auguſt. cap. 108. Enchiridij: Neque per ipſum liberaremur mediatorem hominem Chriſtum, niſi eſſet verus Deus. Fulgentius de Incarnatione & gratia, cap. 4. Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens atque idonea fieret, niſi vnione Verbi Dei. Vide Cyrillum lib. 5 Theſauri cap. 7. Athan. de Incarn. Verbi circa principium. Cyprianũ ſermone de paſſione Domini, Hilarium lib. 9. de Trinit. & Leonem ſer. 1. de Natiuit.

Probatur Secundò ratione, quam hic 60
indicat D. Thomas ad Secundum: quia ad perfectam ſatisfactionem ſecundum rationẽ iuſtitiæ requiritur æqualitas inter rem ablatam ſiue fuerit pecunia, ſiue honor, ſiue aliud quippiã, & inter illud quod pro illâ redditur: atqui non poterat quiſquam qui perſonaliter Deus non eſſet, reddere Deo aliquid æquale pro honore læſo, & iniuriâ illatâ: ergò &c. Maior eſt certa & citra controuerſiam. Probatur minor: quia peccatum habet infinitatem quandam in genere iniuriæ ſiue contumeliæ ex magnitudine perſonæ offenſæ: quia proportionabiliter tantò grauior eſt offenſa, quantò dignior eſt perſona quæ offenditur: Per actum enim contumelioſum vilipenditur, & quaſi pro nihilo ducitur excellentia eius qui offenditur: imò ex affectu offendentis tollitur & deſtruitur: atqui perſona per peccatum læſa eſt infinitæ dignitatis ex intrinſecâ & ſubſtantiali perfectione ſuâ: eſt enim Deus ipſe: ergo peccatum in ratione iniuriæ eſt tantæ grauitatis, vt per quamcumque perſonam quæ Deus non eſt, nequeat ad æqualitatem iuſtitiæ reparari, aut exolui: vt enim ſecundũ iuſtitiæ rigorem compenſetur, & parti læſæ ad æqualitatem ſatisfiat, neceſſum eſt ei referri honorem in genere excellentiæ parem cũ magnitudine contemptus admiſſi: atqui eiuſmodi honorem æqualem nemo poteſt deferre qui non eſt perſona infinitæ dignitatis ſimpliciter & abſolutè: quia honor exhibitus præcipuam præſtantiam ſuã ſortitur à principio operante, ſeu perſona deferente: vt igitur ſit tantus, & ſufficiens ad iniuriam illatam perſonæ abſolutè & ſimpliciter infinitæ, atq; adeo ipſi Deo cõpenſandam ad æqualitatẽ, omninò neceſſariũ eſt, vt perſona ſui ſubmiſſione honorem reparans ſit ſimiliter infinitæ excellentiæ ſecundum eandem excellentiæ rationem, quâ perſona offenſa eſt excellentiæ infinitæ: quia ab aliâ perſonâ cuiuſcunque dignitatis quæ inferior ſit, nunquam actio honoraria accipiet tantam præſtantiam, quantam indignitatem recipit actio contumelioſa ex hoc quod in perſonã ſubſtantialitèr infinitam commmittitur: atqui nulla dari poteſt excellentiæ infinitæ eo modo quo Deus eſt infinitè excellens præter perſonam diuinam: ergo neceſſum fuit perſonam diuinã concurrere ad æqualem

reparationem, & reſtitutionem diuini honoris per peccatum ablati.

Quandoquidem verò perſona diuina, vt in naturâ diuinâ ſubſiſtens non poſſit ſe cuiquam ſubmittere, aut ſuperiorem recognoſcere; debeat autem iſta honoris diuini reparatio ſiue iniuriæ compenſatio, fieri
61 per perſonæ reparantis ſubmiſſionem erga Diuinam Maieſtatem, hinc neceſſarium fuit diuinam perſonam aſſumere naturam creatam intellectualem, vt in eâ ſubſiſtens, ſecundum illam poſſit ſe ſubmitere diuinæ maieſtati, eamque cultu debito honorare: quod Chriſtus Dominus excellentiſſimo modo fecit; quando humiliauit ſe & obediens vſque ad mortem, ſeipſum Deo Patri in arâ Crucis obtulit in ſacrificium.

62 Aliam rationem Concluſionis indicat D. Thomas loco citato, quæ deſumitur ab eo, quod peccatum primi parentis ſit quodammodo extenſione infinitum, quatenus in eo tota humana natura peccauit, quæ propagatione poteſt ad infinitos extendi, id eſt, ſemper ad plures & plures: ſed non videtur hæc ratio adeò premere, quia poſſet adduci ſatisfactio aliquouſque ſimiliter infinita, vt quæ exhiberetur à ſingulis naſcituris, potiſſimùm ſi gratioſè illos Deus donis ſuis præuenerit; vel etiam (vt quidam explicant) quia potuiſſet vnum aliquem, quem creaſſet ſanctum & iuſtum de nouo conſtituere Caput omnium hominum, & in eius arbitrio ponere voluntates omnium aliorum; vti poſuerat voluntates noſtras in voluntate Adami, vt quod bic præſtaret opus bonum & ſubmiſſionis cēſeretur omnium voluntate exhibitum, & ſic ſecundum extenſionem ſortiretur infinitudinem quandam ab illis, qui cenſerentur illud Deo exhibuiſſe: quæ infinitudo videtur ſatis æqualiter correſpondere huic allegatæ infinitudini extenſionis peccati.

63 Sed obijcitur: Quâ ratione peccatum accreſcere dicitur ex parte perſonæ offenſæ, & quaſi infinitudinem malitiæ contrahere, eadem poteſt etiam opus ſanctum, v. g. actus charitatis, dici creſcere & accipere quandam infinitudinem bonitatis: In neutro enim eſt infinitudo aliqua phyſica vel abſolutè dicta: in vtroque autem eſt quædam infinitudo ſecundum quid, quam habent ab obiecto circa quod verſantur; ergò poteſt opus aliquod ſanctum à perſonâ creatâ exhibitum tantæ eſſe bonitatis & dignitatis, quantæ malitiæ & culpæ eſt peccatum, & per conſequens poterit ſufficere vt ad æqualitatem compenſet pro iniuriâ Deo illatâ per peccatū. Reſpondetur, loquendo de bonitate intrinſecâ & malitiâ intrinſecâ actus præciſè in ſe conſideratis, vt actus habet bonitatem vel malitiam ab obiecto vt obiecto, poſſe admitti quandam proportionem inter malitiam peccati, & bonitatem actus contrarij; quia iſta malitia non eſt niſi priuatio bonitatis oppoſitæ; vnde ſecundum quandam proportionem videtur tanta, nec maior, quanta eſt bonitas quæ debebat ineſſe actui. Sed loquendo de illis actibus ſibi oppoſitis, quatenus vnus eſt iniurioſus & contumelioſus Deo; alter autem honorificus, & ſic ſatisfactorius pro iniuriâ illatâ in honore, Nego vllam inter qualemcumque actum bonum perſonę creatę, & peccatum mortale, reperiri proportionem ſecundum quam poſſet per hunc dici tantùm honoris Deo exhiberi aut reddi, quantùm iniuriæ & contumeliæ per alterum recepit.

Ad formam itaque argumenti Reſpondeo Neg. poſtremam Conſeq. quia magnitudo iniuriæ non præciſè attenditur, neque totaliter pēdet ex eſſentiali & phyſicâ malitiâ actus peccati, prout eſt priuatio bonitatis huius, vel illius debitæ ineſſe actui, ſed magis ab aliquo annexo, ſiue ab ordine & reſpectu ad ſuperioritatem hoc vel illud legitimè ordinantem, mandantem, aut prohibentem, ratione cuius fit, quod actus quo contrauenitur ordinationi & mādato, ſit quidam neglectus, & contemptus diuinæ maieſtatis, ac Deo ſit contumelioſus: vnde quia contemptus poteſtatis eſt iniuria tanto grauior in ratione culpæ, quanto poteſtas eſt excellentior, vt diximus, hic autē contemnatur maieſtas ſimpliciter infinita, hinc naſcitur quædam infinita iniuria, id eſt, iniuria eius rationis & ordinis, vt omnem ſatisfactionem, quam perſona creata poteſt exhibere, in infinitum excedat. Declaratur, quia in primis omnes actus creati, etiāſi ſupernaturales ſint, ac etiā immediatè circa Deum verſentur, tamen ex ſpecie ſuâ ſunt finitæ dignitatis, & valoris: quia obiectum vt obiectum dans actui ſpeciem, non tribuit illi totam bonitatem, quam ipſum habet, ſed ſecūdum modum & menſuram: & proinde iſti actus ex ſpecie ſuâ, non habent ſufficientem dignitatem ad diuinam iniuriam reparandam. Deinde ex reſpectu ad perſonam cui deferuntur, nō videntur accipere peculiarem præſtantiam aliâ ratione, quàm quâ contingit perſonam iſtam ſimul eſſe obiectum eorundē, tribuens illis determinatam rationem virtutis & bonitatis: obiectum autem non ſic afficit formaliter aut quaſi formaliter actū vt ei tribuat totam excellentiam quam in ſe habet, vt modo diximus: quemadmodum tamen è contra perſona digna & excellens cui contumelia infertur, afficit actū iniurioſum: ſed eo modo afficit & influit in actū honorarium, principiū ipſum eliciens, ſiue

ſiue perſona deferens honorem alteri, quæ quia finita & creata eſſe hic ſupponitur, quantumcumq; donis augeatur, nunquam tamen poteſt pertingere ad excellentiam perſonæ ſubſtantialiter infinitæ, vt eſt Deus: & proinde licet ſic totam ſuam dignitatem, quantâcumq; gratiâ auctam influat in actum ſuum, eamque totâ illi tribuat, non poteſt tamen illi præſtare excellentiam tantam, vt actus ille Deo tam ſit honorificus, quàm fuerit peccatum illi iniurioſum: quia perſona deferens bonorem non haber excellentiam æqualem excellentiæ perſonæ læſæ.

65 Ex dictis quoq; poteſt intelligi: Quare actus procedẽs à gratiâ ſanctificante poſſit habere ſufficientem proportionẽ, & moralẽ æqualitatẽ in ratione meriti ad obtinendam nouã gratiam, & conſequenter gloriam, non autẽ queat in eo inueniri tanta æqualitas in ordine ad ſatisfaciendum Deo pro iniuriâ illatâ: ratio enim eſt, quia meritum reſpicit prœmium eiuſdem ordinis, & connaturale gratiæ, quæ naturâ ſuâ eſt ſemen gloriæ: at ſatisfactio verò reſpicit perſonam læſam, quæ ſimpliciter eſt infinita, cum quâ nulla perſona creata bonorem rependens, quantumcunq; per gratiam ſanctificata poteſt habere proportionem in ratione dignitatis & excellentiæ.

66 Sed replicabit aliquis: Spiritus Sanctus eſt principium bonorum operum, qui æqualis eſt excellentiæ cum Patre & Filio; ergò opera bona poterunt eâ ex parte dici habere ſufficientem proportionem cum iniuriâ per peccatum illatâ, vt ad æqualitatem pro illâ ſatisfaciant. Reſp. Spiritum S. eſſe quidem principium bonorum operum quibus nos ſubmittendo Deum honoramus, atque adeò etiam inhabitare Sanctos ſecundum Scripturam ſacram, non tamen cõiungi eâ habitudine, neque vniri Sanctis, vt dum ipſi colunt Deũ ſe illi ſubmittendo, & pro Deo & Domino ſuo illũ recognoſcendo, quòd tum ipſa perſona Spiritus Sancti cenſeatur aut dici poſſit ſe ſubmittere Deo, ipſumque recognoſcere Dominum ſuum: quemadmodũ perſona Filij, quando Chriſtus Dominus Patrem ſuum honorificabat, & Deum & Dominum ſuum recognoſcebat. Et propterea opera bona quæ modo dicto proficiſcuntur à Spiritu Sancto, non habent eam vim ſatisfaciendi Deo, & honorem iniuriæ per peccatum illatæ parem illi reſtituendi, quam habent actiones Chriſti Domini.

ARTICVLVS III.

Vtrùm, Si homo non peccaſſet Deus Incarnatus fuiſſet?

67 MVlti Doctores, præſertim ex recentioribus, exiſtimant Deum aſſumpturum fuiſſe humanam naturam etiamſi homo non peccaſſet: idque ob proprias & intrinſecas congruentias, ac excellentias huius myſterij, quas Deum volunt primò & principaliter in filij ſui incarnatione attendiſſe, quæ ſatis poſſunt colligi ex dictis ſupra art. 1, circa Concluſionem eiuſdem, & art 2, Concluſione 3. tamen Reſponſio D. Thom. hîc eſt negatiua, Chriſtum videlicet in carne non venturum, ſi homo in peccatum non fuiſſet prolapſus. Quæ ſententia longè videtur Scripturis & Sanctis Patribus conformior: loquitur enim Scriptura eo modo vbique de hoc myſterio, vt vix ſinat lectorem, qui contrariâ opinione non eſt præuentus, vel aliud ſuſpicari. Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt &c. vt conſummetur prævaricatio & finem accipiat peccatum*: Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat* Matth. 18. & Ioannis 3. dicitur Deus dediſſe filium ſuum, vt mundus non pereat, ſed ſaluetur per ipſum, Similia habentur Ioannis 10. ad Galat. 4. 1. ad Timotheum 1. & paſſim per totum nouum Teſtamentum ſignificatur cauſa aduentus Chriſti fuiſſe peccatũ. Vnde & ſymbolum Nicænum habet, Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & canit Eccleſia in benedictione Cerei paſchalis: O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod talem ac tantũ meruit habere Redemptorem: quo ſatis inſinuare videtur Adæ peccatum fuiſſe principale motiuum huius Myſterij, licet inde plurima alia commoda & ornamenta tum ad ipſam humanam naturam, tum ad totum Vniuerſum, dimanauerint: vt ex dictis ſupra colligitur. Poteſt idem confirmari ex parabola de centum ouibus Lucæ 10. vbi Paſtor dicitur reliquiſſe 99. in deſerto, vt quæreret centeſimam: ſignificando quomodo Chriſtus de cælo deſcenderit, vt quæreret in terra hominem perditum.

In eandem ſententiam nos impellunt Sancti Patres: Athanaſius ſer. 3. de Filio: Neceſſitas, inquit, indigentiaque hominis prior eſt quàm eius natiuitas, quâ ſublatâ carnem non induiſſet: & infra: Coæternum (videlicet Verbum) vt fieret homo nunquam deſtinatum fuiſſet, niſi neceſſitas hominum poſtulaſſet: Greg. Nazianz. orat. 2. de filio, Quæ cauſa, inquit, fuit naturæ humanæ, quam noſtrâ cauſam ſubijt, nonne noſtra ſalus? quid enim dicemus aliud? 68

Auguſt. ſerm. 9. de verbis Apoſtoli: Nulla fuit veniendi cauſſa Chriſto, niſi ſaluos facere peccatores: Leo ſerm. 3. de Pœnitentia; Si homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus in ſuæ naturæ honore manſiſſet, creator mundi, creatura non fieret.

69 Probatur denique ratione quâdâ Theologicâ: omnia enim quæ Chriſtus in carne geſſit videntur ſignificare myſterium incarnationis primò & principaliter ad hominis redemptionem ordinatum & perfectum fuiſſe: hinc namque aſſumpſit Deus potius naturam humanam, quàm Angelicam: ideò corpus paſſibile: ideò tali tempore & loco: eò omnes non tantùm paſſiones, ſed & actiones eius referri videntur: nihil enim ex omnibus quæ per ipſum, vel circa ipſum geſta ſunt, ſignificat illum ob alium finem principaliorem in carne apparuiſſe. Accedit quod & hoc pacto, magis demonſtratur Dei erga hominem dilectio, quòd non tantùm corporis conditiones in noſtri gratiam mutauerit (vt alij volunt) aſſumendo videlicet corpus paſſibile, cum alioquin venturus erat in carne impaſſibili, ſed abſolutè cauſſa noſtræ ſalutis ſeſe exinaniuerit formam ſerui accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

70 Sed Obijcitur Primò: ad Coloſſ. c. 3. dicitur Chriſtus *primogenitus omnis creaturæ:* id eſt, prædeſtinatus (inquiunt) ante præordinationem creaturarũ: ergo &c. Reſp. N. C. & iſtam expoſitionem: Dicitur enim Chriſtus primogenitus omnis creaturæ; quia genitus ex patre ante omnem creaturam; quod illi conuenit vt Deo, non vt homini: quemadmodũ ibidem de illo dicitur: quod ſit *imago Dei inuiſibilis*. Patet ſatis ex adiunctis: oſtendit enim Apoſtolus illũ eſſe primogenitum omnis creaturæ, quia omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & omnia in ipſo conſtant, id eſt, conſeruantur: poſteà tamen explicatâ excellentiâ Chriſti ſecundum diuinitatem, progreditur ad excellentiam quæ ſecundum humanitatem illi competit: vt quod ſit Caput Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis, vt ſit ipſe ſic in omnibus primatum tenens. Diuus Cyrillus tamen lib. 1. Theſauri cap. 3. & Athan. ſerm. 3. contra Arrianos, interpretantur Chriſtum primogenitum omnis creaturæ: quia omnes per eum ius filiorum, adoptionemque conſequuntur, atque ita videntur locum citatum intelligere de Chriſto ſecundum humanitatem, ſed vt dignitate & meritis dicatur primogenitus, quod Concluſioni noſtræ non aduerſatur.

71 Obijcitur Secundò: Incarnationis myſterium fuit reuelatum Adæ, Geneſ. cap. 2. quando à ſopore ſibi diuinitus immiſſo excitatus prophetice dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. Illis enim verbis ſignificatum fuiſſe, magnum ſacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſiâ docet Apoſtolus ad Epheſios c. 5. quod de coniunctione ſecundum carnem intelligunt paſſim ſancti Patres: atqui non erat tunc Adam conſcius lapſus ſui, ergo licet non peccaſſet, fuiſſet nihilominus Chriſtus incarnatus. Reſpondetur Neg. conſ. nihil enim prohibet alicui reuelari effectum, cui non reueletur cauſa. Vnde potuit primò homini reuelari Incarnationis myſterium abſque eo quod eſſet præſcius ſui caſus.

Sed replicabit aliquis: D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. in Corpore dicit, hominem ante lapſum habuiſſe explicatam fidem Incarnationis, vt ordinabatur ad conſummationem gloriæ: ergò credebat Adam in Chriſtũ etiam vt authorem, à quo ſiue per quem accepiſſet gratiam: quia non videtur ab aliquo, ſiue per aliquem ſperanda conſummatio gloriæ, qui non eſt etiam auctor gratiæ, cum gratia ſit veluti gloriæ ſemen. Quod ſi Chriſtus author erat gratiæ, & gloriæ ante peccatum, conſequens eſt Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi Adam in peccatum non cecidiſſet. Confirmatur: quia inde probat Diuus Thomas Adamum habuiſſe explicatam fidem Incarnationis vt ordinabatur ad conſummationem gloriæ, quia propriè & per ſe pertinet ad obiectum fidei id, per quod homo beatitudinem conſequitur: voluit igitur D. Tho. quod Adam crediderit in Chriſtum ranquã per quem erat beatificandus: ergò &c. 72

Reſpondetur Neg. Primam Conſeq. & ratio eſt, quia potuit Adam credidiſſe in Chriſtum, ſecundum quod ipſe ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non iuxta eam habitudinem, quâ ipſe hominibus gratiam & gloriam promeretur, ſed quatenus Chriſti hominis intuitu, & aſpectu homines ſunt perfectè & plenè beatificandi, ſecundum illud Auguſtini in Enchirid. cap. 25. Deus propter homines factus eſt homo, vt vterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, & reficeretur, oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt ſiue egrediens, ſiue ingrediens, in ipſo paſcua inueniret humana natura ab ipſo condita. Credidit ergo in Chriſtum prout ordinabatur ad conſummationem gloriæ per modum obiecti, in cuius aſpectu beatificaretur. Neque aliud videtur voluiſſe D. Thomas: quod enim aſſumit illud propriè & per ſe ad obiectũ fidei pertinere per quod homo beatitudinem conſequitur, rectè ita accipitur, vt Præpoſitio *per* non ſignificet habitudi- 73

bitudinem cauſæ efficientis, aut meritoriæ, vel medij ſiue viæ; ſed generaliter vt etiam habitudinem obiecti comprehendat. Quod poteſt confirmari ex loco ad quem ſe ibidem refert Diuus Thomas, videlicet ex quæſtione 1. art. 6. ad 1. eiuſdem Partis, vbi ſic ait: Quia verò fides principaliter eſt de his quæ videnda ſperamus in patria, iuxta illud ad Hebræos 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*, ideò per ſe ad fidem pertinent, quæ directè nos ordinat ad vitam æternam, vt ſunt tres perſonæ omnipotentis Dei &c.

74 Ad hunc ergo modum: Quia præuiſo lapſu, Chriſtus ordinabatur non tantùm ad peccatum tollendū, ſed etiam, vt homo ſecundum vtramq; partē (vt ex Aug. diximus) in eo beatificaretur, potuit Adā ante lapſum credere in Chriſtum, tanquā per quem obiectivè conſummaretur eius gloria: & ſecundum hoc etiam tanquam in Caput hominum, & Angelorum, non quidem tanquam per quem accepiſſent iuſtitiam & ſanctitatem: ſed tanquam à quo omnes illuminandi eſſent, & beatificandi in cælis.

75 Sed replicabit aliquis, quòd D. Thomas hoc loco ſubſumat: Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem eſt myſterium Incarnationis, & paſſionis Chriſti: ergo videtur velle quod Adam fidem habuerit illius myſterij, quatenus fuit via ad beatitudinem, non autem quatenus humanitas Chriſti ſpectat obiectivè ad conſummationem gloriæ. Reſpondetur Neg. Conſ. Quia D. Thomas non vult Adamum ante peccatum habuiſſe cognitionem paſſionis Chriſti, neque liberationis à peccato per Chriſtum: ſed tantū Incarnationis; & tamen præcipuè ſecundum paſſionem habuit hoc myſterium rationem viæ, ac medij ad beatitudinem: Subſumit ergo Diuus Thom. eo modo in ordine ad id, quod potiſſimùm concludere intendebat, videlicet quod omni tempore & apud omnes poſt peccatum fuerit neceſſaria aliqualis fides Incarnationis Chriſti, vt ſatis colligitur ex Scripturis, quas ad ſubſumpti probationem adducit, & ex verbis Auguſtini, quæ ad eandem rem allegat: adiungit tamen per occaſionem Diuus Thom. Adam etiam ante peccatum habuiſſe fidem myſterij Incarnationis modo explicato, quod ne quidem aſſeuerantet dicit: quia ſic loquitur: Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe &c. vbi dum dicit, Videtur, innuit ſe hoc non omnino reſolutè affirmare.

76 Obijcit denique Scotus ex his ſequi Incarnationem Chriſti eſſe bonum occaſionatum, quod videtur abſurdum. Reſpondetur, nullum eſſe incommodum, Incarnationem dici bonum occaſionatum hoc ſenſu: quia alterius occaſione ipſa à Deo ordinata eſt, alioquin non ordinanda: non autem quaſi per accidens & præter Dei intentionem eſſet facta.

ARTICVLVS IV.

Vtrum principaliùs Chriſti Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale.

CONCLVSIO Diui Thomæ eſt: Chriſtus venit ad tollenda omnia peccata, iuxta illud 1. Ioan. c. 1. *Et Sanguis* IESV *Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato:* & ad Rom. 5. *Non ſicut delictum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem:* principaliùs tamen venit ad tollendum peccatum originale: hoc enim magis videbatur poſtulare remedium, magiſque excitare diuinam miſericordiam, eo quod eſſet vniuerſale & totam humanam naturam inficeret, ac traheret in perditionem: bonū autem gentis, vt ex Philoſopho citat D. Thomas, eminentius & diuinius eſt, quàm bonum vnius. An autem Chriſtus venturus fuiſſet, ſi tota natura in origine ſuâ non fuiſſet infecta, ſed tantū ex poſteris Adæ aliqui perſonaliter peccaſſent, poteſt dubitari. Res nobis incerta eſt: videtur autem pars negatiua probabilior, quia Sancti Patres hanc potiſſimum rationem vrgent, quare hominibus datus ſit Redemptor, non autem Angelis, quia tota humana natura à fine ſuo exciderat irrecuperabiliter, niſi interueniret Mediator, non autē ſic tota natura Angelica: vnde probabiliter colligitur ex ſenſu Sanctorum Patrum, Chriſtum quoque non venturum, niſi totum genus humanum perijſſet. 77

78 Sed obijcitur: Apoſtolus ad Galat. cap. 2. de Chriſto ſcribit, *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me;* ergo videtur quod licèt vnus ſolus mortaliter peccaſſet, quod Chriſtus erat venturus. Reſpondetur Neg. Conſ. quia Apoſtolus non aliud ſignificat, quàm Chriſti dilectionem, & redemptionem ita perfectè prodeſſe ſingulis, ac ſi pro ſingulis ſeorſim Chriſtus mortuus eſſet, ideoque illi tantas gratias agendas à quolibet, quàm ſi pro quolibet ſeorſim mortuus eſſet: quamuis inſuper neque de hoc videatur dubitandum, quin Chriſtus pro exi-

videlicet) *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; iure itaque hæreditario, veræ videlicet & propriè dictæ ex Deo Patre generationis ratione, poſſidet Chriſtus nomen filij, & proinde eiuſdem cum Patre eſt naturæ: alioquin & Sancti, & Angeli boni dicuntur etiam filij Dei in Scripturis ſanctis, ſed aliâ inferiori multò ratione. Ioannis 5. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*, quod poſterius, Diuus Ioannes ex ſententia ſua adiungit. Vide cap. 10. eiuſdem & 20. c. 1. & 9. ad Rom. cap. 2. ad Coloſenſes, & cap. 5. 1. epiſtolæ Ioannis, quibus locis aperte ſignificatur, quod Chriſtus ſit Deus.

3 Confirmatur idem, quia plurima loca, vbi in antiquo Teſtamento, aliqua Deo attribuuntur, applicant Euangeliſtæ, & Apoſtoli in nouo Teſtamento Chriſto Domino, vt quod Pſal. 67. de Deo dicitur, *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem*, &c. exponit Apoſtolus ad Epheſ. 4. de Chriſto. Quod Eſaias c. 6. dicit, *Vidi Dominum ſedentem in ſolio*, &c. applicat Diuus Ioannes cap. 12. ſimiliter Chriſto, quod de eo Eſaias loquutus ſit quando vidit viſionem, item Eſaiæ 40. c. Præcurſor dicitur paraturus viam Domino, quod exponitur de Chriſto, Matth. c. 3. & Ioan. 1. Rurſum Eſaiæ 45. dicit Dominus, *Mihi curuabitur omne genu*, quod ad Chriſtum applicat Apoſtolus ad Rom. 14. Num. 21. populus murmurat contra Deum, & Apoſtolus 1. ad Cor. 10. dicit, Eam murmurationem fuiſſe contra Chriſtum, Exodi 20. dicitur Deus educere populum de Ægypto, & in epiſtola ſua Canonica dicit Iudas, Chriſtũ hoc feciſſe, quem etiam addit, non pepercisſe Angelis peccantibus. Tertiò attribuunt Scripturę ea Chriſto quæ Deo propria ſunt: vt habere eſſe æternum: Significat hoc Apoſtolus ad Hebr. c. 13. quando ait: *Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſecula.* Chriſtus ipſe Ioan. 8. quando de ſe dicit: *Antequam Adam fieret ego ſum*: item, portare omnia verbo virtutis ſuæ, eſſe ſplendorem gloriæ, & figurã ſubſtantiæ Patris, ad Heb. 1. eſſe principium, Ioan. 8. eſſe vnum cum Patre, Ioan. 10. mittere Spiritum Sanctũ, Ioan. 16. eſt igitur manifeſtum ex Scripturis Chriſtum eſſe verum Deum.

4 Quod autem quoque ſit verus homo ſatis clarè Scriptura docet, quę paſſim vocat illum Filium hominis, recenſet eius originem, Conceptionem: Natiuitatem, Matrem eius: affirmat eum Apoſtolus factum ex muliere, ad Galat. 4. factum ex ſemine Dauid, ad Rom. 1. refert eum ambulaſſe, fatigatum fuiſſe, eſurijſſe, manducaſſe, fleuiſſe, paſſum, mortuum, habere carnem, & oſſa, & ſimilia: eſt igitur verus homo. Si autem ſit verus Deus, & verus homo, vt demonſtratum eſt, debent formaliter in eo reperiri ambæ naturæ, diuina & humana, neutra ergò in alteram tranſmutata eſt, nec vtraque in vnam tertiam.

Probatur autem Concluſio Secundò: Quia natura diuina eſt omnino immutabilis, vt non poſſit à parte rei incipere vel deſinere, neque ſimpliciter, neque ſecundum quid; atqui nulla ex dictis mutationibus fieri poteſt, niſi etiam aliquo modo à parte rei immutaretur natura diuina; ergo &c.

Dicet aliquis: Tametſi natura diuina non poſſit conuerti in humanam, neque in aliquam tertiam abſque ſui mutatione, tamen videtur aliquid poſſe conuerti in illam, ſine eius mutatione. Confirmatur: 5
Quia per conſecrationem conuertitur panis in Corpus Chriſti abſque corporis Domini mutatione. Reſpondetur Neg. Aſſ. quia neceſſarium eſt vt illud, in quod conuertitur aliud, ſit intrinſecus terminus illius conuerſionis, & conſequenter acquirat aliquod eſſe vel aliquem nouum modum, aut nouam dependentiam prioris ſui eſſe: quia cum conuerſio ſit vera actio, non tantùm corruptiua, ſeu priuatiua, ſed etiam poſitiua tendens ad terminum poſitiuum, impoſſibile eſt, quin aliquid noui ponat in eo in quod conuerſio fit. Ad Confirmationem itaque dicendum eſt, in corpore Chriſti poni nouam præſentiam vel dependentiam, & idcirco etiam aliquam mutationem, loquendo de mutatione generaliter ſcilicet prout comprehendit quamcumque inceptionem vel deſitionem rei in aliquo reali eſſe ſimpliciter vel ſecundum quid: cuiuſmodi mutationis etiam omnem modum excludit Dei immutabilitas: vt docet Zuarez hîc in Commẽtario articuli. Sed iſta in Tract. de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 75. art. 4. latiùs examinabuntur.

Sed contra Concluſionem obijcitur: c. 6
1. Ioan. dicitur, *Et Verbum caro factum eſt*; atqui hoc videtur ſignificare conuerſionem Verbi in carnem. Confirmatur à ſimili, quia quando Ioan. 2. dicitur aqua vinum facta, ſignificatur aquam fuiſſe cõuerſam in vinum; ergò &c. Reſp. Neg. Subſ. dicitur enim Verbum caro factum, non quia in carnem tranſijt: Hoc enim impietatis eſt vltimæ, inquit Chryſoſt. ſuper Ioannem, ſed quia carnem, ſiue humanã naturam à parte denominando totum, ſibi in vnitate perſonæ copulauit. Generaliter namque loquendo vt vnum ſuppoſitum dicitur quiddam aliud fieri, non eſt neceſſe vt in illud tranſmutetur, ſed ſufficit quod

quod ſibi vniat vel acquirat formam ſiue naturam illius: ſic dicitur homo fieri ſanus, non quod humanitas in ſanitatem conuertatur, ſed quia ſanitatem acquirit. Vnde D. Gregor. lib. 9. epiſt. 61. ſcribit: Verbum carnem dicimus factum, non immutando quod erat, ſed ſuſcipiendo quod non erat: noſtra auxit, ſua non minuit.

7 Ad confirmat. Reſpon. non omnem locutionem ſimilem quoad externam verborum formam, importare ſemper eandem terminorum inter ſe habitudinem; ſed ſæpius ſignificare habitudines longè diuerſas: dicitur enim ad Galat. 4. *Factus pro nobis maledictum*, (ſcilicet Chriſtus) non quod ſubſtantialiter aut formaliter ſit verſus aut mutatus in maledictum; ſed quia pro maledicto habitus fuit, quando pendebat in ligno Crucis. Ex ſubiectâ igitur materiâ, & circumſtantijs loci, diiudicandum eſt de qualitate habitudinis terminorum, & ex illis frequenter euidens fit conformium locutionum in externo modo ſermonis diuerſos eſſe ſenſus. Quod ad præſens ergo inſtitutum attinet, ex circumſtantijs ſecundi loci manifeſtum eſt, ſenſum illius propoſitionis: *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam*, hunc eſſe, quod aqua ſit mutata in naturam vini. E contra autem ex circumſtantijs & ſubiectâ materiâ euidens eſt, non poſſe ſimilem ſenſum reddi primi loci, tum quia ſtatim ſubijcitur, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, tum quia alia multa ſequuntur, quæ apertè ſignificant Verbum non amiſiſſe ſuam naturam, & diuinitatem, & proinde non in carnem tranſiuiſſe eo modo, quo aqua vinum facta dicitur.

8 Conclvsio Secunda: Neque vnione verbi incarnati cum humanâ naturâ, factum eſt, quod ex naturâ diuinâ & naturâ humanâ, (his in ſuo formali eſſe permanentibus) reſultauerit vna tertia natura completa, quemadmodum ex materiâ & formâ naturali reſultat vnius naturæ compoſitum. Eſt certa: Probatur, quia natura diuina & humana non ſunt entia partialia, & imperfecta ordinata ad vnam naturam perfectam componendam: ſed ſunt entia integra, completa, & perfecta: ergo ex ipſis, modo dicto non poteſt vna natura conſtitui.

Confirmatur: quia non poteſt concipi huiuſmodi compoſitio, niſi fingendo naturam diuinam & humanam tanquam partes ſubſtantiales vnius naturæ, ſiue per modum partium eſſentialium, videlicet materiæ & formæ, ſiue per modum integralium, ſimul concurrere: atqui neutrum fieri poteſt: non poſterius, quia partes integrales debent eſſe quantæ, quod à natura diuina alienum eſt: non etiam prius, quia non tantum perfectioni completiſſimæ naturæ diuinæ repugnat habere rationem partis, & cauſare materialiter, vel formaliter, propter imperfectionem quam hi cauſandi modi ſecum adferunt; ſed etiam repugnat naturæ humanæ, vtpote quę omnium Philoſophorum iudicio in ratione naturæ eſt ens perfectum, nullo modo ordinatum ad completam aliam naturam conſtituendam; ergo &c.

Obijcitur: SS. Patres ſæpiùs comparant hanc vnionem Verbi & Carnis cum coniunctione corporis, & animæ: vt Athan. in ſuo Symbolo: Iuſtinus Martyr in expoſitione fidei: Leo epiſt. 11. & alij; atqui corpus & anima ſic coniunguntur, vt ex illis reſultet vna natura; ergo ſic etiam vniuntur Verbum & Caro. Reſpondetur cum Damaſceno lib. 3. cap. 26. & Cyrillo lib. de Incarn. cap. 7. In exemplis quibus hoc myſterium explicatur non eſſe per omnia exactam ſimilitudinem quærendam: quia exacta in nullo altero reperiri poteſt: aliàs hoc myſterium ſingulare non eſſet: quin potius, ait S. Hilarius lib. 10. de Trinitate, exempla quæ ad hoc myſterium explicandum adferri ſolent, ſunt in pluribus diſſimilia, quàm ſimilia. In exemplo igitur adducto eſt ſimilitudo quædam, ſed multas habet diſſimilitudines adiunctas: ſimilitudo in duobus conſiſtit, primò in hoc, quod ſicuti corpus & anima, quamuis diuerſæ rationis ſint, in vnâ tamen perſonâ conueniunt, ſic natura diuina, & natura humana, licet diuerſiſſimæ ſint rationis & ſubſtantiæ, in vna tamen copulentur perſona. 9

Vbi nihilominus naſcitur mox magna differentia: nam iſtæ ſunt res imperfectæ, 10 & ex conditione ſuâ partes eſſētiales; vnde non tantum vnam perſonam, ſed etiam vnam naturam conſtituunt: natura verò humana & diuina ſunt naturæ integrę & perfectę, ideoque minimè ordinatę ſunt ad vnum quid componendum. Deinde, iſtę ſingulę habent partiales duntaxat exiſtentias, & partiales ſubſiſtentias, vtpote ex ſuâ ratione inſtitutę ad ens completum conſtituendū; hę autē ſingulę, vtpote quę ſunt entia perfecta, ita quoque ex ſuâ ratione habere natæ ſunt totales exiſtentias; quamuis interim humana natura in Chriſto non habeat omne ſuum naturale complementum ob defectum propriæ ſiue creatæ ſubſiſtentiæ. Vnde quoad ſubſiſtentias, natura quidem diuina in illo habet perfectiſſimam ſubſiſtentiam ſuam naturalem, videlicet perſonalitatem Verbi: humana verò non habet propriam & à ſe emanantem ſubſiſtentiam, quia locum eius ſupplet

ſupplet ſubſiſtentia Verbi, quæ humanam Chriſti naturam ſuſtentat & terminat eius eſſe.

11 Obijcitur ſecundò: Cyrillus Alexand. epiſt. 1. ad Succeſſum ſcribit, Non oportere intelligere duas naturas, ſed vnam naturam Verbi Dei incarnatam: & poſt Cyrillum ſcribit Damaſcenus, Vnam naturam Verbi Dei incarnatam confitemur: ergò verè vnio facta eſt in naturâ ad ſenſum articuli Diui Thomæ. Reſpondetur Neg. Conſeq. Ad verba autem allegata quod attinet, in primis in Concilio Calcedonenſi, quidam ex Patribus dixerunt, priora iſta, videlicet, non oportere in Chriſto intelligere duas naturas, eſſe verba Eutichetis, non Cyrilli, ſed Cyrillo ſuppoſitâ: alij verò admittebant eſſe Cyrilli, ſed cum aliunde de mente & ſententiâ Cyrilli ſatis conſtet, ea ſano ſenſu eſſe interpretanda, prout etiam illa interpretabantur; puta, quod non ſint duæ naturæ cum duabus ſubſiſtentijs, vt volebat Neſtorius.

12 Ad illa verò quæ ſequuntur, Reſpondetur: Neque Cyrillum, neque Damaſcenum affirmare ſimpliciter eſſe in Chriſto vnam naturam tantum, ſed cum addito, eſſe vnam naturam Verbi Dei incarnatam; quo loquendi modo, non ſtatuunt ſimpliciter vnicam naturam; ſed potius duas agnoſcunt: videlicet diuinam propria perſonalitate ſubſiſtentem, quæ incarnata dicitur; & humanam cuius videlicet aſſumptione, & perſonali ſuſtentatione diuina dicitur incarnata, quia diuina natura incarnata importat ſubſiſtētiam aliquâ eius naturæ humanæ cōmunicatâ. Vide Damaſc. lib. 3. de Fide c. 5. & Pet. Diac. de gratia Chriſti c. 2. & Conc. Conſtantin. can. 8.

13 Ex dictis clarum euadit, ad articulum Diui Thomæ eo ſenſu quo proponitur, negatiuè eſſe reſpondendum, vnionem ſcilicet Verbi incarnati non eſſe in natura factam; & proinde Chriſtum Dominum non tantùm ex duabus naturis, vt contendebat Euriches cum ſuis ſectatoribus; ſed etiam in duabus naturis ſubſiſtere: quia non eſt compoſitus ex duabus naturis tanquam materiâ tranſeunte ſcilicet ſiue alterâ, ſiue vtraque naturâ amittente ſuam propriam rationem: neq; etiam tanquã ex partibus vnam naturam totam per ſe conſtituentibus: ſed conſtat duabus naturis perfectis, ac in ſuo formali eſſe poſt myſterium incarnationis, permanentibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm vnio Verbi incarnati ſit facta in perſona?

NOn hic formaliter, & directè quæritur: An id cui proximè vnita eſt natura humana ſit perſona? ſed, an ita ſit facta hæc vnio, vt per eam non reſultauerit noua aliqua perſona, ſed perſona Verbi præexiſtens ſit incarnata? quæ duo, licet valde ſint connexa vt non poſſint omninò ſeiungi, tamen idem prorſus non ſunt: vnde prius illud tractat D. Th. q. 3. poſterius autem explicat hoc loco. 14

CONCLVSIO Diui Thomæ eſt: Vnio Verbi incarnati facta eſt in perſona. Probat eam hoc modo, ſi natura humana non ponatur vnita Verbo in perſona, ſequitur, quod nullo modo ſit illi vnita: hoc autem eſt tollere Incarnationis myſterium, & deſtruere totam fidem Chriſtianam; ergo dicere oportet illam vnionem factam in perſona. Maiorem propoſitionem probat; quia quidquid ineſt alicui perſonæ, ſiue pertineat ad naturam illius ſiue non, vnitur ei in perſona; ergo &c. 15

Vbi notandum eſt, vt id quod D. Thomas hic tanquam principium indubitatum videtur aſſumere, habeat veritatem, & accommodari poſſit propoſito eius probando, ſic debere explicari & intelligi: quòd ſcilicet, omne illud quod alicui perſonæ ita eſt coniunctum, vt ab eo ſubſtantialiter & ſubſtantiuè, aut quouis modo intrinſecè perſona ipſa denominetur, hoc neceſſū ſit ei vniri in perſona, ita videlicet vt neq; alterum ſuppoſitum ſit, neque nouam perſonã conſtituat; atqui tali modo natura humana coniungitur Verbo, vt ab ea dicatur ſubſtantialiter & ſubſtantiuè homo, vt modò latiùs declarabitur; ergò &c. Dico, Quod ſic perſonæ vnitur, vt ſubſtantialiter & ſubſtantiuè, aut quouis modo intrinſecè perſonam denominet; quia veſtis quidem vnitur perſonæ, & non in perſona; aſt non ita illi vnitur, vt ab eâ denominetur ſubſtantialiter & ſubſtantiuè, aut modo aliquo intrinſeco. 16

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm in Chriſto vna tantum ſit perſona, an plures?

REſpondetur & ſit Concluſio vnica: In Chriſto Domino vero Deo & vero homine, vna tantummodo eſt perſona in duabus naturis ſubſiſtens. Eſt de fide contra Neſtoreum & antiquiores quoſdam hæreticos Ebionem & Cherintum, de quibus loquitur Ioannes cap. 4. 1. epiſt. dum ait: *Omnis Spiritus, qui ſoluit* IESVM (id eſt in duas perſonas diuidit) *Ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus*: hi enim conſtituebant duas in Chriſto perſonas, diuinam videli- 17

Digitized by Google

videlicet & humanam: illam dicebant eſſe Verbum Dei, hanc autem vocabant IESVM quas volebant ſibi inuicē vniri ſolummodò per ſingularem affectum, & excellentiora gratiæ dona communicata perſonæ humanæ, quorum ratione IESVS vocaretur ſpeciali modo templum Dei, filius Dei, ac etiam Deus, non per ſubſtantiam, ſed per donorum participationem, & amorem ſingularem. Damnatur hæc hæreſis ex profeſſo in Conc. Epheſino Can. 3. & 4. & in Chalced. act. 1. & in Synodo 5. generali Collatione 8. Can. 2. ac in Symbolo Athanaſij vbi dicitur: Sicut anima & caro, vnus eſt homo, ita Deus & homo, vnus eſt Chriſtus.

18 Probatur Primò ex Scripturis in quibus vnus & idem à parte rei exiſtens ſignificatur eſſe verus Deus & verus homo: quia huiuſmodi ſermones veri eſſe non poſſunt, niſi ratione vnius & eiuſdem perſonæ in duabus naturis ſubſiſtentis.

Confirmatur, Quia duæ formæ quæ in abſtracto non prædicantur de ſe inuicem, non prædicantur quoque in concreto, niſi propter coniunctionem in eodem ſuppoſito, vt in albedine & dulcedine, in luce & calore videre eſt: ſic autem in propoſito ſe habent diuinitas & humanitas, quia vna non eſt altera, & tamen Deus verè dicitur homo, & homo Deus; ergo id fit propter coniunctionem talium naturarum in eadem perſona: rurſum duæ ſubſtantiæ integræ accidentaliter aut extrinſecè vnitæ non denominant ſe ſubſtantiuè, ſed adiectiuè tantùm: vt quando homo dicitur veſtitus, ferrum ignitum; non autem homo dicitur veſtis, aut ferrum ignis; atqui in propoſito denominatio eſt ſubſtātiua, quia Deus dicitur homo, & non humanatus tantū, vt ſic loquar: Similiter homo dicitur Deus, & non tantū Deifer, vt volebat Neſtorius; ergò illæ duæ naturæ integræ debent eſſe ſubſtantialiter vnitę in eâdem perſonâ, & non ſolum accidentaliter quouis modo coniunctæ.

19 Probatur Secūdò: Pronomina Ego, Tu, Hic, Ille, &c. ex vi ſuæ ſignificationis accipiuntur pro perſona; atqui in Scriptura ſacra ſæpius hæc pronomina vnâ eâdemque demonſtratione demonſtrant Deum & hominem; ergò debet vna eſſe perſona Deus & homo. Declaratur ſubſumptum Matth. 16. petit Chriſtus: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Deinde, *Vos autem quem me eſſe dicitis.* Reſpondet Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Vbi manifeſtè pronomen, Me, demonſtrat eundem, quē Chriſtus vocabat Filium hominis in prima interrogatione: deinde illud, Tu, in reſponſione Petri manifeſtè demonſtrat eundem quem pronomen, Me, in ſecunda interrogatione Chriſti. Vera autem & laudata Petri confeſſio habet illam perſonam deſignatā in Pronomine, Me, eſſe Filium Dei, quam Chriſtus vocauerat priùs Filium hominis; ergò eadem perſona eſt Filius hominis, & Filius Dei. Sic Ioannis 9. dicit Chriſtus cæco, *Tu credis in Filium Dei?* Reſpondet cæcus: *Quis eſt, Domine, vt credam in eum:* ait Chriſtus: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Item Ioannis 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum:* Ego videlicet, qui hic vt homo loquor vobiſcum, & quem oculis videtis, ſum antequam fieret Abraham; ergo eadem perſona quæ erat homo ſimul erat Deus, nec erat alia perſona Chriſti hominis, & Chriſti Dei: quandoquidem enim illud Pronomen, Ego, deſignet perſonam, non fuiſſet aliàs verum dicere, quod perſona quæ Iudæis loquebatur, eſſet antequam fieret Abraham.

Confirmatur, quando enim in Scripturis hic homo Chriſtus dicitur Deus, ſi non ſit vna perſona Dei, & hominis, vel ſumitur Deus in iſta prædicatione impropriè: vt quando illi dicuntur Dij, ad quos ſermo Dei factus eſt, Pſal. 81. hoc autē eſt contra Scripturas, ut patet ex dictis artic. 1. huius quæſt. & manifeſtè conſtat ex cap. 10. Ioan. vbi Chriſtus ſe diſtinguit & alio titulo oſtendit ſe Deum eſſe, quàm iſti qui tantum propter quandam muneris dignitatem aut donorum participationem dicuntur Dij: vel ipſa copula, Eſt, debet ſumi abuſiuè vt dum dicitur: Filius hominis eſt Deus, vel hic homo eſt verus Deus, ſenſus ſit, hic homo eſt coniunctus vero Deo per ſingularem affectum, & voluntatum conſenſionem, aut eſt Deo coniunctus, per modum organi ſiue inſtrumenti ad miracula & alia diuina opera facienda: huiuſmodi autem exponendi ratio admitti non poteſt, quia euertit omnem Scripturarum auctoritatem, & efficaciam: ſi namque ſine fundamento, pro placito vniuſcuiuſque liceat Scripturæ verba à ſenſu proprio & vſitato ad improprium detorquere, facilè poterunt omnia Scripturæ dogmata iſto exponendi genere conuelli: ſic quando Verbum dicitur Deus, Spiritus Sanctus Deus, poterunt illi ſermones eodem modo eneruari. Deinde, ſi vnio iſta humanitatis Chriſti cum Verbo non eſſet imediatè ad perſonam Verbi, ac ſubſtantialis, ſed diceretur humanitas tantum coniuncta accidentaliter ratione donorum, non eſſet ratio, quare Verbum ſolum dicatur incarnatum potiùs quam Pater, & Spiritus Sanctus: quia omnes eiuſmodi coniunctiones includunt eandem & æqualem habitudinem ad omnes tres perſonas, à 20

quibus

Digitized by Google

quibus eiuſmodi dona producuntur, & donantur per naturam videlicet, & voluntatem tribus perſonis communem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vnio Verbi Incarnati facta ſit in ſuppoſito vel hypoſtaſi?

INtelligendus eſt hic Articulus eodem ſenſu quo diximus intelligi præcedentem.

21 CONCLVSIO itaq; D.Th. eſt affirmatiua: quod, quemadmodum vnio dicitur facta in perſona, ita etiam & dicenda ſit facta in ſuppoſito vel hypoſtaſi. Eſt de Fide, definita in Conc. Epheſino locis cit. & in Conſtantinop. can. 5. vbi ſic habetur: Si quis introducere conetur in Myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, anathema ſit. Nec enim adiectionē perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit S. Trinitas Incarnato vno de Sancta Trinit. Dei Verbo: quare ſicut ex vnione Verbi Incarnati non reſultat noua ſiue ſecunda perſona in Chriſto, ita neque noua ſiue ſecunda hypotaſis vel ſubſiſtentia.

22 Probatur euidenter, ſuppoſitâ doctrinâ articuli præcedentis: quia perſona, vt communi ſententia Theologorum & Philoſoforum receptum eſt, eſt idem quod ſuppoſitum ſiue hypoſtaſis, hoc tantum amplius dicens, quod terminet naturam rationalem ſiue intellectualem: Hypoſtaſis verò ſiue ſuppoſitum generaliter terminet quamuis naturam ſubſtantialem. Vnde ſi in Chriſto duæ eſſent hypoſtaſes ſiue ſuppoſita, conſequenter in eo erunt duæ perſonæ: quia ambæ naturæ quas terminarent hypoſtaſes illæ, ſunt intellectuales, diuina videlicet & humana: vtraque ergo hypoſtaſis erit perſona, & ſic duæ erunt perſonæ in Chriſto.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm perſona vel hypoſtaſis Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita?

23 REſpondet D.Thom. dupliciter poſſe perſonam ſiue hypoſtaſim Chriſti conſiderari, vno modo ſecundum illud quod eſt in ſe, & ſic eſſe omninò ſimplicē, quemadmodum & natura Verbi ſimplex eſt: alio modo ſecundum rationem perſonæ vel hypoſtaſis ad quam pertinet ſubſiſtere in aliquâ naturâ, videlicet ſibi connaturali, vel etiam in alienâ: & ſic dici perſonam compoſitam, in quantum videlicet in duobus ſubſiſtit, ſiue ſecundū quod perſona Chriſti ſubſiſtit in duabus naturis.

24 Obſeruandum eſt, quando D.Th. hic in Corp. dicit, In Chriſto eſſe aliam & aliam rationem ſubſiſtendi, nullo modo velle indicare, quod duæ ſint ſubſiſtētię: ſed quod ſubſiſtentia Verbi ſubeat rationem duarum ſubſiſtentiarum, dum terminat naturam diuinā & naturam humanā: vt quidam explicant: vel quod forſitā nō minus eſt ex mente D.T. quod ſint ibi duæ rationes ſeu formæ aut naturæ ſecundum quas ſiue in quibus illud vnum ſubſiſtens de quo agit D.T. ſubſiſtit.

DVBIVM I.

Quis ſit terminus reſultans ex vnione Verbi Incarnati

25 NOtandum hic eſt, vnione hypoſtaticâ inter ſe proximè vniri perſonā Verbi formaliter ſiue perſonalitatem, & hanc humanam naturam, cōſequenter autē eâdem vnione inter ſe coniungi naturam humanā & naturam diuinam, quatenus videlicet perſona Verbi non tantum intimè includit naturam diuinam, ſed etiam à parte rei idem eſt cum natura diuina. Hoc poſito Reſp. & dico Primò: Terminus vnionis hypoſt. non eſt ſubſiſtentia Verbi ſecundum ſe ſumpta, neq; præcisè vt terminat naturam diuinam ſolam.

Probatur Primò: Quia ſimplex perſonalitas Verbi ſupponitur ad hanc vnionem, queādmodum etiam conſiderata vt terminat diuinam naturam; ergo vt ſic non poteſt dici terminus reſultans ex hac vnione. Secundò: Quia terminus huius vnionis vt ſic qua terminus eſt, reſultauit & cepit in tempore, perſona autem Verbi ſecundum ſe, & vt terminat naturam diuinam, non cepit in tempore: quare perſona Verbi ſub neutra conſideratione poteſt dici terminus reſultans ex vnione hypoſtatica.

26 Dico Secūdò: Terminus ex dicta vnione vt eſt inter extrema quæ proximè & formaliter coniungit, reſultans eſt Chriſtus vt hic homo. Eſt cōmunis doctrina.

Probatur breuiter, quia in omni vnione terminus ex ea reſultans eſt ipſū cōpoſitū aut quaſi cōpoſitum ex rebus vnitis; atqui in hac vnione res proximè vnitæ ſunt ſubſiſtentia ſiue perſonalitas Verbi, & hęc humana natura, idq; per modum coniunctionis ſubſiſtentię & naturæ ſubſtantialis ſemotâ omni imperfectione, ex quibus vnitis, reſultat Chriſtus vt hic homo ſiue perſona Chriſtus vt cōſtās perſonalitate Verbi & hac humanitate; ergo hic eſt proprius terminus huius vnionis ſic conſideratæ.

27 Dico Tertiò: Terminus vnionis hypo-

ſtatiæ, vt hæc conſequenter coniungit naturam diuinam, & humanam, eſt Chriſtus vna perſona ſubſiſtens homo & Deus.

Probatur, Quia hâc vnione ſic conſideratâ vniuntur inter ſe natura diuina, & natura humana in eâdē perſonalitate, quatenus ſcil. natura diuina quidē ab æterno perſonalitate Verbi terminatur, eidemq; identificatur: & quatenus natura humana in tempore cepit perſonalitate Verbi ſubſiſtere, eiq; vniri ad modum quo ſubſtantialis natura termino ſuo ſubſtantiali exiſtēdi coniuncta eſt, ſemotis tamen à Verbo imperfectionibus omnibus; atqui ex duabus iſtis naturis ſic vnitis in vna ſubſiſtentiā exurgit Chriſtus, vt eſt vna perſona ſubſiſtent Deus & homo; ergo hic eſt terminus vnionis hypoſtaticæ ſic conſideratæ.

DVBIVM II.

Vtrum terminus vnionis hypoſtaticæ ſit perſona ſimplex, an compoſita?

28 Reſpondeo & dico primò: Terminus huius vnionis quę ex illâ reſultat, non eſt omninò ſimplex quemadmodum perſona Verbi ſecundum ſe, neq; etiam vt naturam diuinam terminat.

Probatur, Quia terminus hic reſultat ex cōiunctione plurium rerum diſtinctarum, vt ex modo dictis conſtat; ergo non poteſt dici omninò ſimplex ſicuti perſona Verbi ſecundū ſe, vel vt in eâ conſideratur ſubſiſtere diuinitas ſola. Confirmatur, Quia res diſtinctæ quę vniuntur, non ſunt idem, & longè minus eſt, aliqua vniri, quàm eſſe vnum ſimplex.

29 Dico Secundò: Certum eſt terminum huius vnionis eſſe aliquod vnum conſtans ſiue conflatum ex pluribus. Patet ex dictis dubio præc. & declaratur breuiter, quia terminus ille eſt Chriſtus vt hic homo, ſiue Chriſtus vt Deus & hic homo, prout videlicet hæc vnio conſideratur vel inter extrema proxima tantum, vel etiam inter remota aut quaſi remota modo explicato; ſed Chriſtus vt hic homo includit perſonalitatem Verbi & humanitatem, vtrumq; ſuo modo intrinſecè & tanquam aliquo modo ipſum conſtituens, perſonalitatem quidem tanquam dantem eſſe hypoſtaſis atque perſonæ, & humanitatem vt dantem Eſſe naturæ hominis; atqui perſonalitas Verbi, & humanitas ſunt res à parte rei diſtinctæ, ergo & eadem includit Chriſtus vt Deus & homo, & inſuper etiam diuinitatem ſub formali ratione naturæ: eſt igitur terminus hypoſtaticæ vnionis aliquod vnum conſtans ex pluribus rebus inter ſe diſtinctis.

His poſitis, quæ meritò extra controuerſiam haberi debent, ſupereſt quæſtio de modo loquendi: Vtrū hic terminus, qui ſic eſt vnus per adunationem plurium rerum, atq; adeò perſona vna terminans non tantū naturam diuinam naturaliter cui identificatur, ſed & humanam ſuſtentans, à quâ à parte rei diſtinguitur, debeat dici abſoluto ſermone perſona ſimplex, an verò perſona compoſita?

30 Dico itaq; Tertiò: Sermone abſoluto terminus ex hypoſtatica vnione reſultans rectè dicitur cōpoſitus, atq; adeò perſona compoſita. Colligitur ex D. Th. hic in Corp. eſtque expreſſè Barth. Medinæ in hunc art. & Suarez ibid. diſp. 7. ſect. 4.

Probatur Primò ex Conc. & Patribus ita loquentibus: Synodus 5. act. 4. can. 4. S. Eccleſia, inquit, vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur: & can. 7. Chriſtus habet duas naturas ex quibus eſt compoſitus: Syn. 6. act. 4. in epiſt. Agatonis ſic habet, quod Chriſtus ſit compoſitus ex duabus naturis, & act. 11. in epiſt. Sophronij Hieroſolymitani ſcribitur quod Neſtorius vnam Chriſti cōpoſitam ſubſiſtentiam dicere metuat timore refugæ mentis, vbi timor nullus inhabitat: nos verò (inquit) ſenſu viuido, &c. ſuper petram pietatis ſtantes, vnā eius ſubſiſtentiam compoſitā dicimus. Idem definitū eſt in Conc. Lateran. ſub Mart. I. can. 8. D. Dionyſ. de diuin. Nom. ſimiliter loquitur c. 1. & de Eccleſ. hier. c. 3. p. 3. Vnum illud, inquit, & ſimplex (videlicet Dei Verbum) ad compoſitum atq; viſibile ſine immutatione ſui per ſummam clementiam benignitatemq; proceſſit: Petr. Diac. de Incar. & gratia c. 3. A. SS. Patribus adunatione diuinitatis & humanitatis Chriſtus cōpoſitus prædicatur, & Damaſc. lib. 3. de fide c. 3. ſubſtantialem dicimus vnionem, non quod ex duabus naturis vna perficiatur natura, ſed quod vnitæ ſint ad inuicem ſecundum veritatem in vnam hypoſtaſim compoſitam Filij Dei. Similia habet c. 5. & 7. D. Aug. lib. 4. de Trinit. c. 13. Dei Verbo ad vnitatem commixtus eſt homo: ſimiliter loquitur epiſt. 3. ad Voluſianum.

Vbi tamen obſeruandum eſt, quod nomen mixtionis aut mixturæ in hac materia, tum apud Aug. tum alios Patres quando ibi reperitur, ſit ſano ſenſu accipiēdum, vt ſignificet tantum veram, & realem compoſitionem, de qua hic agimus, non autem de permixtione aut confuſione naturarum inter ſe. Vide etiam D. Greg. Homilia 39. in Euangelia & Athanaſius Oratione, quod vnus ſit Chriſtus, vbi hanc doctrinam omninò ſupponit.

31 Probatur Secundò ratione, Quia perſona non tantùm poteſt dici compoſita,

quia

quia conſtet duabus ſubſiſtentijs aut perſonalitatibus, quæ ſecundũ fidem in Chriſto non reperiuntur, ſed etiam rectè dicitur perſona compoſita, quia conſtat ex perſonalitate & naturâ quam terminat, quando à parte rei diſtinguuntur, & inter ſe debito modo vniuntur: imò poteſt etiam dici perſona compoſita à naturâ in qua ſubſiſtit, quando hæc ex partibus diſtinctis conſtat: Angelus enim in primis no eſt perſona tã ſimplex, ſicut Pater in diuinis, quia Angeli ſubſiſtantia & natura diſtinguuntur, non autem Patris: & homo quoq; rectè dicitur perſona magis compoſita, quã hic Angelus, quia ſubſtantia illius cõponitur ex partibus diſtinctis, non autem huius; atqui Chriſtus vt hic homo conſtat perſonalitate Verbi, & hâc naturâ humanâ, quę à parte rei diſtinguũtur, & ad modum ſubſiſtentiæ & naturæ, ſemotis imperfectionibus, vniuntur; ergò terminus vnionis hypoſtaticæ vt ſic, eſt perſona compoſita.

Confirmatur, quia compoſitum eſſe, iuxta Baſil. lib. 2. contra Eunom. eſt conſtare ex rebus diuerſis, videlicet inter ſe vnitis; ſed Chriſtus Dominus vt terminus vnionis hypoſt. eſt perſona vna conſtans ex rebus diuerſis, vt oſtenſum eſt; ergò &c.

32 Obijcitur Primò: Tres perſonæ diuinę inter ſe realiter ſunt diſtinctæ, & vniuntur in vna diuinitate, & tamen non exurgit aliquid compoſitum, neque poteſt natura diuina idcirco dici compoſita; ergò etiam quando natura diuina & natura humana vniuntur in vna hypoſtaſi, non erit dicendũ reſultare aliquid compoſitũ, neq; perſona in qua vniuntur, poterit dici cõpoſita.

Reſpondetur, perſonas diuinas non vniri propriè in diuinitate, quia neque ſingulæ, neq; vna aliqua ex tribus diſtinguitur à parte rei ab ipſa natura diuina, quod tamen requiritur vt aliqua dicantur propriè vniri in aliquo: vnde tres perſonę debent potius dici vnum in natura diuina, quam vnitæ, ideoq; compoſitionem non faciunt: vt vt docet D. Aug. lib. 11. de Trinit. c. 10. natura verò diuina & natura humana, ita ſe habent ad perſonalitatem Verbi, in qua dicuntur vniri, vt ſaltem altera videlicet humana, diſtinguatur à parte rei à Verbo, imò & à compoſito reſultante per vnionem hypoſtaticam, & compoſitum ab ipſa per modum includentis & incluſi, quemadmodum anima diſtinguitur ab homine, & homo ab anima

Sed dices: Chriſtus verè prædicatur de Verbo, & Verbum de Chriſto; ergò non eſt aliqua diſtinctio à parte rei inter Chriſtum & Verbum per modum includentis & incluſi. *Reſ.* Neg. Conſ. quia diſtinctio à parte rei non impedit prędicationem, quãdo nomina ambo ſic ſignificant, vt pro eodem ſuppoſito ſiue perſona ſupponant, vt hic fit: Verbum enim formaliter ſignificat perſonam, Chriſtus autem ita ſignificat naturam, tum humanam tum diuinam, vt tamen pro perſona ſupponat.

Obijcitur Secundò: Terminus vnionis 33
hypoſtaticæ, iuxta ea quæ dicta ſunt, eſt aliquod ſuppoſitum, & terminus iſte eſt aliquo modo diſtinctus à perſona Verbi; ergò in Chrtſto eſt ſuppoſitum diſtinctum à perſona Verbi, & per conſequens duæ erunt in Chriſto perſonę, quod eſt contra fidem. Reſ. Neg. Conſ. & ratio eſt: Quia, vt loquuntur Dialectici, variatur appellatio: nam illud, Diſrinctum in Antecedente appellat ſiue afficit terminum vnioois ſecundum quod includit humanitatem, vt ſignificetur ratione huius eſſe aliquo modo diſtinctus à Verbo ſecundum ſe ſumpto, in Conſequente autem appellat, ſiue afficit perſonam abſolutè poſitam, & ita ſignificat eſſe diſtinctam perſonam in Chriſto ſecundum perſonalitatem à perſona Verbi, vnde & infertur quod in Chriſto duæ ſunt perſonæ, quod vtrumque falſum eſt, & contra fidem, nulloq; modo ſignificatur terminus vnionis hypoſtaticę vt ſic eſt diſtinctus à Verbo iuxta modũ explicatum. Ratio autem à priori, quare non ſequatur diſtinctio & multiplicatio perſonarũ io Chriſto, eſt: quia in ſubſtantiuis non fit multiplicatio niſi forma aut quaſi forma cõſtituens multiplicetur: quemadmodum in SS. Trinit. licet Pater ſit diſtinctus à Filio, & Pater ſit Deus, non eſt tamen diſtinctus Deus à Filio, neq; plures Dij ſunt in Trinit. quia deitas vna eademque numero eſt: ſic quia vna eademq; numero eſt perſonalitas, qua Verbum eſt perſona, & qua Chriſtus eſt perſona, ideo neq; Verbum ſecundum ſe ſumptum eſt perſona diſtincta à Chriſto, neq; Chriſtus perſona diſtincta à Verbo, neq; plures perſonæ in Chtiſto. Eãdem ob cauſam falſum eſt dicete in Chriſto eſſe perſonam factam, aut perſonam quę cepit in tempore, quia huiuſmodi determinationes cadunt in perſonam ſecuudum ſe & formaliter acceptam, vnde eiuſmodi locutiones ſignificãt ipſam perſonam ſiue ſubſiſtentiam Verbi eſſe factam, vel io tempo- 41
re cepiſſe. Vode, inquit Suares, loco ſuprà cit. Licet compoſitum (quod videlicet eſt terminus vnionis de quo agimus) vt ſic factum ſit, quia natura humana & vnio eius eſt facta, non tamen perſona, quia hæc ſimpliciter eſt increata, & eo minus, quia perſona, vt ſupponitur huic vnioni, eſt omnimodè cõpleta & per aduentũ naturæ nõ cõpletur in ratione ſubſiſtẽtis, ſed tantũ accipit rationẽ ſiue eſſe indiuidui humani.

34 Obijcitur Tertiò & vltimò: Videtur prorſus repugnare perſonę Verbi venire in aliquam compoſitionem; ergo non poteſt terminus huius vnionis dici perſona compoſita ex perſonalitate Verbi &, naturâ humanâ. Probatur Aſſump. quia venire in compoſitionem importat imperfectionē: componentia enim habere videntur rationem partium. Præterea ſe inuicem perficiunt: & compoſitum ex componentibus exurgens, eſt ipſis perfectius; ergo &c.

Reſpondetur Neg. Aſſump. Ad probationem ſimiliter nego, quomodolibet in compoſitionem venire afferre ſemper imperfectionem in ſingulis componentibus. Quod autem ad imperfectiones allegatas attinet, in primis vniuerſaliter verum non eſt, omnia componentia ſortiri ſemper rationem partium, quod etiam in rebus naturæ poteſt oſtendi: nam v.g. ex ſubſiſtētiâ Petri, & eius naturâ componitur perſona Petri, non ſolent tamen ſubſiſtentia & natura dici partes Petri: ex puncto item & linea fit quædam compoſitio, quæ tamē non dicuntur partes compoſiti: aliæ autem imperfectiones tantū procedunt in compoſitionibus, vbi componentia ex natura ſua ſunt ordinata & inſtituta ad compoſitum aliquod faciēdum: tunc enim perficiunt ſe inuicem, & compoſitum perfectius eſt cōponentibus; ſed in hac ineffabili compoſitione Verbum non eſt ex ſe ad hanc vel vllam aliam compoſitionem ordinatum (hoc enim Deo repugnat) ſed tantum ex gratia ſeſe accommodat ad hunc hominem componendum, non vt inde perficiatur, ſed vt humanitatem hanc perficiat & terminatiuè ſuſtentet, ex quo nihil imperfectionis contrahit: quia neq; mutatur, neq; aliquid ſui eſſe vel perfectionis amittit: vt ex infrà dicendis magis patebit: ſed neq; compoſitum eſt quid intenſiuè perfectius ipſo Verbo, quod ſimplicìter eſt infinitum continens in ſe eminenter quidquid perfectionis eſſe poteſt in humanitate; extenſiuè tamen includit aliquam perfectionem formaliter, quam non includit formaliter Verbum ſecundum ſe: ſicuti in 1. Parte doceri ſolet de Deo, & toto vniuerſo inter ſe collatis.

35 Rectè verò monet Caiet. Vt quando de hac compoſitione agitur, ſemper addatur aliquid quo eius excellentia & ſingularitas ſupra alias compoſitiones denoteretur: v.g. vt dicatur admirabilis, vltra naturā facta, aut ſimile quid, ne exiſtimetur alijs omnino ſimilis, quæ communiter imperfectionem quandam componentium coniunctam habere ſolent, atque ita in animis audientium obrepat aliqua cogitatio vel ſuſpicio imperfectionis in perſona Verbi.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſit facta aliqua vnio animæ & corporis in Chriſto?

CONCLVSIO eſt affirmatiua & certa 36
de fide, contra aliquos quorum meminit Magiſter lib. 3. diſt. 6. qui dixerunt Chriſtum aſſumpſiſſe corpus & animam non inter ſe vnita, ſed tantum vnita cum Verbo: & quamuis Magiſter hanc doctrinam, vt opinionem probabilem referat, meritò tamen D. Th. hic eam tanquam hæreticam reijcit.

Probatur Primò: Quia Cōcluſio noſtra non tantū definita fuit ab Alex. III. Cap. Cum Chriſtus tit. de hæret. ſed etiam in diuerſis anterioribus cōcilijs, Conc. Epheſ. 1. can. 13. dicit, Chriſtum animatam carnē anima rationali ſibi copulaſſe: idem expreſſerūt Conc. Calced. act. 5. Synodus 5. generalis act. 4. can. 4. & Synod. 6. act. 11. quare ſine fundamento ſcribit Scotus oppoſitam ſententiam tempore Magiſtri non fuiſſe reprobatam.

Probatur Secundò ratione, Quia Chriſtus eſt conceptus, mortuus, & reſurrexit; ergo in Chriſto caro vnita eſt animæ; hæc enim cōcipi, mori, reſurgere nō fiunt abſq; vnione, & ſeparatione corporis & animæ.

Tertiò: Chriſtus eſt verus homo; ergo conſtat corpore & animâ inter ſe vnitis per modum materiæ & formæ: hoc enim ad hominis conſtitutionem requiritur.

Obijcitur: Ex corpore & animâ inter ſe 37
vnitis reſultat humana perſona creata, vt in nobis patet; ergo ſi in Chriſto ſint corpus & anima inter ſe vnita, Conſequens videtur, quòd in illo duæ erunt perſonæ. Reſp. ex corpore & anima vnitis reſultare proximè & neceſſariò naturam humanam, perſonam verò ſecundariò & conſequenter, ſi natura ſibi relinquatur & non impediatur naturalis redundātia, prout in Chriſto Domino ex parte humanitatis impedita fuit: & ideo in ipſo nulla prodijt creata perſonalitas, quantumuis corpus & anima rationalis per modum materiæ & formæ in illo vnita forent. Sed de ijs quæ ad hanc materiam ſpectant, latius infra q. 4. & 5.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter?

CONCLVSIO Vnica: Natura humana Verbo vnita eſt non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Eſt fidei, definita in

ta in Synodo 5. act. 4. can. 5. Si quis non confitetur Dei verbum carni ſubſtantialiter vniri &c. & can. 4. enumerantur & reijciuntur omnes modi accidātariæ vnionis, qui poſſint hic æſtimari interuenire. Idem docent Concilium Epheſinum 1. can. 2. & Lateran. ſub Martino I. can. 6. & 8. vbi hæc vnio dicitur eſſe ſecundum ſubſiſtentiam ſiue hypoſtaſim: quo ſignificatur non qualiſcuuque vnio ad perſonam, ſed vnio talis, vt id quod per eam perſonæ vnitur, ſortiatur eandem ſubſiſtentiam cum perſona, eâdemque ſubſiſtat (& vt ſic loquar) perſonetur, ſiue perſona reddatur. Idem docent Patres: Petrus Diaconus loco ſupra citato, & alij ibidem ab eo allegati, Nazianzenns, & Cyrillus. Item Damaſcenus ſuptâ: Ioannes Maxentius Tomo 5. Bibliothecæ in confeſſ. fidei: Secundum traditionem Patrum (inquit) duas naturas confitemur ſubſtantialiter vnitas.

39 Obſeruandum autem eſt, apud Antiquos reperiri hanc vnionem ſubinde dictam eſſentialem, ſiue ſecundum eſſentiā, vt apud Nazianzenum oratione 51. Damaſcenum lib. 3. de Fide cap. 3. & Nicetam lib. 3. Theſauri cap. 3. & 38. Subinde etiam vocatam Naturalem, vt apud Cyrillum epiſtola 10. & Anathematiſmo 3. & apud Sophroneum in Synodo 6. act. 11. non quaſi hæc vnio ſit quædam compoſitio, quâ ex pluribus rebus tanquam partibus exurgat vna aliqua natura, vel eſſentia; quod ipſi fortiſſimè contta hæreticos illius temporis oppugnant; neque quaſi viribus naturæ, vel neceſſitate naturæ, & non liberâ Dei diſpoſitione vnio iſta facta fuerit, vt Theodoretus Cyrillo voluit imponere: ſed illo ſermone plerique hoc volunt ſignificare; quod vnio hæc ſit vera & realis, non imaginaria, aut rationis: quo pacto ſolemus diſtinguere vnionem phiſicam contra compoſitionem rationis. Ita ſe exponunt Damaſcenus, & Nicetas locis ante citatis. Coniunctionem eſſentialem (inquit) dicimus, hoc eſt, veram & non phantaſticam ſiue commentitiâ. Nazianz. verò intendit declarare hanc vnionē eſſe talē, vt euis ratione Deus non ex accidentali aliquo dono vel denominatione: ſed verè & ſecundum ſubſiſtantiam dicatur de homine; dicit enim eſſe vnionem ſecundum eſſentiam, quia diuinitas non ſecundum aliquam gratiam, vel affectum, ſed ſcecundum eſſentiam vnita eſt humanitati, in vnâ videlicet perſonâ; excludit ergo accidentariā vnionem, & ponit nobiſcum ſubſtantialem. Eiuſmodi tamen locutiones, propter ambiguitatem non ſunt communiter vſurpandæ.

Probatur concluſio Secundò: quia vnio ſubſtantialis non videtur eſſe aliud, quàm quædam coniunctio rerum ſubſtantialium, vnde reſultet ſubſtantia compoſita verè ac propriè vna in genere ſeu ratione ſubſtanriæ; atqui talis eſt hæc vnio hypoſtatica: vt ex mox dicendis amplius conſtabt; ergò &c.

40 Objicitur Primò: Quidquid aduenit enti in actu ſiue enti completo, hoc aduenit illi accidentaliter; ſed humanitas Chriſti aduenit Verbo enti perfectiſſimo; ergò accidentaliter illi aduenit, non ſubſtantialiter. Reſpondetur, Axioma illud limitatè intelligendum eſſe, nec habere locum quando ens in actu, ſiue ens completum eſt eiuſmodi, vt poſſit aliam ſubſtantiam ita ad ſe admittere, vt ſubſtantia accedens, ſimpliciter loquendo, ſortiatur idem numero eſſe exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ cum eo ad quod accedit: vt ſortiatur, inquam, idem numero eſſe, ſiue indiuiſum, ſiue extenſum, modo abſolutè ſit idem numero. Declaratur, quia alimentum quando conuertitur in ſubſtantiam aliti, aduenit enti in actu & completo, & tamen non aduenit accidentaliter, neque animæ à quâ incipit informari, neque compoſito cuius ſit pars: neque enim accidens eſt, neq; accidentariâ vnione eis cōiungitur: ſed vt ſuſtantia ſubſtantialiter tum vni, tum alteri vnitur, vtpote cū quibus ſortitur idem numero eſſe tū exiſtentiæ tum ſubſiſtentiæ, licet eſſe magis ſit extenſum. Similiter ergo, quamuis Verbū ſit ens omni modo perfectiſſimum, tamen quia potens eſt ſuâ ſubſiſtentiâ terminatiuè ſuſtentare hanc humanitatem, ita vt illa ſortiatur idem numero indiuiſum ſubſiſtere cum Verbo, ipſiuſq; Verbi ſubſiſtentiâ ſubſiſtat, & perſonæ rationem induat, ideo nullo modo debet cenſeri aduenire Verbo accidentaliter, neque vnio illins cum verbo dici accidētaria: ſed planè ſubſtantialis, quia ex Verbo & humanitate, vna numero perſona exurgit. Vnde Durand. in 3. d. 5. qu. 4. quamuis rectè fateatur in Chriſto vnum ſuppoſitum, malè tamen loquitur, dum exiſtimat dici poſſe humanitatem Verbo accidentaliter aduenire, idq; propter argumentum iam propoſitū, quod ſufficienter tamen modò eſt ſolutum.

41 Objicitur Secundò: Quidquid alteri coniungitut, & ad naturam eius non pertinet, eſt accidens eius; atqui humanitas vnitur Verbo, & nullo modo ad tationem Verbi pertinet; ergo &c. Reſp. Neg. Aſſump. nam in primis materia non pertinet ad rationem formæ ſubſtantialis: neque è contra: nec ruiſum perſonalitas v. g. Petri ad humanitatem eius: nec è contra: & tamen

men non ſunt accidentia ad ſe inuicem: imò omnino ſubſtantialiter vniuntur, vt fatentur omnes: ſic ergo quamuis humana natura ſit extra rationem Verbi, non tamen inde conſequitur eſſe accidens illius; ſed quia Deo placuit ineffabili modo naturam humanam in ratione ſubſtantię perficere, ac perſonalitate Verbi terminatiuè eam ſuſtentare, & in ratione perſonæ complere, idcirco ſubſtantiali habitudine reſpicit ipſa Verbum ad eum aliquouſque modum, quo natura ſubſtantialis ſuam ſubſiſtentiam.

42 Obijcitur Tertiò: Antiqui patres ſæpius explicant vnionem hypoſtaticam per accidentarias compoſitiones: D. Baſilius Homilia 25. inter varias: & Damaſcenus lib 3. de Fide, cap. 11. comparant cum vnione quæ eſt in ferro candente inter ipſum ferrum, & calorem vel ignem: alij comparant ramo inſito arbori, vt Leo ſer. 1. de Natiuit. & Baſilius ſuprà: alij coniunctioni viri & vxoris: alij vnioni plurium accidentium in vno ſubiecto: alij templo & eius inhabitatori; ergo videtur quod vnio Verbi Incarnati ſit etiam accidentaria. Reſp. Neg. Conſ. quia ſimilitudines à rebus creatis deſumptæ non poſſunt adæquare hoc myſterium, quia tantùm iuuant ad nos in aliqualem illius myſterij cognitionẽ introducendos: & idcircò à Patribus & Doctoribus ſolent plures allegari, vt per diuerſas explicentur diuerſæ perfectiones huius & proprietates: Sic per ſimilitudinem deſumptam à ferro candente declaratur quomodo humanitas Chriſti illuſtretur à diuinitate, & agendi vim maximam accipiat: per ramum inſitum explicatur aliquo vſque quomodo rei prius ſubſiſtenti, aliqua ſubſtantia diuerſæ naturæ poſſit adiungi ad vnum ſuppoſitum conſtituendum: per vnionem plurium accidentium in eodem ſuppoſito ſimiliter declaratur vnitas perſonæ in Chriſto ſub duabus naturis, quamuis vnionis modus longè ſit alius: per coniunctionem viri & vxoris potiſſimum videtur declarari coniunctio affectuum, & qualiter humanitas ſit aſſumpta à Verbo vt ab eo regatur & dotetur: ſicut enim ſponſæ communicantur tituli, & inſignia ſponſi, ita per incarnatione communicantur homini attributa Dei: quamuis interim ſi vir & vxor cõſiderētur vt vna caro inſeparabiliter ratione Sacramenti, ſic etiam poſſit ſimilitudo illa cõducere ad declarandam vnitatem perſonæ in naturâ diuinâ & humanâ: denique per templum explicatur quomodo Verbum ſingulariter inhabitet Chriſti humanitatẽ, ita vt in Chriſto inhabitare dicatur omnis plenitudo diuinitatis corporaliter ad Col. c. 2. Sed quia cõiunctiones prædictæ ſunt accidentariæ, ſolet adduci aliud exemplũ vnionis animæ & corporis, quo ſubſtantialis vnio exprimitur, eſtq; eo nomine magis cõueniens huic myſterio explicãdo, potiſſimum in ordine ad oſtendendum, quomodo duæ naturæ diuina & humana vniuntur in vnâ perſonâ: ad declarandum verò vnionem vt proximè eſt inter perſonam Verbi & humanitatem, æquè conducit vnio naturæ ſubſtantialis, eiuſque ſubſiſtentiæ, vt ex antè dictis facilè intelligitur.

ARTIC. VII. & VIII.

Vtrùm vnio naturæ diuinæ & humanæ ſit aliquid creatũ? Vtrùm vnio Verbi Incarnati ſit idem quod aſſumptio?

Variæ ſunt Scholaſticorum ſententiæ de ratione vnionis Verbi Incarnati, in quo ſita ſit, ſiue quidnam illa ſit: inde enim pendet potiſſimùm horum Articulorum intelligentia. Omiſſis opinionibus, & prolixis diſputationibus, breuiter ea tradere conabor, quæ in hâc difficultate, probabiliùs & intelligibiliùs dici videntur. Sit itaque 43

Conclvsio Prima: Rectè à Doctoribus communiter aſſignatur triplex ſignificatio nominis Vnionis. Conſtat per enumerationem: ſumitur enim primò pro actione vnitiua quâ quis aliqua inter ſe coniungit, quæ tamen conuenientiùs vocatur vnitio quam vnio: Secundò capitur pro vnione paſſiuâ ſeu paſſione, quæ per vnitiuam actionem in rebus vniendis, aut ſaltem in alterâ illarum, producitur & recipitur, à quâ res denominantur formaliter vniri: quemadmodùm ab vnitione actiuâ, principium efficiens denominatur vniens: Terriò ſignificat relationem reſultantẽ inter res vnitas. Vt clariùs autem explicentur omnia quæ in rerum coniunctione ſolent concurrere, & pleniùs intelligatur tum doctrina horum Articulorum, tum reliqua ad myſterium Incarnationis pertinentia. Sit

Conclvsio Secunda: Rectè aſſignatur à multis quartum ſignificatum nominis Vnionis, quod dicunt eſſe modum quendam in rebus vnitis, vel ſaltem in alterâ illarum cauſatum per actionem vnitiuam, à quo res denominantur formaliter vnitæ in facto eſſe, quemadmodum ab vnitione paſſiuâ dicuntur formaliter vniri in fieri. Vnde quod ad præſens inſtitutum attinet, conuenienter ponunt quendam modum ſubſtantialem in humanitate 44

nitate Chriſti actione Incarnationis productum, quem vocant vnionem ipſam formaliter, quâ natura humana ita eſt vnita Verbo, vt Verbi ſubſiſtentiâ perſonaliter ſubſiſtat. Eſt in primis contra Gregorium Ariminenſem in 1. diſt. 28. qu. 2. in reſp. ad 17. & 18. Argum. A Valen. tom. 4. qu. 2. part. 5. & Aluarez 3. part. qu. 2. art. 7. & alios quoſdam, qui docent per actum Incarnationis nihil creatum fieri aut poni in humanitate, ſed tantùm fieri hoc compoſitum, ſiue hunc hominem qui conſtat humanâ naturâ & perſonalitate Verbi. Item contra alios quoſdam qui admittunt aliquid poni in humanitate, ſed aliter quidnam illud ſit, explicant, aut explicare videntur: vt paulo infra videbimus. Sed doctrinam iam poſitam tenet expreſsè Zuarez in 3. part. tom. 1. diſp. 8. ſect. 2. Vaſquez diſp. 18. cap. 4. Tannerus tom. 4. diſp. 1. de Incarn. qu. 3. Dub. 5. & alij.

Probatur Primò: quia vt res ſeiunctæ, vel non vnitæ incipiāt vniri, ſiue vt vniantur in fieri, oportet in illis, vel vtriſq;, vel in alterâ illarum admittere vnitionem paſſiuam, quæ ſit aliquid reale, & ſaltem ex natura rei ab illis diſtinctum, quod in illis, vel in vnâ illarum recipiatur; ergò ſimiliter vt poſt vnitionem paſſiuam, quæ cum actione tranſit, res perſeuerent formaliter vnitæ, debet aliquid remanere in illis, vel in vna illarum productum & diſtinctum ſaltem ex natura rei ab ipſis.

Antecedens Probatur, quia non videtur intelligibile, quod duo extrema incipiant realiter coniungi abſq; omni mutatione tam vnius quàm alterius, abſq; omni acceſſione alicuius ad alterutrū, ergò &c. Quod verò id quod accedit debeat eſſe quid reale, patet, quia extrema vniuntur realiter; ergò paſſio debet eſſe realis, quia actione rationis non fit in rebus compoſitio realis. Deinde docet hic Diuus Thomas paſſionem vnitiuam eſſe ponendam tantum in humanitate Chriſti, non in Verbo, quia inducit mutationē, imò ipſa eſt formaliter mutatio rei; ergò ipſa eſt quid reale ſecundum Diuum Thomā: quia ſi tantum eſſet aliquid rationis, nihil vetaret quo minus admitteretur in Verbo, quemadmodum in humanitate. Hinc vlterius conficitur, illam paſſionem eſſe quid diſtinctum, ad minus ex natura rei, ab illo in quo recipitur: nam niſi ſic diſtinctum eſſet, rurſum non videretur inducere mutationem quæ Verbo repugnaret; ergò debet poni quid diſtinctum ab extremis.

45 Confirmatur, quia poſſunt ambo extrema exiſtere abſq; vnitione paſſiua: quod in primis accidit tranſactâ iā actione vnitiua: deinde etiam poſſunt ſeparata à ſe conſeruari, nam in præſenti materia nō repugnat humanitatem Chriſti conſeruari ſeparatam à Verbo: puta, ſi vniretur perſonæ Dei Patris, vel etiam perſonalitati creatæ reſtitueretur: ſi ergò vt res vniantur in fieri requiratur aliquid reale accedens, ſaltem ad alterum extremorum, & ab illis diſtinctum, igitur ſimiliter vt vnitæ perſeuerent, requiritur quiddam reale in ipſis remanens modo explicato.

Conſequētia probatur Primò: quia nulla apparet ratio, cur potius res poſſint dici aut intelligi perſeuerare vnitæ abſque eo quod quidquam alterutri ſit ſuperadditum, quàm vt poſſint dici vniri in fieri abſque acceſſione alicuius ad alterutrum, ſiue abſque mutatione vtriuſque. Confirmatur Secundò, & ſimul res explicatur amplius: quia vnitio paſſiua ſiue mutatio quam Diuus Thomas hic præſupponit fieri in Humanitate Chriſti, habet aliquem terminum intrinſecum à quo mutatio ipſa tantū differt vt res in fieri à ſe ipſà vt eſt in facto eſſe, quod commune eſt omni paſſiuæ mutationi; atqui hic terminus non poteſt explicari commodiùs, quàm vt dicatur eſſe modus quidam ſubſtātialis, productus in humanitate Chriſti, qui eſt veluti inexiſtentia quædam quâ dicitur humana natura exiſtere in Verbo & mediante quo, ſic eſt vnita Verbo, vt perſonalitate Verbi ſubſiſtat. Vnde fit quòd dicatur hic modus eſſe incompoſſibilis cum propria ſubſiſtentia creata naturæ humanę: hæc enim vltimò in ratione ſubſtantiæ terminat naturam; iſte autem modus ſubſtantialis inexiſtentiæ conſtituit naturam eo loco, vt Eſſe illius terminetur vltimatè à perſonalitate quaſi extraneâ videlicet à perſonalitate Verbi.

Probatur Concluſio Secundò: quia actio vnionis, vel relinquit aliquid reale in extremis, aut ſaltem in altero ab ipſis diſtinctum, vel nihil omnino relinquit. Poſterius quidem videtur tenere Ariminenſis, qui in 1. diſt. 28. qu. 2. Reſponſione ad 17. & 18. docet, per vnitionem actiuam nihil fieri in humanitate, ſed tantùm fieri hoc compoſitum ſiue hunc hominem; Verū id nullo modo dici poteſt, primò, quia vt dictum eſt, non videtur poſſe intelligi quod duo extrema incipiant inter ſe vniri vt vnum quid ex illis reſultet, & tamen neutrum habeat ſe aliter quàm ante actionem vnitiuam: deinde per vnitionem mutatur humanitas à parte rei, vt Diuus Thomas his Articulis ſupponit; ergò aliquid reale in illâ producitur, quia omnis paſſio, ſiue mutatio ponit aliquid in ſubiecto, in quo recipitur. 46

47 Dicet fortaſſis Ariminenſis, fieri mutationem, ac illius dari terminum, ſed productionẽ humanitatis Chriſti eſſe ipſam mutationem quæ hic per vnitionem fit, & humanitatem eſſe terminum. Aſt contra facit primò, quod humanitas præſupponatur vnitioni ſui ad Verbum; ergo productio eius non poteſt dici paſſio vel mutatio quæ fit per vnitionem actiuam, neq; humanitas terminus intrinſecus illius vnitionis. Deinde humanitas vt vnita aliquid amplius dicit, quàm humanitas in ſe conſiderata; ergò oportet vnitionis aliquẽ alium terminum aſſignare præter ipſam humanitatem; atqui ille non poteſt poni in Verbo tanquã altero extremo ob rationes dictas: ergò eſt aliquid ſuperadditum ipſi humanitati. Multò minus autẽ poteſt terminus vnitionis, de quo agimus, poni ſubſtentia Verbi, tum ob cauſas modò allegatas: tum etiam ſpecialiter, quia terminus intrinſecus mutationis realiter identificatur mutationi, cuius eſt terminus: atqui Verbũ nulli mutationi identificari poteſt. Ad compoſitum denique quod attinet, eſt hoc quidem terminus totalis, & adæquatus, vt terminus qui: ſed quandoquidem componentia hic non producantur iſtâ vnione, manifeſtum eſt, quod oporteat agnoſcere illius vnitionis terminum aliquẽ quo, cuius acceſſione ad extrema, vel ad alterum illorum reſultet compoſitum ex talibus extremis, cui termino ipſa vnitio ſeu mutatio realiter identificetur: hic autem terminus non poteſt ſtatui ipſum cõpoſitum, vt per ſe conſtat: Супereſſe igitur videtur vt dicamus neceſſariò actionem vnitiuam ponere, & relinquere aliquid reale in humanitate ab ea diſtinctũ, vt modũ à re, ſiue ex natura rei ad minus.

48 Quidnam verò illud ſit controuertitur, neque vno modo à D D. qui aliquid reale produci admittunt, explicatur: vt indicauimus. Gabriel in 1. diſt. 30. q. 4. & in 3. diſt. 1. q. 1. & 2. docet eſſe entitatem abſolutam, & quidem qualitatem aliquam ſupernaturalem, quam vocat gratiam vnionis & dicit eam habere vim vniendi humanitatem Verbo: Et ne quis forſitan dicere poſſit, quod ſumat nomen qualitatis generaliter, vt etiam modos ſubſtantiales comprehendat, & proinde ſentiat cum authoribus concluſionis poſitæ, obſtat quod expreſsè in 3. diſt. 1. q. 1. in reſp. ad 2. doceat eſſe qualitatem abſolutam de primâ ſpecie qualitatis. Vnde hæc opinio ſuſtineri non poteſt, & ſpecialiter impugnatur à Bonauent. in 3. diſt. 2. art. 3. q. 6. & diſt. 6. art. 2. q. 1. & Albert. diſt. 2. putat pertinere ad errorem Neſtorij, vt refert Suarez: nec immeritò, quia dum eiuſmodi qualitas ponitur formale vinculum vnionis hypoſtaticæ, redditur ipſa vnio accidentaria, & acceditur ad errorem illorum qui dixerunt vnionem hanc factam tantum ſecundum gratiam, quos damnat ſynodus 5. Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. & Durad. diſt. 5. q. 2. dicunt per hanc actionem nihil fieri in humanitate, niſi relationem vnionis: quæ poteſt videri etiam eſſe ſententia Diui Thomæ, quia hic art. 7. quando dicit, vnionem Verbi Incarnati eſſe aliquid creatum, explicat non aliter vnionem, quàm dicendo eam eſſe relationem quandam quæ conſideratur inter diuinam naturam & humanam, ſecundum quod conueniunt in vnâ perſonâ Filij Dei: idem indicat Reſp. ad 3. & infrà qu. 16. art. 1. ad 4. & art. 6 ad 2. Sed neque hoc conuenienter dici poteſt, ſi ſermo ſit de relatione propriè dictâ accidentariâ: Primò, quia non datur motus, neque actio per ſe primò ad relationem tanquam ad terminum. Deinde non poteſt accidentaria relatio eſſe intrinſecus ſiue formalis terminus actionis ſubſtantialis, cuiuſmodi eſt Incarnatio, cuius terminus vt quod, eſt ſubſtantia vna compoſita. Tertiò ſequitur idem incommodum, quod ex præcedente, videlicet quod vnio Verbi Incarnati ſit accidentaria, non ſubſtantialis, quandoquidem formalis nexus ponatur eſſe accidens. Quartò quia in Synodo 5. Coll. 8. cap. 4. expreſsè negatur vnionem hanc eſſe factam ſecundum relationem.

Dicent fortaſſis, ſe relationem illam non ponere formale vinculum quo vniuntur humanitas & ſubſiſtentia Verbi; ſed ſe dicere, eam relationem tantùm, nec aliud quidquam humanitati ſuperaddi per actionem vnitiuam. Verũ contra facit, quòd ſic difficultas non euacuetur, quia ſi iſta relatio nõ ſit nexus humanitatis cum Verbo, ergo ordine naturæ dabitur cõiunctio ſubſtantialis inter humanitatem & Verbũ prior dictâ relatione quę inde tantũ reſultat; & proinde de hâc coniunctione quæritur quid ſit? & quare hæc non potius dicatur formalis terminus vnitionis actiuæ, quàm relatio vnionis poſteriùs reſultans? Imò quia oſtendimus, terminũ vnitionis debere eſſe aliquid reale diſtinctum ab ipſis extremis, conſequens eſt admodum conueniẽter ſtatui coniunctionẽ hanc ſubſtantialem, quam relatio iſta præſupponit, eſſe quid productum in ipſa humanitate, quo formaliter Verbo vniatur. Quod quidem cum dici non poſſit eſſe qualitas abſoluta, neque accidentaria & prædicamentalis relatio, vt demonſtratum eſt, reſtare videtur, vt omnino admittatur eſſe modus quidam ſubſtantialis, ſicuti cum alijs poſuimus. 49

ſuimus. Modus, inquam, qui ſit aliquid creatum, & intrinſecè ſupernaturale inexiſtens humanitati: ſpeciatim enim concludit D. Thomas hic art. 7. de hac vnione: & ideo oportet dicere, quòd ſit quiddam creatum. Et quia eſt ſupra ordinem naturæ, quòd natura creata vniatur ſuppoſito diuino, ſic vt cum eo conſtituat vnam perſonam, hinc neceſſariò eſt aliquid ſupernaturale: eſtque maximum donum reſpectu naturæ intellectualis, vt tradit D.Th. infra ar. 10. ad 1.& qu. 4. ar. 1. ad 2. Caiet. ibid. & alij. Cæterùm notandum eſt, quod modus hic ſubſtantialis non ſit omninò abſolutus, ſed eſſentialiter dicens ordinem quendam ipſius humanitatis ad Verbum, vtpore quo humanitas formaliter intelligitur exiſtere in Verbo, non veluti in ſubiecto, ſed vt in ſuppoſito, adeoque quo formaliter dependeat in ratione ſubſiſtendi à Verbo à quo hypoſtaticè ſuſtentatur: vnde non malè inter relatiua tranſcendentia, ſiue ſecundum dici, quæ per diuerſa quaſi vagantur prædicamenta, poteſt hæc vnio & hic modus referri: Ideoque ſi quis penitius introſpiciat ea quæ Durandus in 3. diſt. 5. q. 2. & 3. Ockam ibid. qu. 1. Scotus in 3. diſt. 1. qu. 1. & in 2. diſt. 1. qu. 4. tradunt de hac vnione, quando dicunt eam eſſe relationem quandam, non immeritò forſitan iudicabit, quod in re non diſcrepent à doctrinâ iam explicatâ, ſed in modo loquendi, & in vſu terminorum varient tantùm: quia volunt ſimpliciter vnionem eſſe aliquid reale productũ in humanitate, quod non aliâ ratione videntur vocare relationem, quàm quâ nos dicimus modum illum ſubſtantialem eſſe relatiuum: quia volunt eſſe per ſe & præcisè terminum intrinſecum actionis vnitiuæ, & proinde non eſſe relationem accidentariam prædicamentalẽ ad quã non eſt motus vel actio per ſe iuxta *Philoſoph. 5. Phyſ.* ſed eſſe de numero reſpectuum, qui ſunt reales modi eſſendi, qui vel per ſe conſequũtur ad fundamentum, vt eſt inhærere reſpectu accidentis, vti explicat Durand. vel qui extrinſecus rei adueniunt: ad cuiuſmodi reſpectus poteſt eſſe, & eſt, inquit ille, verus motus. Modum igitur hunc ſubſtantialẽ, qui eſt ineffabilis quædam humanitatis inexiſtentia in Verbo, vt ſuppoſitaliter eam terminãte, vocare videntur relationẽ, quia in ſua ratione includit eſſentialiter ordinẽ ſeu habitudinẽ tranſcendentalem ad Verbum, atque adeò à Verbo vt à termino extrinſecus ſpecificante dependet. Eodem ſenſu poteſt intelligi & explicari D. Thom. quando docet vnionem eſſe relationem, quandoquidem ipſe velit per realem mutationem produci & poni eam in humanitate, nec ab aſſumptione vt paſſio eſt, aliter diſtinguat, quam quod aſſumptio dicatur vt in fieri: vnio autem vt in facto eſſe: vt patet hic q. 2. art. 8. Quandoquidem igitur hæc aſſumptio & vnitio, ſiue actiua ſiue paſſiua, eſt mutatio ſubſtantialis, non accidentaria, conſequens omnino eſt, quod vnio vt intrinſecus terminus illius mutationis reſultans, & permanens, ſit quid ſubſtantiale, & proinde modus ille ſubſtantialis reſpectiuus, quem explicuimus, cum nõ videatur poſſe aliud permanens aſſignari quod habeat rationem medij vel vinculi formaliter cauſantis coniunctionem ſubſtantialem naturæ humanæ & Verbi: nam quod ad relationem aliquam accidentariam vnionis attinet, quæ poſſet intelligi quaſi ſuperuenire ex modo prædicto, vti fundamento, certum eſt quod illa non poſſit eſſe medium cauſans coniunctionem, vt ipſe D. Thom. expreſsè docet in 3. diſt. 2. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. reſp. ad 1. vbi ſic habet: *Ad primum dicendum, quod nihil prohibet accidẽs eſſe medium in coniunctione ſubſtantiali, ſicut coniunctionem conſequẽs: impoſſibile eſt tamen, vt ſit medium coniunctionem cauſans.*

50 Probatur itaque Concluſio tertiò, & declaratur exemplis: Quãdo enim anima vnitur corpori in reſurrectione, neceſſe eſt vt aliqua mutatio tunc fiat vel in corpore, vel in vtroque, nam ex illis entitatibus præcisè ſecundum ſe conſideratis non reſultat homo, ne quidẽ etſi ſecundũ locum eſſent ſibi approximatæ; ergo oportet aliquid addere ſecundum quod in illis, vel ſaltem in altero, fiat aliqua mutatio: illud autem non videtur aliter poſſe explicari, quam vt dicatur, ſubſtantialis modus quidam coniunctionis; ergo ſimiliter in pręſẽti materia dicẽdũ eſt. Proportionale quoq; exemplũ eſt de accidente inhærente ſubiecto: nã illa inhærentia præter ipſius accidentis entitatem quæ conſeruari poteſt ſine ſubiecto, eſt modus quidam ipſius accidentis naturæ accidentalis, videlicet vnio ad ſubiectum. Vnde hoc obſeruandum eſt, quod modi iſti generaliter loquendo, ſint in ſuâ ratione proportionati rebus quibus inſunt, & quas vniunt, ita vt ſint ſubſtantiales, quando ſunt illarum rerum quæ vniuntur ad vnam ſubſtantialem naturam, vel vnam perſonam ſecundum ſubſtantiam conſtituendam: accidentarij autem in alijs.

51 Sed obijcet aliquis: Vt natura creata vniatur creatæ ſuæ ſubſiſtentiæ non eſt neceſſarius modus aliquis ex naturâ rei ab illis diſtinctus, quo mediante iſta inter ſe coniungantur; ergò neque ponendus eſt modus ali-

Digitized by Google

dus aliquis ſubſtantialis in humanitate Chriſti tanquam formalis nexus, quo ſubſtantialiter vniatur perſonalitati Verbi, ſed ſufficere videtur actio vnitiua, & illi correſpondens paſſio in humanitate. Probatur Antecedens: Quia ſi neceſſarius ibi eſſet modus talis vniens naturam & ſubſiſtentiam, rurſum erit neceſſarius alius modus quo iſte vniatur naturæ ſubſtantiali, & ſic erit progreſſus in infinitum in modis ſubſtantialibus: non enim apparet ratio cur minùs poſſit natura vniri ſubſiſtentiæ ſuæ creatæ, quæ eſt quoque modus quidam ſubſtantialis eius abſque alio medio diſtincto, quàm alteri cuilibet modo ſubſtantiali qui ad ea formaliter coniungenda poſſit poni. Probatur Conſ. à paritate: nam perſonalitas Verbi eſt humanitati Chriſti loco perſonalitatis creatæ: non opus eſt igitur magis aliquo modo vniente hanc humanitatem cum perſona Verbi, quàm cum propria creata ſubſiſtentia, ſi hæc impedita non foret.

52 Reſpondetur Neg. Conſ. Illud enim diſcriminis eſt inter res omninò diſtinctas, & inter rem & modum rei, quod res omninò diſtinctæ non vniantur ſibi inuicem, niſi intercedat aliquis modus vnionis, ſaltem in altero extremo: vt ex exemplis allegatis ſatis patet: id verò quod eſt tantum modus rei, vnitur per ſeipſum rei; quia non habet realiter entitatem aliam ab ipſâ re, & eius formalitas conſiſtit in modificatione ipſius, ipſúmque eius vniri nihil eſt aliud, quàm rem actualiter modificare: vnde tametſi res poſſit conſeruari in eſſe abſque tali modo, non poteſt tamen modus conſeruari, quin actu coniunctus ſit, & afficiat ipſam rem cuius eſt modus; vti videre eſt in modis accidentarijs qui ſub ſenſum cadunt, vt in ſeſſione, ſtatione, figurâ, & in ſimilibus: quod ſignum eſt, ipſorum formale eſſe includere ipſam coniunctionem cum rebus; iam verò natura creata & creata eius ſubſiſtentia, habent ſe vt res & modus, ad quorum proinde coniunctionem alius modus non requiritur: ſed humanitas Chriſti & perſonalitas Verbi habent ſe omninò vt res diſtinctæ.

53 Ex hactenus dictis conſtat ſatis reſponſio ad Articulum ſeptimum propoſitum à D. Thomâ. Dicendum eſt enim vnionem ipſam naturæ diuinæ & humanæ, ſecundum quod conueniunt in vnâ perſonâ Filij Dei, eſſe quiddam creatum, prout D. Thomas rectè concludit: & oſtendi breuiter poteſt ratione, quam proponit in argumento ſed contra: quia vnio iſta quocumque modo ſumitur, non fuit ab æterno, ſed eſſe cepit in tempore; quemadmodum enim mutatio vnitiua cepit in tempore eſſe in humanitate Chriſti, ita & actio vnitiua cœpit eſſe in tempore: & conſequenter etiam incepit in tempore eſſe vnio iſta, quam diximus eſſe terminum actiuæ vnitionis, & ſubſtantialem nexum, quo vnita ſunt Verbum & humana natura: & conſecutiuè etiam natura diuina & natura humana in vnâ perſonâ, quod autem cœpit eſſe in tempore, illud creatum quid eſt: ac proinde quidquid quis dixerit hanc vnionem eſſe, debet fateri eſſe quid creatum: quia vnio hæc iuxta quodcumque ſignificatum ſuum, cœpit eſſe in tempore.

Obſeruandum tamen eſt, perſonæ vnitatem eſſe quid increatum, quia hæc non diſtinguitur à perſona, quæ æterna eſt & increata: ſed aliud eſt perſonæ vnitas, & aliud vnio naturæ humanæ & perſonæ vel naturæ diuinæ, & naturæ humanæ. 54

Pro reſolutione Articuli octaui ſit

CONCLVSIO tertia: Iuxta diuerſas acceptiones nominis vnionis diſtinguitur diuerſimodè vnio Verbi Incarnati ab aſſumptione. Declaratur: Si enim vnio ſumatur pro modo ſubſtantiali inexiſtentiæ humanitatis in Verbo, ſicuti explicuimus, quem alij multi videntur vocare relationem, vti diximus, tunc diſtinguitur ab aſſumptione, ſicut proximus & formalis terminus actionis ab actione, v. g. ſicut calor à calefactione actiua: Si autem vnio ſumatur pro actione vnitiuâ, ſic quoad rem non eſt actio diſtincta ab aſſumptione: differunt tamen in modo ſignificandi, quia aſſumptio ita ſignificat actionem illam, vt ſimul connotet principium illius eſſe terminum ſiue extremum cui coniungitur res quæ vniri & aſſumi dicitur: aſſumere enim idem eſt, quod aliud ad ſe ſumere; vnio autem ſiue vnitio hoc non conſignificat: hinc fit, quod ſolus filius in diuinis poſſit dici aſſumere naturam humanam, non Pater, aut Spiritus Sanctus; quia Filius ſolus eſt perſona ſic operans, hanc vnitiuam actionem, vt ad eius perſonalitatem terminetur vnio, ipſique ſic vniatur humanitas, vt à perſona filij in ratione ſubſiſtendi dependeat. Pater tamen & Spiritus Sanctus rectè dicuntur etiam vnire humanam naturam Verbo, eo quod vnire non importet principium efficiens vnionis eſſe vnum extremorum quæ coniunguntur. Inde præterea fit, quod aſſumptum conſignificet relationẽ quæ terminatur ad ipſum principium aſſumptionis, vnde & oportet diſtinctionem eſſe inter id, quod aſſumptum dicitur, & inter principium ſiue ſuppoſitum aſſumens: 55

mens: & propterea Verbum non poteſt dici aſſumptum, quia in illo neque reperitur relatiua oppoſitio ne quidem rationis ad ſuppoſitum aſſumens, neque ab eo diſtinguitur, cum ipſummet Verbum ſit ſuppoſitum aſſumens: rectè tamen dicitur vnitum, quia hoc ſimpliciter ſignificat coniunctionem inter extrema quæ vniuntur, non connotando aliam aliquam certam habitudinem, quæ vni potiùs quàm alteri extremo conueniat; neque ponit neceſſariò mutationem in vtroque, ſed ſufficit in altero poni, vnde in reliquo naſcatur aliquis reſpectus rationis, à quo denominetur vnitum. Vnde notandum, ſi vnitum acciperetur vt concretum vnitionis paſſiuæ, ſic Verbum non poſſe dici vnitum, quia paſſio & mutatio non eſt in Verbo recepta, ſed dependentia humanitatis terminatur ad Verbum vt perſonaliter eam ſuſtentans.

Similiter quod ad rem attinet, ab aſſumptione & vnitione non differunt Incarnatio Verbi, & Deificatio naturæ humanæ, quâ voce antiqui Patres in hâc materia etiam vti ſolent, dum dicunt, carnem vel humanitatem Deificatam, non quaſi in diuinitatē ſit conuerſa, ſed quia diuinâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtit: Diuerſitas tantum in eo eſt, quod licet ſignificent eandem actionem vnitiuam, tamen Incarnatio exprimit humanitatem ſiue carnem ſub ratione termini illius vnionis; Verbum autem ſignificat ſub ratione quaſi ſubiecti, non quidem inhæſionis propriè, ſed tanquam eius à quo in ratione ſubſiſtendi dependet, & in quo perſonaliter ſubſiſtat: quia licet tota mutatio ſit in humanitate tantum, tamen denominatio redundat in Verbū ob habitudinem dictam, ſic vt Verbum dicatur incarnatum, non autem humanitas incarnata; Deificatio è contrà exprimit Deitatem ſub ratione termini, & humanitatem ſub ratione ſubiecti, (quamuis propriè ſubiectum non ſit) ita vt humanitas ſiue caro inde dicatur Deificata, non autem Verbum dicatur Deificatum.

56 Ex dictis poteſt colligi, quomodo de termino actionis, quâ Verbum caro factum eſt, ſit loquendum. Suprà namque art. 4. explicuimus, quis eius ſit terminus qui, ſiue terminus vt quod. Ad formalem autem terminum quod attinet, propriè & præcisè loquendo, iuxta ante dicta, is conſtituendus eſt modus ille ſubſtantialis in humanitate Chriſti productus per hanc actionem. Si tamen eadem actio conſideretur ſub ratione diuinæ communicationis, & non præcisè ſub ratione vnitionis, ſic ſubſiſtentia Verbi poterit dici eius terminus, non quaſi producta, ſed vt communicata naturæ humanæ, eamque perficiens. Si verò conſideretur vt per eam Verbum caro factum eſt, ſic poterit etiam humanitas dici terminus formalis, nō quoque ſecundum ſe, ſed vt coniuncta Verbo; atque ita quomodocumque terminus formalis explicetur, ſemper modus iſte vnionis inuoluitur, quia illo mediante perſonalitas Verbi communicatur humanitati, & natura humana fit dependens & ſubſiſtens in Verbo: atque ita iuxta diuerſas has conſiderationes fortitan poterunt conciliari opiniones Doctorum, dum alij Verbum ſiue ſubſiſtentiam Verbi, alij humanitatem, alij modum ſubſtantialē productum, volunt eſſe formalem terminum actionis Incarnationis.

Quæret aliquis, Quis ſit terminus à quo huius actionis? Reſp. eſſe carentiam aut potius negationem ipſius termini ad quem: docet enim Philoſophus generaliter terminum à quo generationis eſſe priuationem formæ quæ per generationem introducitur. Vnde ſi conſideretur hæc actio, quatenus per illam humanitas vnitur Verbo, terminus à quo illius erit abſentia talis vnionis: quia ex vi huius actionis humanitas ex non vnita fit vnita Verbo: ſi autem conſideretur, quatenus per illam humanitati communicatur ſubſiſtentia Verbi, terminus à quo eſt negatio ſubſiſtentiæ diuinæ ſuſtentantis humanitatem perſonaliter: ſi denique conſideretur, vt per hanc actionem humanitas ſuo modo communicatur Verbo, & ita Verbum fit homo, ſic terminus à quo poteſt aſſignari hæc negatio, Verbum non eſſe hominem. Vide Suares tomo 1. in Tertiam partem diſp. 8. ſect. 3. vbi plures opiniones recenſet & refutat. 57

ARTICVLVS IX.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo ſit maxima vnionum?

CONCLVSIO Prima: Vnio Incarnationis conſiderata ex parte naturarum quæ coniunguntur, non habet præeminentiam ſupra omnes vniones, Eſt D. Thomæ: eamque tanquam manifeſtam abſque probatione videtur ſupponere: poteſt tam ratio eius ſumi ex ſecundo argumento D. T: quod ſic opponitur: Quantò ea quæ vniuntur, magis diſtant, tantò minor eſt vnio: ſed ea quæ ſecundum hanc vnionem vniuntur maximè diſtant, ſcilicet natura 58

natura diuinâ & humana: diſtant enim in infinitum; ergo &c. Ad quod ipſe poſtmodum tantùm reſpondet, quod ratio illa procedat ex parte coniunctorum: atque ita videtur admittere, quod probet vnionem ex parte naturarum non habere præeminentiam ſupra omnes vniones. Sed argumentum iſtud infra latiùs explicabitur, vbi oſtendendum erit, quomodo non militet contra concluſionem proximè ſtatuendam. Accedit quod ex illis naturis inter ſe proximè collatis vt ſic, non fiat aliquid vnũ, quia non ſibi immediatè vniuntur, ſed vniuntur in perſonâ, quare inter illas vt ſic non eſt maxima vnio.

Dico ex illis vt ſic, quia natura diuina identificatur perſonalitati Verbi, & proinde ſi res conſideratetur non vt natura, ſed vt identicè eſt perſona, ſic ex perſona cui diuinitas identificatur, & naturâ humanâ proximè componitur quid vnum.

59 Conclvsio Secunda: Si autem conſideretur vnio Incarnationis ex parte eius in quo coniunguntur extrema, id eſt, ſecũdum quod vtraq; natura vnitur eidem perſonæ videlicet Verbi, ſic habet præeminentiam ſupra omnes vniones creatas quibus duæ res in vno aliquo vniuntur: idq; non tantum ratione dignitatis eius in quo vniuntur, ſed etiam ſecundum formalem rationem vnionis. Eſt quoque Diui Thomæ hic, & clariùs in 3. d. 5. qu. 1. reſp. ad quæſtiunc. 1. contra Durandum quoad partem poſteriorem, qui in 3. d. 5. qu. 3. tenet vnionem materiæ & formæ ſiue corporis & animæ eſſe maiorem in ratione vnionis.

60 Notandum Primò, Diuum Thomam hic agere de ipſa ſubſtantiali vnione, vt obſeruat Caietanus hoc loco, & videtur innuere ipſe Diuus Thom. quando initio Corporis dicit, vnionem importare coniunctionem aliquorum: non autem de relatione: quam in 3. loco ſup. cit. admittit interuenire, vt aliquid conſequens coniunctionem non vt cauſans: quia nuda relatio quæ conſequens eſt coniunctionem ſubſtantialem non tanti momenti eſſe videtur, vt hanc mereatur diſputationem.

61 Notandum Secundo: Quando Diuus Thomas in Corpore dicit, Poſſe vnionem Incarnationis dupliciter accipi: vno modo ex parte eorum quæ coniunguntur, & alio modo ex parte eius in quo coniunguntur, non eſſe hoc ſic accipiendum, quaſi ſenſus eſſet, quod vnio debeat æſtimari ex parte extremorum ſecundum ſe ſimpliciter cõſideratorũ, vel ex parte eius in quo vniuntur prout hoc ſimpliciter in ſe vnum eſt: iſtæ enim conſiderationes nõ ſufficiunt ad colligendam extremorũ ſingularẽ vnionem, vel vnionis præeminẽtiam: quia ſic liceret colligere tantam eſſe vnionem naturæ diuinæ & naturę humanæ in perſona Verbi, quanta eſt Patris & Filij & Spiritus Sancti in vnâ diuinâ eſſentiâ: Imò tãtam eſſe vnionem omnium iuſtorum per gratiam vel affectum, quo vniuntur in Deo: ſed ſenſus eſt, quod vnio poſſit conſiderari vel ex parte extremorum, quatenus hæc apta ſunt inter ſe immediatè coniungi, atque adeo quatenus de facto inter ſe proximè vniuntur, ſecundum propriam ipſorum rationem: in quo ſenſu explicuimus priorẽ Diui Thomæ concluſionem, vel quod poſſit conſiderari ex parte eius in quo coniunguntur, non quaſi vnio iſta æſtimanda ſit præcisè ex illius vnitatis ratione quæ in illo tertio reperitur: ſed quia æſtimanda eſt ſecundum rationem vnionis, quâ extrema vniuntur iſti tertio habitâ ſimul ratione vnitatis, & ſimplicitatis illius tertij: Iuxta quem ſenſum indicauimus intelligendam concluſionem poſteriorem. Quæ apertiùs explicat D. Th. in 3. loco ſuprà cit. vbi his verbis docet vnionem trium perſonarum in vnâ eſſentiâ eſſe maiorem, quàm duarum naturarum Chriſti in perſonâ Verbi: quamuis enim, inquit, perſona ita ſit ſimplex & vnum ſicut eſſentia, tamen quælibet trium perſonarũ eſt idem re cum ipſâ eſſentiâ in qua vniuntur, non autem vtraque natura in Chriſto eſt idem re cum perſonâ diuinâ, & ita vnio perſonarum in vna eſſentia eſt maior, quàm vnio naturarum in vnâ perſonâ.

Probatur nunc Concluſio primò ex Bernardo lib. 5. de Conſider. cap. 8. vbi ita ſcribit: Inter omnia quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres perſonæ vna ſubſtantia ſunt: ſecundo loco illa præcellit quâ è conuerſo tres ſubſtantiæ vna in Chriſto perſona ſunt. Vbi per tres ſubſtantias intelligit diuinitatem, animã, & corpus. Reſpondet quidem Durandus Bernardum loqui de dignitate vnionis propter perfectionem perſonæ, non autem propter perfectionem coniunctionis: ſed fallitur: ex connexione enim textus ſatis conſtat D. Bernardum agere de ipſâ ratione vnionis: ideo enim dicit vnitatem Sanctiſſimæ Trinitatis præcellere, non quia diuina natura dignior ſit perſonâ, ſed quia tres perſonæ ſunt vna natura, ſiue ſubſtantia, ita videlicet, vt diximus ex D. Thoma, quod quælibet perſona ſit idem re cum iſta ſubſtantia, non autem ſic tres aliæ ſubſtantiæ ſunt idem re cum perſonâ. 62

Idem colligitur ex cap. 9. ſequente. Huc etiam facit illud D. Leonis ſerm. 17. De paſſione, vbi ait: In tantam vnitatem Dei & homi- 63

hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte diſiungi: quibus tacitè innuit, maiorem & arctiorem iſtam eſſe coniunctionem, quàm ſit animæ & corporis, quæ morte diſſoluitur. Vide & Cyrillum de Incarnatione Vnigeniti cap. 7.

64 Probatur Secundò ratione: Prima ſit quam indicat D. Bernardus, quia per hanc vnionem tres ſubſtantiæ ſunt vna perſona, tali videlicet modo, vt naturæ iſtæ concretim expreſſæ, non adiectiuè tantum, ſed ſubſtantiuè, verè dicantur de eâdem perſonâ, atq; etiam de ſe inuicem: ob hanc enim vnionem ſicuti verè dicitur Verbum eſt Deus, ita & Verbum eſt homo, item homo eſt Deus, & Deus eſt homo: cuiuſmodi prædicationes non ſequuntur ad vniones accidentarias ſiue extrinſecas, ſiue intrinſecas: neque enim indumentum dicitur homo, nec è contra: neque vnum indumentum dicitur alterum, licet idem homo illis induatur: neque albedo dicitur dulcedo, aut è contrà, quantumuis vni ſubiecto aut ſuppoſito inſint. Imò nec eiuſmodi prædicationes ſequuntur ad coniunctiones ſubſtantiales partium integralium vel eſſentialium; quia manus non dicitur pes, nec è contrà: neq; manus diditur Petrus aut Paulus, licet partes illæ ſibi in vno toto copulentur: neque corpus dicitur anima, nec anima corpus aut compoſitum. Patet igitur hanc vnionem naturarum in perſona Chriſti magis intimam eſſe, abſolutiuſque facere vnum, quàm aliam qualemcumque compoſitionem aut vnionem.

65 Secunda ratio, quia pertinet hæc vnio ex parte vtriuſque naturæ, cum perſona, ad rationem coniunctionis naturæ & ſubſiſtentiæ: hæc autem maior & ſimplicior eſt, quàm ea quæ eſt materiæ & formæ. Vnde & in Angelis iſta reperitur, non hæc.

Tertia ratio: quia perſonalitas Verbi eſt res perfectiſſimè vna & ſimplex; ergo quod ex illâ & re aliâ huic intimè & ſubſtantialiter vnitâ exurgit, eſt quid magis vnum, quàm quod ex alijs rebus inter ſe realiter diſtinctis & vnitis reſultat.

Quarta ratio: quia hæc vnio, vt indicat Diuus Leo loco ſuprà citato, eſt indiſſolubilior, quàm ſit vnio animæ & corporis: cum enim ſit ſuperioris & excellentioris ordinis, requirit infinitam virtutem, & influxum cauſæ agentis adeò efficacem, vt à nullo vinci poſſit; imò quia extraordinarij ordinis eſt, non habet contrarium ſui corruptionem.

66 Sed primò hic opponunt aliqui ſecundum argumentum D. Thomæ, quod deſumitur ex maxima diſtantia extremorum, ſcilicet naturæ diuinæ & naturę humanæ: vnde inferunt, quod eorum vnio etiam in perſonâ Verbi, non poſſit habere præeminentiam in ratione vnionis ſupra omnes vniones creatas, quibus res plures in vno aliquo vniuntur. Diximus antè num. 58. ex illo argumento ſumi poſſe rationem & fundamentum prioris Concluſionis, quam alioquin Diuus Thomas non probat, ſed vt notam videtur ſupponere: non tamen militare contra hanc poſteriorem Concluſionem. Quod vt pleniùs intelligatur, reſpondemus ad Aſſumptum cum diſtinctione: Si enim hoc ſenſu accipiatur: Quantò ea quæ vniuntur, magis diſtant ſecundum propriam naturæ & entitatis rationem, eò minorē inter illa interuenire poſſe vnionē in ratione vnionis, ita ſimpliciter negandū erit; magis enim ſecundum naturæ & entitatis rationem, differunt corpus & anima (quia vnum eſt materiale, alterum immateriale) quàm anima & Angelus, vbi vtrumque eſt ſubſtantia immaterialis: item materia ſubſtantialis & accidens magis diſtant ſecundū propriā naturæ rationē, quàm aliqua duo accidentia, quæ ſub vno aliquo genere continentur, vt albedo & dulcedo: & tamen maior vnio in primis nata eſt fieri, & fit inter corpus & animam, quàm inter animam & Angelum: & deinde etiam inter materiam & accidens, vt v. g. inter corpus & albedinem, quàm inter duo accidentia, vt quàm inter albedinem & dulcedinem: ſi verò intelligatur: quantò magis aliqua diſtant quoad proportionem ad vnum aliquid componendum, tantò minor eſt vnio, ſic admittimus quidem: ſed ſubſumptum quod fiet, illo ſenſu negabitur: imò natura diuina & natura humana (quamuis proportionem non habeant, vt in quantum naturæ ſunt, vniantur inter ſe proximè ſic vt ex illis aliquid vnum exurgat quâ de causâ ſuprà D. Tho. dixit, ex parte extremorum non habere præcellentiam ſupra omnes vniones, vti explicuimus) tamen habent proportionem vt vtraq; vniatur eidem perſonalitati, & ſic vtraque conſtituat eandem perſonam, quæ vna eademque ſit Deus & homo: & ſic patet non diſtare illas maximè quoad proportionem ad vnum aliquod conſtituendum, quandoquidem habent proportionem hanc vt ſubſtantialiter eidem ſubſiſtentię vniri poſſint: quamuis cum illo diſcrimine, quod natura diuina illi identicè vniatur, non ſic autem vniatur nec vniri poſſit natura humana, vtpote quæ à perſonalitate Verbi omnino realiter eſt diſtincta.

Digitized by Google

67 Obijcitur Secundò: Ex vnione animæ & corporis reſultat non tantùm vna perſona, ſed etiam vna natura; ergò videtur hæc vnio maior. Reſpondetur Negando Conſequentiam: Inde enim ſequitur tantum, terminum illius vnionis, ſiue compoſitum reſultans eſſe pluribus modis vnum, quatenus ſcilicet habet vnitatem naturæ & vnitatem perſonæ creatæ: non verò eſſe abſolutè magis vnum, vt ex antè dictis ſatis poteſt intelligi.

Obſeruandum denique hîc eſt, comparationem non debere fieri, niſi inter vniones, quibus res realiter diſtinctæ vniuntur, & vnum aliquid conſtituunt: neq; vnitatem de qua agimus, debere conferri niſi cum vnitate ex talibus vnitis reſultante, non autem cum vnitate rei alicuius omnino ſimplicis: quamuis enim perſona diuina ſuperet ſimplicitate & vnitate res omnes creatas, tamen vnitas compoſiti ex perſona & humanitate Chriſti non videtur ſuperare vnitatem omnem rei ſimplicis in ratione vnitatis: licet enim poſſit dici ſuperare vnitatem numeralem quæ eſt pars numeri prædicamentalis, vti hîc indicat Diuus Thomas ad Primum, quia vnitas illa numeri eſt ſuo modo compoſita ex partibus continui in quo reperitur, tamen non videtur in ratione vnitatis debere dici ſuperare vnitatem aliquam tranſcendentalem v.g. puncti aut rei ſpiritualis omnino ſimplicis à parte rei.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm hæc Vnio ſit etiam maxima in ratione doni?

68 Reſpondeo quod hæc vnio ſit perfectiſſimum gratiæ opus, quo Deus cõmunicat creaturæ quid melius & excellentius, quàm per vllam aliam actionem communicet. Eſt communis doctrina & omnino tenenda contra Durandum & alios quoſdam, qui exiſtimant perfectiorem, & digniorem eſſe vnionem, quâ Deus per viſionem & amorem beatificum ſe communicat & vnit homini, atque adeo eam eſſe excellentius Dei donum: quia ſcilicet reddit formaliter hominem beatum, & explet omne deſiderium.

Sed probatur Reſponſio ex Diuo Auguſtino lib. de prædeſt. Sanc. cap. 15. vbi hanc vnionis gratiam ſignificat excellentiſſimam eſſe, & tantam humanæ naturæ ſubuectionem & eleuationem, vt quo altiùs attolleretur, non haberet: & ad illud Euangelij Ioannis cap. 1. *Et Verbum caro factum eſt*: hoc (inquit) maius eſt, & difficilius, quam illud quod præmiſerat, *Et dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Probatur Secundò ratione, quia in primis per hanc vnionẽ communicatur naturę humanæ non tantum diuinitatis quædam ſimilitudo, ſed ipſa perſona diuina ſecundum ſe, & ſubſtantialiter, ita vt ratione huius communicationis hic homo verè ſit Deus, & omnis plenitudo diuinitatis dicatur in illo habitare corporaliter: vt diximus ex Apoſtolo ad Coloſſ. cap. 2. ergo eſt donorum omnium donum maximum.

Confirmatur ex eodem Apoſt. ad Heb. 69 c. 1. vbi ratione huius vnionis Chriſtum hominem ſupra omnes Angelos extollit, dum de eo ſcribit: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu*: per hanc itaque vnionem, hic homo eſt Filius Dei; ergo &c. Deinde ob hanc vnionem debetur humanitati Chriſti tanquam alteri naturæ perſonæ Verbi omnis excellentia gratiæ & gloriæ: quia omnes excellentiæ ſupernaturales creatæ habent quandam naturalem ſequelam & coniunctionem cum hypoſtatica vnione, & in hac veluti radice cõtinentur. Vnde D. Thomas infrà q. 7. art. 13. ad Tertium dicit, gratiam vnionis non eſſe in genere gratiæ habitualis, ſed eſſe ſupra omne genus, ſicuti ipſa diuina perſona, quam ſcilicet includit tanquam terminum ſuum, ad quem eſſentialiter ordinem dicit; ergo &c.

Notandum tamen eſt, ſi hæc vnio ſola 70 & nudè ſine donis creatis, quæ naturali quaſi fluxu ab illa in naturam humanam deriuantur, ſeorſim ſpectaretur, poſſe de ea ſic conſiderata admitti, quod tali modo non eſſet humanitati optabilior, quàm vnio quæ eſt per beatificam viſionem, non obſtante quod in ſe incomparabiliter ſit præſtantior: quemadmodum non eſſet optabilius habere animam rationalem priuatam omni omnino operatione, tum potentiarum intellectualium, tum ſenſitiuarum quia minus delectabile quam habere animam ſenſitiuam cum ſuis operationibus, non obſtante, quod habere animam rationalem etiam ſic eſſet præſtantius, quã habere animam ſenſitiuam: quia ſcilicet, bene eſſe hominis & fœlicitas eius conſiſtunt in poſſeſſione ſummi boni non modo mortuo, ſicuti arca diceretur tenere & poſſidere aurum, ſed in poſſeſſione illius modo vitali, ſicuti viſus tenet & poſſidet pulchritudinem & auditus ſuauitatẽ harmoniæ, & hoc ad ſummum poſſet oſtendere fundamentum Durandi.

ART.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Vnio Incarnationis ſit facta per gratiam?

71 Notandum hîc cum D. Th. gratiam dupliciter dici: Vno modo gratiam vocari ipſam Dei voluntatem gratis aliquid dantis; alio modo ipſum gratuitum Dei donum quod confertur. Nunc ſit

Conclvsio Prima: Vnio Incarnationis facta eſt per gratiam priori modo acceptâ, id eſt, per gratuitam planè Dei voluntatem. Eſt certa. Probatur ex D. Aug. de Prædeſt. SS. c. 15. Eâ gratiâ fit ab initio Fidei ſuæ homo quilibet Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus, id eſt: illa gratuita Dei voluntate gratis iſta operante. Et ratio eſt, quia hæc vnio ſuperat omnem totius naturæ facultatem, omniaque merita; ergò per gratuitam Dei voluntatem facta eſt.

72 Conclvsio Secunda: Vnio Incarnationis non eſt facta per gratiam habitualem. Probatur: quia neque in genere cauſæ formalis facta eſt per talem gratiam, neque in genere cauſæ efficientis, vel etiam per modum diſponentis: Confirmatur quod non in genere cauſæ formalis, quia ſic vnio iſta eſſet accidentaria, quod ſuprà tanquam contra Fidem reiectum fuit: Deinde, vt habet Diuus Thomas hîc ad Primum: gratia iſta habitualis eſt tantùm quædam participata ſimilitudo diuinitatis in homine; per Incarnationem autem, humana natura non dicitur participaſſe ſimilitudinem aliquam diuinæ naturæ; ſed coniuncta eſt ipſi naturæ in perſona Filij. Non etiam in genere efficientis, ſiue per modum diſponentis, quia habitus in illo genere ordinatur tantum ad operationem, quatenus videlicet ad operationis perfectionem requiritur quod potentia ſit per habitū perfecta; vnio autē hæc non eſt operatio aliqua vt ad eam requiratur habitus, ſed eſt obtentio, & quaſi poſſeſſio quædam ipſius eſſe perſonalis Filij Dei: Hoc autem quòd natura habeat eſſe in ſuo ſuppoſito, non fit mediante operatione per aliquem habitum.

73 Conclvsio Tertia: Vnio Incarnationis, quamuis non ſit facta per gratiam habitualem, vt dictum eſt, poteſt tamen Ipſa dici gratia quædam, & quidem maxima. Ita Diuus Thomas hîc: quia eſt quoddam gratuitum Dei donum ſummum. Patet ex dictis in fine Articuli præcedentis.

Obſeruandum autem hîc eſt in myſterio Incarnationis plura concurrere, quæ ſingula poſſunt reſpectiuè aliquo modo vocari Gratia vnionis: primò namque extrinſecè poteſt dici gratia vnionis, id quod effectiuè facit vnionem videlicet bona & gratuita Dei voluntas, quæ gratis hoc myſterium operata eſt, quamuis hæc locutio videatur minus propria, minuſque ſit vſitata. Secundò, poteſt quoque extrinſecè dici gratia vnionis, omnis gratia reſultans ex vnione in humanâ naturâ Chriſti, & hoc modo ipſa gratia habitualis Chriſti quatenus illi data eſt ratione vnionis, poteſt vocari gratia vnionis: qui tamen ſermo etiam improprius eſt, & præter communem loquendi modum. Tertiò itaque gratia vnionis propriè & intrinſecè dicitur ipſa Vnio ſubſtantialis naturæ humanæ cum perſona Verbi. Et quia in hac vnione donatur naturæ humanæ ipſa perſonalitas increata Verbi, ideo nomen gratiæ vnionis etiam perſonæ Verbi tribuitur, quatenus eſt donum gratuitum humanitati conceſſum. Vnde & gratia vnionis dicitur aliquando gratia increata & donum increatum: quemadmodum & Perſona Spiritus Sancti ſolet dici donum increatum. Loquitur autem Diuus Thomas hoc Articulo, potiſſimum de Gratia vnionis iuxta tertiam & propriam acceptionem, vt colligitur tum ex Corpore, tum ex reſponſione ad Tertium.

ARTICVLIS XI.

Vtrùm vnionem Verbi Incarnati aliqua merita præceſſerint?

Conclvsio Prima Diui Thomæ eſt: Nulla merita ipſius Chriſti potuerunt præcedere vnionem. Probatur: 74
quia omnis operatio Chriſti hominis eſt ſubſecuta vnionem: non enim fuit Chriſtus aliquando priùs purus homo, vt per meritum bonæ vitæ obtinuerit poſtea, vt eſſet Filius Dei: ſed à principio ſuæ conceptionis, ille homo verè fuit Filius Dei, iuxta illud Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei*: ergo nulla eius operatio potuit eſſe meritum vnionis huius.

Conclvsio Secunda D. Thomæ: Neque alius quiſquam hominum potuit hanc 75
vnionem de condigno mereri. Probat Diuus Thomas primò, quia meritum hominis de condigno ordinatur propriè

ad beatitudinem tanquam æquale virtutis præmium: vnio autem hypoſtatica altioris eſt ordinis vtpote quæ eſt in Eſſe perſonali, quàm ſit vnio beatæ mentis ad Deum, quæ eſt per actum fruentis: ergo vnio Verbi incarnati non cadit ſub condignum meritum hominis. Secundò, quia principium merendi non cadit ſub meritum: ſed myſterium Incarnationis eſt principium, non tantùm meriti, ſed etiam principium principij meriti, videlicet ipſius gratiæ: iuxta illud Ioannis cap. 1. *Gratia, & veritas per* IESVM *Chriſtum facta eſt.*

76 CONCLVSIO Tertia: Sancti Patres de congruo meruerunt Incarnationem Verbi eam deſiderando, & petendo: quia congruum erat, inquit Diuus Thomas, vt Deus eos exaudiret qui ei obtemperabant. Hoc tamen intellige de Incarnatione quoad eius executionem, non quoad eius prædefinitionẽ. Sed de his inf. latius.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm gratia vnionis fuerit homini Chriſto naturalis?

77 NOtandum Primò, ſermonem eſſe de gratia vnionis in eâ acceptione quâ ſumitur pro ſubſtantiali modo quo humana natura ſic vnitur Verbo, vt Verbi perſonalitate ſubſiſtat: quod colligitur ex reſponſione ad Tertium præcipuè vbi oſtendit ſe loqui de gratiâ vnionis creatâ, cuius actiuum principium dicit eſſe naturam diuinam, & proinde totam Trinitatem. Ex occaſione tamen ſimul reſpondet etiam Diuus Thomas de gratiâ habituali, quam contra gratiam vnionis diſtinguit. Notandum Secundò, articulum proponi non de Chriſto abſolutè, ſed de homine Chriſto, quod aduertit Caietanus, vt videlicet denotetur ſermonem eſſe de ſuppoſito diuino non ſecundum ſe, ſed ſubſiſtente in humanitate. Notandum Tertiò, quando Diuus Thomas in Corpore diſtinguit inter naturale quod tale dicitur, quia eſt ex principijs eſſentialibus rei, & inter naturale quod ſic dicitur, quia à natiuitate competit, ipſum tunc ſub priori membro comprehendere non tantum quod naturali & neceſſariâ dependentiâ ſequitur naturam alicuius, ſed etiam omne illud quod naturæ eſt aliquo modo debitum, aut conſentaneum, quodve viribus naturę eſt proportionatum, ſiue neceſſariò ſiue liberè à natura procedat, aut producatur; ſiue ſemper conueniat, ſiue aliquando tantùm.

CONCLVSIO Prima: Gratia vnionis non poteſt dici naturalis homini Chriſto tanquam proueniens ex principijs humanæ naturæ. Eſt Diui Thomæ hic, eamque tanquam notam & certam ſine probatione ſupponit.

CONCLVSIO Secunda: Poteſt tamen dici hæc vnio naturalis Chriſto homini, quaſi profluens in humanam naturam, cauſante hoc eiuſdem Suppoſiti naturâ diuinâ. Patet, quia poteſt hoc dici Suppoſito naturale, quod viribus propriæ naturæ ſibi præſtat: natura autem diuina quæ eſt etiam natura Verbi & Chriſti, eſt principium actiuum illius vnionis, ergo poteſt vnio iſta hoc ſenſu dici Chriſto naturalis. Eandem concluſionem extendit Diuus Thomas ad gratiam habitualem Chriſti: de quâ hoc amplius poteſt dici, quod non tantum ſit naturalis, quia à natura Chriſti diuina eſt cauſata in humanitate, ſed etiam eo nomine naturalis, quia ſuppoſitâ hypoſtaticâ vnione erat humanitati Chriſti debita: ipſa verò gratia vnionis nullatenus debita eſt naturæ humanæ.

CONCLVSIO Tertia: Poteſt inſuper dici hæc gratia naturalis, quia ab initio conceptionis fuit collata humanæ naturæ Chriſti: ſimiliter poteſt & habitualis gratia illi dici naturalis. Patet, quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ perſonæ vnita, & anima eius fuit omni gratiâ repleta, vt infra latiùs demonſtrabitur.

QVÆSTIO TERTIA
De modo vnionis ex parte perſonæ aſſumẽtis

In octo Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.
Vtrũ perſona diuina conueniat aſſumere naturam creatam?

1 SVpponit hic D. Th. naturam creatam hypoſtaticè eſſe Deo vnitam, vt ex Corpore ſatis colligitur: & eo poſito, quærit: An perſona diuina, ratione actionis videlicet quâ vnio iſta factà eſt, conuenienter dicatur aſſumere naturam creatam?

2 CONCLVSIO itaque D. Thomę eſt: Proprijſſimè conuenit perſonę & dicitur aſſumere naturam. Probatur: quia aſſumptio præter actionem quam ſignificat, importat inſuper ipſum aſſumens, ſiue quod aliquid âſſumere dicitur, eſſe actionis principium & terminum: atqui hypoſtaticæ vnitionis, principium, & terminus eſt perſona diuina; ergò proprijſſimè conuenit illi, & dicitur aſſumere naturam. Maior eſt manifeſta, quia aſſumere nihil eſt aliud quàm ad ſe ſumere, vbi vtraque dicta habitudo manifeſtè includitur. Probatur Minor pro parte priori; quia perſonę competit propriè agere: quarè cum illa actio vnitiua ſit actio diuina, rectè attribuitur perſonæ, tanquam illius principio.

Probatur pro parte poſteriori: quia vnio facta eſt in perſonâ, non in naturà: & formaliter loquendo humanitas immediatè eſt vnita perſonalitati, non immediatè naturæ diuinæ, ergò perſona diuina eſt quoque terminus huius vnitionis tanquam alterum extremum cui fit cõiunctio naturæ humanæ. Vide dicta quæſtione præcedente articulo ſeptimo & octauo.

3 Sed obijcitur: Perſonæ diuinæ cum ſit infinita, nulla additio fieri poteſt: vnde Cyrillus Epiſtolâ ſynodali Epheſinâ, ait. Non ſecundum appoſitionem, coniunctionis intelligimus modum, atqui illi qui aſſumit, additur aliquid [ergò non poteſt perſona diuina dici aſſumere naturam creatam. Reſpondetur diſtinguendo aſſumptum: ſi intelligatur quod perſonæ diuinæ, quia infinita, nulla poſſit fieri additio, ſcilicet alicnius quod ipſam compleat, aut quouis modo illam perficiat (quod nomen addirionis innuere videtur) ſic verum eſt, ſed ad eum ſenſum non eſt vniuerſaliter vera Minor: non enim quicumque aſſumit aliquid, neceſſariò inde redditur completior, aut perfectior: ſi verò intelligatur, quod ne quidem generaliter de additione loquendo, quouis modo poſſit dici quippiã addi perſonę diuinæ quia infinita, hoc ſenſu negatut: quia eius infinitudini non repngnat, quod ei dicatut addi, cuius in ſe perfectionem priùs habeat eminentiori modo, quàm ipſa res eam in ſe formaliter continens, illam habeat: cuius proinde additione non efficitur ipſa perſona diuina perfectior.

Quare hoc modo, quemadmodum aſſetimus Perſonam rectè dici aſſumere naturam creatam, ita nihil vetat quo minus etiam dicatur iſta natura illi addi, potiſſimùm cum explicatione iam datâ: alioquin verum eſt, quod magis propriè dicitur humanitati addi aliquid, videlicet Verbum, quàm ipſa dicatur addi Verbo, propter rationem ſcilicet quã indicauimus: quia nomen additionis inſinuat illud quod additur aliquo modo complere aut perficere illud cui additur: perficitur autem humana natura per Verbum, non autem Verbum per humanitatem. Ad Cyrillum quod attinet, ipſe ſolum docet hunc coniunctionis modum non fuiſſe ſecundum appoſitionem extrinſecam, ſicut veſtis apponitur perſonæ, aut ſicut is qui inhabitat templum, poteſt dici appoſitus & inſidens templo: neque etiam ſecundum appoſitionem accidentariam per gratiam: non autem intendit negare ſubſtantiali modo aliquid vnitum Verbo, & eatenus aliquid illi additum. 4

DVBIVM VNICVM.

Vtràm perſona creata poßit terminare alienam naturam?

5 REſpondeo & dico primo: Nulla perſona creata viribus naturæ poteſt alienam naturan aſſumere in vnitatem ſuppoſiti, eamque perſonaliter ſuſtentare. Eſt propoſitio communis & certa: hæc enim eſt uaturalis conditio rerum, vt naturæ ſingulæ ſuam habeant ſubſiſtentiam propriam & per ſe exiſtant: uaturale autem agens non poteſt eiuſmodi naturalem rerum ordinem, & conditionem ſuâ virtute mutare. *Dico Secundò*: Neque id fieri poſſe videtur abſolutâ Dei potentiâ. Eſt ſententia communnior Doctorum.

Colligitur ex D. Th. hic ad ſecundum vbi ait: Hoc autem eſt proprium diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum ſecundum ſubſiſtentiam. Et tenent Caiet. & Medina hic: Durandus in 3. Diſt. 1. qu. 5. Palud. ibid. q. 1. ar. 2. Soto in 4. d. 9. q. 2. ar. 2. & Henricus Quodl. 11. q. 1. Diuerſi diuerſas aſſignant rationes huius impoſſibilitatis quam ſtatuunt. Omiſſis autem alijs, videtur hæc eſſe ſolidior, quia ſcilicet perſonalitas creata eſt tantùm modus naturæ, qui à natura non diſtinguitur vt res à re, ſed ex natura rei modaliter tantum: atqui impoſſibile eſt modum rei alicuius realiter ab illâ non diſtinctum modificare rem aliam diſtinctam realiter ab illa re cuius hic eſt modus, vt inductione declarari poteſt: fieri enim nequit, quod per inhærentiam huius albedinis altera albedo ab hac realiter diſtincta inhæreat ſubiecto: aut quod per meā ſeſſionē ſedeat alius homo, vel quod figura huius quantitatis afficiat aliam quantitatem ab hac diſtinctam.

6 Et ratio à priori reddi poteſt, quia eſſentialis conditio eiuſmodi modorum eſt, vt quilibet realiter ſit ipſa res quam modificat, habeatque cum illâ intrinſecam adæquationem in præſtando ſuo effectu formali aut quaſi formali, vt ex allegatis exemplis videtur ſatis patefieri: quia reuerà modus nihil eſt aliud quàm res ipſa cuius eſt modus, taliter ſe habens, vel ſic terminata.

Obijcitur Primò: Inde ſequitur, quod ne quidem perſona diuina poſſit terminare naturam alienam. Reſpondetur Neg. Aſſ. quia perſonalitas diuina non eſt tantum modus, ſed eſt etiam per ſe res perfectiſſima & actus puriſſimus: & quia hoc peculiare eſt increatæ perſonalitati propter ſuam infinitudinem, hinc ſcribit Suarez tomo 1. in 3. partem Diſp. 13. art. 4. Meritò dixiſſe hic Diuum Thomam, eā ratione hoc eſſe proprium diuinæ perſonæ.

7 Obijcitur Secundo: Illa ratio iam explicata, quare perſona creata non poſſit terminare naturam alienam, nihil probat ſaltem contra illos, qui ponunt diſtinctionem realem inter perſonalitatem creatam & naturam. Reſpondetur ita eſſe: & ſuppoſitā illorum opinione, non facilè poſſe aſſignari repugnantiam in hoc, quod perſona creata admittatur per abſolutam Dei potentiam terminare naturam alienam: nam quod vna perſonalitas creata, ſi admittatur à naturâ non tantum à parte rei, ſed omninò realiter vt res à re diſtincta, conſtituatur diuina virtute ſubſtantialis terminus alterius naturæ quam hypoſtaticè ſuſtentet, non videtur magis requirere aliquam infinitatem ſecundum rationem terminandi in perſonalitate, quàm quod vna anima rationalis informet ſiue animet duo diſtincta corpora, vel quod vna qualitas, v. g. vna albedo, informet duos diſtinctos parietes, requirat infinitam virtutē animandi, aut informandi in animâ, vel in albidine: vbi tamen omnes infinitam talē virtutem non requiri ad prædictos effectus præſtādos facile admittunt: nec aliunde videtur, aliud contradictionis impedimentum occurrere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuinæ naturæ conueniat aſſumere?

8 Senſus eſt: Vtrùm ratione Incarnationis quæ ſupponitur facta, poſſit natura diuina ſic abſtractim expreſſa, conuenienter dici aſſumere, ſiue aſſumpſiſſe naturam creatam?

Conclvsio D. Thomæ eſt: Perſona quidem primò, & propriiſſimè dicitur aſſumere naturam; poteſt tamen etiam natura diuina dici aſſumere ſecundariò. Prior pars conſtat ex articulo præc. Probatur poſterior primò: quia Sancti Patres paſſim ita loquuntur: Diuus Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & 11. dicit formam Dei aſſumpſiſſe formam ſerui: Enchiridij cap. 34. dicit corpus fuiſſe à diuinitate ſuſceptum: ſimiliter loquitur epiſtola 57. Nazianzenus Oratione 51. ſcribit corpus eſſe cum diuinitate à quâ ſuſceptum fuit. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. ait: Natura quæ ſemper genita ex Patre, naturam noſtram à matre ſine peccato ſuſcepit.

9 Probatur Secundò ratione, & ſimul explicatur; quia ambæ habitudines tum principij, tum termini, quas diximus vocabulū Aſſumere importare, conueniunt ſuo modo naturæ diuinæ reſpectu vnitionis humanitatis cum Verbo: in primis habitudo principij, quia natura diuina ſecundum ſe eſt principium illius actionis: neque obſtat quod vt ſic expreſſa ſignificetur vt principium quo; quia quemadmodum in Deo idem eſt, Quod eſt, & Quo eſt; ita etiam in illo idem eſt, quo agit & quod agit, vt habet Diuus Th. hic ad 3. Deinde conuenit naturæ etiam habitudo termini; quamuis enim non conueniat illi primò & formaliter, quia natura vna non eſt proximè vnita alteri naturæ formaliter loquendo, tamen conuenit illi ſecundariò ratione perſonæ Verbi, tum quia perſona diuina identificatur naturæ diuinæ realiter, & ſic dum natura creata

Digitized by Google

creata ſumitur ad perſonam diuinam, ſumitur conſequenter ad naturam; tum etiam quia ſepoſitâ ſiue non conſideratâ hâc identitate, quâ in Deo omnia ſunt idem à parte rei, vbi relatiua oppoſitio non occurrit, adhuc tamen non interueniet hic ſuppoſitorum diſtinctio, & ſic natura diuina dicetur rectè aſſumere, quia ad perſonam ſuam ſumit naturam creatam: in vocabulo enim (ad ſe) denotatur habitudo identitatis ſuppoſiti quod eſt principium actionis, & quod eſt terminus ad quem ſumptio terminatur, quod locum hic habet, quantumuis non conſideraretur prædicta in diuinis identitas: & ita videtur explicare D. Th. hîc ad primum vbi ait, quod littera *ſe*, eſt reciprocum, & refert idem ſuppoſitum: natura autem diuina (inquit) non differt ſuppoſito à perſona Verbi, & ideo in quantum natura diuina ſumit naturam humanam ad perſonam Verbi, dicitur eam ad ſe ſumere: quemadmodum v. g. etiam manus poſſet dici aſſumere illud quod ad perſonam ſumit, vel applicat cuius eſt manus.

10 Obſeruandum tamen eſt, Damaſcenum lib. 3. de fide cap. 11. non videri admittere dictum ſermonē niſi cum addito, vt natura dicatur aſſumere ad perſonā Verbi; ne ſi abſolutè dicatur natura diuina aſſumere humanā, putetur ſignificari diuinitatē primariò, adeoq; in omnibus perſonis incarnatam eſſe, quod omninò falſum eſt. Veruntamen cautela iſta non videtur neceſſariò adhibenda ſemper; tum quia illa de re peculiaris controuerſia modò non eſt, tum quia ex circumſtantijs ſermonis quæ ſolent concurrere, facilè de ſenſu conſtat, vt videre eſt in locutionibus SS. Patrum ſupra allegatis: ſi alicubi verò periculum eſſet mali intellectus, nec circumſtantiæ ſanum intellectum patefacerent, tunc cautela iſta veniret obſeruanda.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Vnio naturæ humanæ cum Verbo terminetur proximè ad relationem, ſiue perſonalitatem Verbi, an ad aliquid abſolutum?

11 Reſpondetur, vnionēm hanc naturæ humanæ terminari proximè, & per ſe ad proprietatem relatiuam, ſiue ad perſonalitatem Verbi. Ita docet D. Thomas his duobus articulis; & eſt communis doctrina Alenſis 3. p. q. 4. memb. 1. Bonauent. in 3. diſt. 1. art. 1. q. 2. & diſt. 5. art. 1. qu. 1. Scoti ibid. q. 1. & diſt. 1. q. 5. Gabr. diſt. q. vnica ar. 1. Richardi a. 1. q. 2. Palud. q. 2. a. 3. & 4. contra Durand. in 3. Diſt. 1. q. 2. vbi vult naturam humanā primò, & immediatè terminari per ſubſiſtentiam abſolutam tribus perſonis communem, quā ſcilicet primò & per ſe ſubſiſtit hic Deus. Sed probatur reſponſio 1. ex Cōcilijs: Toletanū 6. ita loquitur: Solus Filius aſſumpſit humanitatem in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati. Vbi notandum, quòd Concilium non tantum dicat ſolum Filium aſſumpſiſſe, ſed addat, aſſumptionem factam in eo quod proprium eſt Filij. Similiter Synodus 6. generalis actione 8. dicit ſolum Verbum incarnatum eſſe, quia Pater & Spiritus Sanctus nihil habeant in Incarnatione commune, niſi benigniſſimā voluntatem: quā videl. hoc myſterium cum Filio operati ſunt, vt clarius explicat Diuus Damaſcenus lib. 3. cap. 6.

Quod igitur in Incarnatione fuit liberæ operationis, commune fuit toti Trinitati, non autē quod fuit propria ratio terminādi: quare Verbum ſecundum relatiuam proprietatem ſibi peculiarem, proximè terminat dictam vnionem: non autē terminatur ea proximè ad ſubſiſtentiam aliquam communem, vt voluit Durandus. 12

Probatur Secundò ratione: Quia ſi natura humana Chriſti ſit terminata proximè per ſubſiſtentiam communem, ſequitur quod non tantum filius, ſed etiam Pater, & Spiritus Sanctus factus ſit homo: quæ namque conueniunt Deo ratione alicuius attributi eſſentialis, communiter omnibus perſonis conueniunt: quare ſi eſſe hominē primò conueniat Deo ratione ſubſiſtentiæ communis quæ proximè naturam humanam terminet, ſequitur quod Pater & Spiritus Sanctus ſit homo, quemadmodum Filius.

Reſpondet Durandus quidem virtute negando illam hypotheticam: quia præter dictam coniunctionem humanitatis cum ſubſiſtentiā communi, vult inſuper neceſſariam eſſe vnionem cum proprietate perſonali, vt illius ratione poſſit perſona diuina dici homo; nullā autē eſſe coniunctionem humanitatis cum proprietatibus Patris & Spiritus Sancti, ſed tantum cum proprietate Filij. Verùm contra facit in primis, quod Concilia & Sancti Patres non agnoſcant duplicem illam vnionem, quam imaginatur Durandus, neque agnoſcant rationem aliquam terminatiuè humanitatem ſuſtentandi, quæ ſit toti Trinitati communis, vt ex locis citatis ſatis ſit euidens. Deinde & hoc gratis aſſumit, quod Pater, vel Spiritus Sanctus non poſſet ſimpliciter dici homo à natura humana, quæ primò & proximè vniretur Deo vt ſubſiſtenti ſubſiſtentiā communi, cū alia attribu- 13

Digitized by Google

attributa quę primò & proximè intelligũtur ſic conuenire Deo, ſimpliciter enuntientur de ſingulis perſonis: vnde Durandi opinio nullatenus eſt admittenda.

14 Obijcitur: Quod in Verbo eſt ratio terminandi naturam humanam, debet eminentur continere propriam perſonalitatem naturę humanæ; atqui Verbum non continet illam ſecundum perſonalem ſuam proprietatem, ſed ratione eſſentiæ: ergo eſſentia eſt ratio terminandi, non perſonalitas. Reſpondetur, diuinam eſſentiam eminenter continere omnes perſonalitates creatas tùm vi eas efficiendi, tum etiam illas terminandi ratione ſubſiſtentiæ communis & abſolutæ: ſed diuinam perſonalitatem eas eminenter continere, non quidem vi illas cauſandi, ſed quo ad poteſtatem ſupplendi earum terminationes: quæ eminens continentia ſufficit, vt Verbum ratione perſonalis proprietatis proximè terminare poſſit naturam humanam, quam aſſumpſit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm abſtractâ perſonalitate per intellectum natura poßit aſſumere?

15 Senſus articuli eſt; Si per intellectũ qui ea quæ à parte rei vnum ſunt, multipliciter & diuiſim intelligere ſolet, conſideretur natura diuina quaſi exiſteret re ipſâ abſque perſonalitatibus relatiuis, ad eum videlicet modum quo Iudæi, & gentiles philoſophi diuinitatem exiſtere intellexerunt, Vtrùm illa ſic poſſet aſſumere naturam creatam?

16 Conclvsio Diui Thomæ eſt affirmatiua. Et probatur, quia remotis proprietatibus perſonalibus per intellectum adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam facta eſt Incarnatio: vt habet D. Th. in argumento *Sed contra*; ergo in primis ex parte principij actiui, non erit defectus hoc caſu, quo minus natura poſſit aſſumere. Deinde circumſcriptis quoque ſiue excluſis per intellectum iiſdem relationibus, remanet in noſtrâ conſideratione, natura diuina vt ſubſiſtens, & vt vna perſona, vt habet D.Thom.in reſpon. ad Primum: quia ſcilicet quaſi naturaliter conſequens eſt, quod dum intellectus ſic naturam diuinam ſecluſis proprietatibus perſonalibus conſiderat, mox apprehendat illam tanquã vnâ ſubſiſtentiâ & perſonalitate ſubſiſtentem, ſicuti Iudæi & Philoſophi eam intellexerunt, ad quam proinde perſonalitatē poterit terminari aſſumptio, quemadmodum modò ad perſonalitatem Verbi.

Quod verò abſtractis relatiuis perſonalitatibus nata ſit intellectui occurrere natura diuina, vt ſubſiſtens & vt perſona, declarat ſic Diuus Thom hic ad Primum: Ex quo enim (inquit) in diuinis idem eſt, Quo eſt, & Quod eſt, hinc fit, vt quidquid eorum quæ Deo attribuuntur in abſtracto, ſi ſecundum ſe, circumſcriptis alijs conſideretur, ſit futurum aliquid ſubſiſtens, & conſequenter perſona, cum ſit indiuidua ſubſtantia naturæ rationalis. Vbi notandum primò, quando non tantùm dicit D. Thomas, Remanebit in noſtrâ conſideratione diuina natura vt ſubſiſtens; ſed etiam addit, vt perſona, id accipi debere ſecundum hanc fictionem quæ ponit eam in ſe ipſâ abſtractè ſubſiſtentem ſine perſonalitatibus relatiuis, atque adeò incommunicabiliter pluribus: ne quis forſitan arbitretur ſubſiſtentiam quam plerique attribuunt Deo communem tribus perſonis per modum attributi eſſentialis, obtinere rationem perſonalitatis, & conſtituere Deum in eſſe perſonæ. 17

Notandũ itaq; ſecundò quando D.Th. hic ad 3. dicit quòd abſtractâ in diuinis perſonalitate per intellectum per modum reſolutionis, nihil remaneat, tunc ibi per abſtractionem per modum reſolutionis, ipſum intelligere, abſtractionem quâ verè vnũ ſepararetur ab alio, & in res duas reſoluitur: cuiuſmodi ſeparatione ſi ponantur relationes à naturâ diuinâ abſtrahi, tollitur neceſſariò ſimul natura diuina, vtpote quæ à parte rei idem eſt cum ipſis relationibus. Veruntamen hoc non impedit, quo minus non conſideratis perſonalitatibus, illiſque quaſi non eſſent præteritis, natura diuina noſtro modo conſiderari poſſit, & quid vt ſic illi competeret, inquiri & pro captu noſtro apprehendi. 18

DVBIVM VNICVM.

An natura diuina vt de facto ſe habet ſubſiſtens in tribus perſonis, poßit aſſumere naturam creatam per ea quæ illi à parte rei conueniunt ratione ſui, non ratione Relationum?

Reſpondetur breuiter affirmatiuè, ſuppoſito eo, quod in diuinis præter ſubſiſtentias relatiuas detur ſubſiſtentia abſoluta communis, quâ Deus ſubſiſtit proximè vt hic Deus. Eſt ſententia communis eorum, qui eiuſmodi ſubſiſtentiam in diuinis admittunt. An autem admittenda ſit, diſputatur in 1. p.

Probatur, quia ſubſiſtentia illa infinita eſt, neque minus in ratione ſubſiſtentiæ perfecta,

perfecta, quam relatiua; ergo non minus poteſt ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ, quàm relatiua.

20 Obſeruandum tamen eſt, quòd tum ille homo ſubſiſtens iſtâ ſubſiſtentiâ non eſſet perſona propriè, quia illa ſubſiſtentia non redderet eum incommunicabilem eâ incommunicabilitate, quæ ad perſonæ, & ſuppoſiti rationem requiritur; ſed quemadmodum Deus vt ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ eſt in tribus perſonis, ita etiam iſte homo cum hac ſua ſubſiſtentiâ communicabilis eſſet iiſdem, non tantùm quod de illis poſſit prædicari: ſed etiam quod cum perſonalitate Patris, cum perſonalitate Filij, tum etiam Spiritus Sancti vniri poſſit, & ſic conſtitui in ratione perſonæ, ſicuti modo humanitas Chriſti ſortitur rationẽ perſonæ ex vnione hypoſtaticâ cum Verbo: quamuis eiuſmodi vnio cum iſtis & conſtitutio in ratione perſonæ non ſequatur neceſſariò ex priori aſſumptione ad ſubſiſtentiam communem: quod etiam Durand. loco ſup. cit. bene aduertit, quando docuit humanitatem Chriſti de facto ſubſiſtere proximè ſubſiſtentiâ diuinâ cõmuni, ſed reddi perſonam ſolâ perſonalitate Verbi, non perſonalitate Patris, aut Spiritus Sancti cum quâ non vnitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vna perſona poſſit ſine aliâ naturam creatam aſſumere?

21 CONCLVSIO prior D. Thomæ eſt: Quidquid actionis eſt in aſſumptione eſt commune tribus perſonis: vnde nec poteſt vna perſona incarnationem operari ſine aliâ. Eſt certa & definita in Concilio Lateranẽſi Cap. Firmiter, vbi dicitur, Vnigenitus Dei filius IESVS, Chriſtus à totâ Trinitate communiter incarnatus. Et Probatur ex communi Theologorum axiomate: quod ſcilicet opera Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra, ſunt indiuiſa: in omni namque re, principium agendi eſt ipſa natura; vbi ergo eadem eſt communis natura debet quoque eſſe communis operatio.

22 CONCLVSIO Poſterior: Simpliciter tamen loquendo poteſt vna perſona ſine aliâ naturam creatam aſſumere. Eſt omnio certa quia fide credimus ſolum Filium de facto aſſumpſiſſe naturam humanam, non aut Patrem, vel Spiritum Sanctum. Ratio eſt, quia vt perſona aliqua dicatur aſſumere naturam creatam, non ſatis eſt quòd ſit principium actionis quâ vnio fit, ſed inſuper debet eſſe terminus quoque cui vniatur natura quæ aſſumitur, vt ex antedictis patet: iam verò poteſt opera communi Trinitatis natura creata vni perſonæ diuinæ vniri à qua terminatiuè ſuſtentetur, ſic vt non vniatur alteri, quandoquidem perſonę realiter inter ſe ſint diſtinctę, & proinde illa ſola aſſumere dicenda erit naturam creatam abſque eo quod alia perſona eam aſſumat.

Sed hîc obijcitur: Mediante vnione humanitatis cum perſona Filij vnitur ſecundariò etiam diuinitati, vt ſupra dictum eſt; ergo dicenda eſt etiam vniri perſonalitati Patris, & Spiritus Sancti; ac per conſequens quando vna perſona aſſumit naturam creatam, omnes aſſumunt. 23
Probatur prior conſequentia, quia diuinitati identificantur à parte rei perſonalitas Patris, & perſonalitas Spiritus Sancti; ergò &c. Reſpondetur Negando Conſequentiam priorem, & ad probationem dico: quemadmodum ex identitate qua tres perſonæ identificantur naturæ, non poteſt colligi eas identificari inter ſe, ita neque poteſt exinde colligi illud quod primò per ſe competit vni perſonæ, & ratione illius tribuitur ſecundariò naturæ, hoc conſequenter tribuendum alteri perſonæ. quo minus enim id ſequatur, ſufficit virtualis illa diſtinctio quæ intercedit inter perſonam, & naturam. Vide dicta 1. p. q. 28. art. 2. & 3. de qua

Obſeruandum nihilominus, ratione huius vnionis naturæ humanæ cum perſona Filij, peculiari quodam titulo Patrẽ quoque & Spiritum Sanctum in humanitate Chriſti præſentes eſſe, vt poteſt colligi ex coniunctione neceſſariâ quæ eſt inter diuinas perſonas quoad realem præſentiam propter naturæ vnitatem, ita vt licet diuinæ perſonæ non eſſent intimè præſentes rebus omnibus ratione ſuæ infinitudinis & immenſitatis, tamen ratione huius vnionis fontræ erant omnes realiter præſentes huic humanitati: quod videtur docuiſſe D. Auguſt. ſer. 13. De tempore, vbi ſcribit: Cum vna ſit deitas, vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnem Chriſti & Pater, & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate, non ſuſceptione; vis ſcire, quia cum eo fuit & Pater, non ſum (inquit Dominus IESVS Chriſtus) ſolus, ſed Pater mecum: idem docent Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 47. & Baſilius epiſtola 43. 24

ARTIC.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrùm quælibet perſona diuina potuerit humanam naturam aſſumere?

25 CONCLVSIO D. Thomæ eſt affirmatiua,& certa: Patet, quia inprimis eadē eſt virtus operationis in omnibus tribus perſonis, ſicuti vna eſt in eis natura: & proinde in ordine ad actionem aſſumptionis, vna tam eſt potens, quā altera: pręterquā inſuper, quod illud quod actionis eſt, omnibus ſit commune, vt Art. pręced. dictum fuit: vnde ex illa parte non poteſt eſſe diſcrimen. Deinde quod ad terminandi rationē attinet, quamuis perſonæ inter ſe ſint diſtinctæ, tamen tanta vis eſt ad terminandam quamcumque nāturam in vna perſona, quanta eſt in altera, omnes enim tres ſecundum illam virtutem infinitæ ſunt, & eminenter continent omnem perſonalitatem creatam; ergo quælibet perſona potuit hypoſtaticè aſſumere naturam creatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm plures perſonæ poſſint aſſumere vnam numero naturam?

26 CONCLVSIO D. Thomæ eſt affirmatiua. Eſtque communior Doctorum: in 3. diſt. 1. Durandi q. 3. Marſilij q. 2. a. 3. Gabrielis, q. 1. a. 3. Dub. 3. Alenſis 3. p. q. 2. memb. 4. Caietani hoc loco contra Scotum in 3. d. 1. q. 2. & alios nonnullos. Probatur, quia eſt talis diuinarum perſonarum conditio, quod vna earū non excludit aliam à communione eiuſdem naturæ, vt ex eo patet, quia omnes tres eandem naturam diuinam terminant, in ijſdemque ipſa natura ſubſiſtit, ergo ex parte perſonarum non eſt impedimentum, quo minus vnam numero naturam aſſumant: ſed neque ex parte naturæ aſſumendæ, quia ex parte huius ſolùm requiritur potentia obedientialis, qua poſſit aliena perſonalitate ſubſiſtere: in hoc enim myſterio, tota ratio facti eſt omnipotentia facientis: vt docet Auguſt. epiſtola 3. ad Voluſianum: eſt autem illa potentia obedientialis, eadem & par erga omnes perſonas diuinas ergo omnes poſſunt vnam numero naturam aſſumere.

27 Obijcitur Primò: D. Th. in Corpore dicit, eſſe impoſſibile quòd plures aſſumant vnam hypoſtaſim, vel vnam perſonam humanam; atqui natura ab vna perſona aſſumpta eſt iam perſonata, vt ſic loquar, & vna perſona humana; ergo aliæ perſonæ non poſſunt illam naturam aſſumere, quia ſic fieret quòd plures perſonæ aſſumerent eandem hypoſtaſim & perſonam humanam. Reſpondetur, impoſſibile eſſe plures perſonas aſſumere vnam hypoſtaſim, vel perſonam humanam, ſic videlicet vt aſſumptio ſit, non tantum naturæ, ſed etiam perſonalitatis: quod ipſum importat iſte ſermo, aſſumere hypoſtaſim, vel perſonam: neque enim fieri poteſt, quod terminus vltimus ſubſtantialis alio termino ſubſtantiali terminetur.

Vnde ne quidem vna perſona ſola poteſt aſſumere aliam perſonam: ſed impoſſibile non eſt, aliquam perſonam aſſumere naturam iam vnâ perſonalitate terminatam, ſic vt aſſumptio tantummodo ſit naturæ, non autem perſonalitatis. Quòd verò poſſint iſta duo ſeparari in præſenti materiâ, ex eo oſtenditur, quòd perſonalitas quâ priùs ſupponitur terminata natura, ſit extrinſeca naturæ, & res omnino ab illâ diſtincta, quemadmodum perſonalitas Verbi realiter diſtinguitur ab humanitate aſſumptâ. An verò perſonalitas naturæ creatæ propria & naturalis repugnet aſſumptioni eiuſdem naturæ ad alienam perſonam, infra dicemus. 28

Obijcitur Secundò: Repugnat eiuſdem effectus dari plures cauſas totales ſimul concurrentes; ergo repugnat eandem naturam ſimul terminari à pluribus perſonis, quia dependeret ab vnaquaque tanquam à toto, & adæquato termino. Reſpondetur, diſſimulato antecedente, quod Suarez diſput. 13. ſect. 2. dicit ſe exiſtimare falſum, negando conſequentiam: quia in caſu propoſito non videtur poſſe aſſignari vnus aliquis effectus dependens à pluribus cauſis totalibus: effectus enim ille, vel erit ipſum Eſſe naturæ, ſiue natura vt eſt realis entitas; & hoc verum non eſt, quia natura non eſt effectus perſonalitatis quâ ſubſiſtit, eſto quòd abſque eâ non poſſit actualiter exiſtere eo quod requirat neceſſariò aliquam ſubſiſtentiam ſaltem tanquam conditionem ſine quâ non, ad exiſtentiam ſuam actualem: ſicuti linea recta non poteſt eſſe ſine puncto terminante: ſed nihil impedit, quo minus poſſint concurrere plura, quæ ſingula ſuppleant vices vnius eiuſdemque conditionis ſine quâ non, quemadmodum non implicat plura puncta terminare eandem lineam: vel effectus ille erit Eſſe perſonale talis naturæ, & hoc etiam dici non poteſt: quia in caſu præſenti 29

Digitized by Google

non erit vnum & idem eſſe perſonale talis naturæ, ſed ſicut ponitur natura aſſumpta à pluribus perſonis, ita etiam habebit plura eſſe perſonalia, & ſecundum aliud, & aliud eſſe perſonale, pendebit ab alia & alia perſona: quemadmodum etiam futuræ eſſent diuerſæ vniones illius naturæ, quatenus intelligeretur ſubſiſtere diuerſis perſonalitatibus.

30 Obijcitur Tertiò: Anſelmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. docet non poſſe plures perſonas aſſumere vnum eundemque hominem; ergo &c. Reſpondetur: Diuus Thomas in Corpore ſic videtur intelligere & explicare Anſelmum, quod neget tantũ, plures perſonas poſſe aſſumere eandem perſonam, non autem neget poſſe aſſumere eandem naturam. Sed quamuis id verum quidem ſit, non videtur tamen eſſe ſatis ad mentem Anſelmi, qui quâ ratione negat plures poſſe aſſumere eundem hominem, eâ ratione admittit vnam perſonam

31 aſſumpſiſſe hominem, cum tamẽ nulla perſona aſſumpſerit humanam hypoſtaſim.

Quare pro illius explicatione notandum, quod Anſelmus ibi docere intendat, naturam humanam eſſe aſſumptam tantùm à Filio, non à Patre, vel Spiritu Sancto: quod vt oſtendat, ſupponit in Chriſto vnicam eſſe perſonã, vti Fides docet: Hoc autem poſito probat naturam non eſſe aſſumptam à Patre & Filio, quia plures perſonæ nequeunt vnum eundẽq; hominem aſſumere in vnitatẽ videl. perſonæ: in Chriſto autem eſt vnitas perſonæ: non igitur humanitas Chriſti eſt aſſumpta à Patre & Spiritu: quare Anſelmus non negat ſimpliciter plures perſonas poſſe aſſumere vnum eundemque hominem; ſed negat poſſe aſſumere in vnitatem perſonæ, videlicet vt poſitâ ſimul aſſumptione ad perſonalitatem Patris & Spiritus reſultet vna tantùm perſona, quod etiam verba eius expreſsè ſatis declarant.

23 Obijcitur Quartò: Attribuitur hoc infinitudini naturæ diuinæ, quod ipſa vna ſubſiſtat in tribus perſonis; ergo non poteſt id competere naturæ creatæ, quæ omni modo eſt finita. Reſpondetur, prouenire ex infinitate naturæ diuinæ, quod ipſa naturaliter exigat ſubſiſtere in tribus perſonis diſtinctis, cum quibus ipſa identificetur, non autem requiri naturæ infinitatem ad hoc, quod ipſa præter exigentiam rationis ſuæ per abſolutam Dei potentiam copuletur tribus perſonis, ab iiſdemque terminatiuè ſuſtentetur; quod ſolum hic dicimus fieri poſſe.

33 Petet aliquis, An caſu illo poſito, tres perſonæ deberent dici vnus homo, an tres homines? Reſpondeo breuiter cum D. Th. hic ad Primum: quod dicerentur vnus homo, non tres homines, quemadmodum ab vna diuinitate tres perſonę dicũtur vnus Deus, non tres Dij. & ita contra Nominales quos hic ſequitur Caiet. docent Bonauent. in 3. diſt. 1. a. 2. q. 3. Capreol. ibid. q. 1. Alenſis ſup. Altiſiodoren. lib. 3. Summæ: Tract. 1. c. 1. q. 6. Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes c. 12. Suarez Diſp. 13. ſect. 2. & alij. Ratio eſt, quia vt nomen ſubſtantiuum dicatur pluraliter, neceſſarium eſt multiplicari tum ſuppoſita, tum etiam ipſam formam, quam ſignificat, vt latius explicuimus 1. Parte q. 39. art. 3. & q. 36. art. 4. hic autem forma ſiue natura humana ponitur non multiplicata.

Dicet aliquis: Homo, idem eſt, quod habens humanitatem: atqui Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in caſu propoſito erunt tres habentes humanitatem; ergo erunt tres homines. Reſpondetur Negando Conſequentiam: quemadmodum enim non ſequitur: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres habentes diuinitatem; ergo ſunt tres Dij, ita nec iſtud: & ratio eſt, quia mutatur appellatio, vt loquuntur Dialectici: adiectiuum enim numerale tres, in Antecedente appellat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſignificatur enim eos eſſe tres qui habent humanitatem; in Conſequente autem appellat homines; & quia nomen ſubſtantiuum pluraliter expreſſum ſignificat non tantùm ſuppoſitorum pluralitatem, ſed etiam multitudinem, ſiue numerum formarum, vti diximus, hinc ſermo iſte ſũt tres homines, importat quoq; plures, ſiue tres eſſe formas ſeu humanitates, quod falſum eſt ex caſus ſuppoſitione, quia ſupponuntur tres perſonę aſſumpſiſſe eandẽ humanitatem.

Quare verò adiectiuum numerale in Antecedente illo, potius appellet ſuppoſita quæ copulam præcedunt, quàm in Conſequente, hæc eſt ratio: quia in antecedente poſt adiectiuum numerale ſequitur aliud adiectiuum videlicet participium Habentes: vnum autem adiectiuum non afficit alterum, ſed ſuppoſitum, ſiue ſuppoſita ad quæ referuntur; in Conſequente autẽ appellat homines, quia hoc eſt nomen ſubſtantiuum ſibi vicinius, vnde ex communi ſignificandi modo illud debet afficere, & determinare: hoc autem nomen ſic determinatum per nomen numerale tres, ſignificat tres eſſe humanitates, vt ex dictis patet: imò hoc ipſo quo in numero plurali pluraliter exprimitur, importat plures formas ſiue humanitates. 34

Hinc etiam fit, quod licet in caſu propoſito tres perſonæ dicendæ eſſent vnus homo, non tamen poſſint ſimpliciter dici 35

vnus;

vnus; quia etiam nomen adiectiuum numerale ſic ſolum adiectiuè poſitum appellat ſubiectum ſiue ſuppoſitum copulæ, & proinde ſermo iſte, tres perſonæ ſunt vnus, ſignificat tres perſonas eſſe vnum ſuppoſitum ſiue perſonam.

ARTICVLVS VII.

Utrùm vna perſona diuina poßit aſſumere duas naturas humanas?

36 CONCLVSIO eſt affirmatiua: & communis Doctorum in 3. diſt. 1. Probatur, quia perſona diuina, vt eſt principium aſſumptionis, eſt infinitæ virtutis & actiuitatis: ſimiliter quatenus eſt terminus illius, habet infinitam potentiam ad naturas ſubſtantiales terminandas ſiue terminatiuè ſuſtentandas; ergo quemadmodum aſſumpſit ſibi hypoſtatice vnam naturam humanam, ita poteſt & aliam aſſumere, imo ſemper plures, & plures, abſque determinato numero. Neque poteſt dici obſtare aliqua repugnantia ex parte naturarum: quia neque pluralitas, neque earum inter ſe contrarietas vetant: quia de facto & naturæ plures, & maximè diſtantes vt diuina & humana in vna perſona ſubſiſtant.

Objicitur: Pater in diuinis habet infinitam virtutem generandi, & tamen non poteſt generare niſi vnum filium ſibi conſubſtantialem, quia filius genitus vtpote infinitus, adæquatè reſpondet potentiæ generatiuæ Patris; ergo tametſi diuina perſona habeat vim infinitam terminandi naturam ſubſtantialem, non poterit tamen terminare, niſi vnam naturam diuinam, quæ eſt infinita & quaſi exhaurit infinitam poteſtatem terminandi, atque ita videbitur, quod vna perſona non tantum non poſſit aſſumere plures naturas humanas vel alias externas, ſed ne vnam quidem. Reſpondetur: de inefficacia illius argumenti ſatis conſtat ex eo quod apertam fidei veritatem excludat: Quare neganda eſt Conſequentia, quia quemadmodum non obſtante quod Pater nõ poſſit generare alium filium ſibi conſubſtantialem & ad *intra*, poteſt tamen producere, & generare filios adoptiuos ad *extra*, ita quoque licet vis alicuius perſonæ diuinæ, terminandi naturam non poſſit ſe extendere ad aliam naturam ſibi connaturalem, quia in eo ordine quaſi exhauritur vis illa per naturam diuinam, quæ requirit eſſe perſonale infinitum, tamen poterit ſe extendere ad naturas extra ſe ad eas perſonaliter ſuſtentandas: vt fide credimus perſonalitatem filij terminare Chriſti humanitatem.

Petet aliquis, an ſi vna perſona aſſumeret plures naturas humanas, tunc futurus ſit vnus homo, an plures. Reſpondetur, quod perſona aſſumptis ad ſe duabus naturis humanis, deberet ſimpliciter dici vnus homo, Ita docet Diuus Thom. hic quamuis aliter ſenſerit in 3. diſt. 1. q. 2. a. 5. ad 2. & 3. quem ſequuntur Marſil. in 3. q. 2. a. 3. dub. 3. Almainus diſt. 1. q. 2. dub. 3. Gabr. q. 2. a. 3. dub. 4. Caiet. Ferrar. ſup. c. 11. contra Scotum in 3. diſt. 1. in 3. q. 3. & in 2. diſt. 12. q. vnica, & alios quoſdam. Ratio conſtat ex dictis Articulo præcedente, quia vt ſubſtantiuum dicatur pluraliter, debent tum formæ multiplicari, tum etiam ſuppoſita; nam licet vnus teneat plures artes, non dicitur artifices, ſed artifex, ſic licet vnus habeat plures filios & proinde plures paternitates, dicitur tamen tantum pater, non patres: quare cum ex caſus poſitione, hic tantum ſit vna perſona, licet formæ ſiue naturę humanæ ponantur plures, debebit tamen dici vnus homo, non plures homines. 37

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm fuerit magis conueniens quod perſona filij aſſumeret humanam naturam, quam alia perſona diuina?

CONCLVSIO eſt affirmatiua: Complures autem allegantur huius maioris conuenientiæ rationes: ex quibus vna ſit, quia ſi alia perſona fuiſſet incarnata, iam plures perſonæ diuinæ compellarentur nomine filij, vna videlicet filius Dei naturalis, altera filius hominis: quæ appellandi ratio facilè dediſſet occaſionem confuſionis & erroris circa perſonas diuinas. Secunda, quia perſona diuina aſſumpſit humanitatẽ vt in eâ pro nobis ſatisfaceret, & promereretur apud Deum; iſta autem magis congruebãt fieri à Filio erga Patrem, quàm ècontra. Tertia, quia magis conueniebat, vt is eſſet mediator inter Deum, & homines, qui medius eſt in Sanctiſſima Trinitate. Vide alias congruentias hic apud D. Thom. de quibus licebit quoque legere D. Fulgentium de fide ad Petrum c. 2. Bernardum Serm. 1. in Aduentu, & Damaſcenum lib. 3. de Fide c. 4. 38

QVÆSTIO QVARTA

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

In Sex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura?

1 NOtandum Primò cum D. Tho. in Corpore, aſſumptibilitatem hîc non poſſe intelligi ſecundum potentiam paſſiuam naturalem, quaſi aliqua natura creata qualiſcumque haberet naturalem aptitudinem, ſeu potentiam ad ſuſcipiendum Eſſe perſonale diuinum: quia naturalis potentia non ſe extendit ad id quod excedit ordinem naturæ, quem longè tranſcendit perſonalis vnio creaturæ cum Deo.

2 Notandum Secundò, aſſumptibile tamen hoc loco ex mente Diui Thomæ non dicere tantùm obedientialem potentiam, quâ creatura ad nutum obtemperat Creatori in omnibus quæ contradictionem non inuoluunt, ſed importare vlterius quandam congruentiam, ita vt natura illa ſit dicenda aſſumptibilis ſecundum Diuum Thomam hoc loco, in qua præter obedientialem potentiam, inſuper reperiuntur propriæ & peculiares conuenientiæ, vt à Filio Dei aſſumatur.

3 CONCLVSIO itaque eius in fine Corporis habet: quod natura humana non tantum ſit magis aſſumptibilis, ſed quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis. Probatur, quia in hac ſolâ ſupra obedientialem potentiam, locum habet propria & ſpecialis quædam congruentiæ ratio, quare à Filio Dei aſſumeretur. Confirmatur: Quia congruentia ad eiuſmodi vnionem potiſſimùm ſpectanda eſt ex duobus, videlicet ex naturæ dignitate, & neceſſitate ſeu indigentiâ ſimul: in naturâ autem humanâ reperitur dignitas quædam, quia in quantum eſt intellectualis, eſt nata attingere aliqualiter ipſum Verbum per ſuam operationem, videlicet cognoſcendo & amando ipſum. Deinde laborabat ſimul neceſſitate magnâ: ex quo enim collapſa fuit & infecta peccato, indigebat reparatione, quæ conuenientiori modo fieri non potuit, quàm per eius aſſumptionem in vnitatem perſonæ Verbi: hæc duo autem non reperiuntur ſimul in alijs naturis: quia quæ intellectualis non eſt, neque habet eam dignitatem, nec indigentiam huiuſmodi aſſumptionis: Angelica autem quamuis intellectualis & maioris ſit dignitatis, non tamen paris fuit indigentiæ: quia Angeli boni non fuerunt obnoxij culpæ, nec indigentes veniæ: mali verò rei quidem ſunt culpæ, ſed capaces non ſunt remedij, nec ab initio lapſus capaces fuerunt, ſiue id ex naturali ipſorum conditione naſcatur, ſiue ex diuinâ ordinatione naturalibus ipſorum principijs & proprietatibus congruâ proueniat (quâ de re diſputatur in prima parte) ergò natura humana ſola eſt aſſumptibilis hoc ſenſu, vt in ſe habeat proprias & particulares quaſdam congruentiæ rationes ad eiuſmodi aſſumptionem.

DVBIVM VNICVM.

An ſimpliciter loquendo, alia aliqua natura aſſumi potuerit à perſona diuina?

SVppono hîc, non tantùm hanc numero humanitatem Chriſti fuiſſe aſſumptibilem, quod ſine apparentia vlla effinxit Wijclef; ſed etiam aliam quamlibet naturam humanam aſſumi potuiſſe, cum omnis natura humana ſit eiuſdē ſpeciei. Vnde D. Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap 18. tanquam per ſe notum ſupponit Verbum potuiſſe aliunde aſſumere naturam humanam, quàm ex ſtirpe Adæ, & lib. de Prædeſtinatione S S. cap. 15. docet eam quam aſſumpſit ſolâ Dei gratuitâ electione præ alia aſſumptam. 4

His præmiſſis Reſpōdeo & dico Primò: Poteſt natura Angelica hypoſtaticè à Deo aſſumi.

Eſt Diui Thomæ hîc art. 1. ad 3. & lib. 4. contra Gentes cap. 55. Caiet. hîc Ferrar. contra Gentes loco cit. & communis penè doctrina Scholaſt. in 3. diſt. 2. contra nonnullos, inter quos videtur fuiſſe Albertus in 3. diſtinct. 2. art. 2. quia exiſtimarunt in ſubſtantijs ſpiritualibus ex naturâ rei non diſtingui naturam & ſubſiſtentiam. Sed fundamentum hoc falſum eſt: vt euidenter poteſt oſtendi ex anima Chriſti, quæ triduo mortis fuit ſubſiſtens non ſubſiſtentiâ creatâ, ſed ſubſiſtentiâ Verbi: vnde conſtat quod etiam in ſubſtantia ſpirituali ex natura rei diſtinguatur ipſa natura, & ſubſiſtentia eius.

Probatur itaque Concluſio Primò: Natura Angelica poteſt operatione ſuâ attingere Verbum, non minus quàm natura humana: non apparet igitur ratio, quare minus ſecundum potentiam obedientialem natura Angelica ſit capax ſubſiſtentiæ diuinæ, quàm humanitas. Probatur Secundò: Ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 1. vbi commendat munificentiam Dei erga hominem ex hoc, quod apprehenderit Deus ſemen Abrahæ, & non Angelos: & ſic proinde ſupponit Deum apprehendere potuiſſe Angelos, ſicut ſemen Abrahæ.

5 Dico Secundò: Similiter non repugnat, diuinam perſonam hypoſtaticè aſſumere naturam irrationalem, vel etiam inſenſibilem. Eſt communior Doctorum ſententia: Ita tenet Diuus Thomas in 3. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 1. Scotus ibidem quæſt. 1. art. 2. Durand. quæſt. 1. item Palud. quæſt. 1. & plerique alij.

Probatur Primo: Ex Auguſtino, qui lib. de vera Religione expreſſè docet, Verbum potuiſſe aſſumere corpus æthereum ad noſtrorum aſpectnum tolerantiam temperatum. Probatur Secundò: In Chriſto Domino Verbum immediatè vnitum eſt corpori, ſiue materiæ ſecundum ſe: vnde nec in triduo mortis deſijt ſubſiſtentialiter ſuſtentare corpus; ergò &c. Probatur Tertiò: Quia obedientialis iſta potentia ſubſiſtendi ſubſiſtentiâ diuinâ, fundatur in communi ratione ſubſtantialis naturæ, independenter ab omni facultate operandi talis naturæ: quia Eſſe ſubſiſtentiæ communicatur alteri naturæ, nō vt natura aſſumpta habeat operationes naturæ propriæ ſuppoſiti aſſumentis, neq; neceſſariò ad hoc vt attingat perſonā aſſumentem operationibus ſuis proprijs: ſed vt natura ſubſiſtat in tali ſuppoſito, & vt cōſtituta in eſſe ſuppoſiti exerceat operationes ſibi conuenientes aut proprias: atqui hæc ratio communis eſt omni naturæ ſubſtantiali; ergò &c.

Objicitur: Nulla poteſt congrua ratio 6
aſſignari, quare natura irrationalis, aut inſenſitiuæ aſſumeretur à perſona diuina: imò videtur talis aſſumptio indigna tali perſonā: omnes enim operationes illius naturæ inſenſitiuè aut brutalis attribuendæ venirent Deo, quod videtur vile nimis & abiectum. Rurſum attributa diuina prædicarentur de eiuſmodi ſuppoſito, verbi gratiâ de equo, vel aſino: quin & latriæ cultus illi deberetur; ergo non exiſtimandum, quod eiuſmodi naturæ ſint hypoſtaticè aſſumptibiles.

Reſpondetur Primò: Quidquid ſit de 7
eiuſmodi apparentibus inconuenientijs, ex illis tamen non conuinci impoſſibilitatem rei in ſe conſideratæ, aut aliquam in ea contradictionis implicantiam. Deinde reſpondetur Secundò: Quamuis non ſe offerat nobis aliqua congruentiæ ratio ſaltem huic vel illi naturæ irrationali peculiaris & propria (qualem diximus in natura humana militare) ob quam talis natura aſſumeretur à diuina perſona, tamen diuinæ ſapientiæ, ſi ita Deo placuiſſet, non defuturas cauſas generales, ob quas ſic decernere ſapienter potuiſſet, vt verbi gratiâ, ad omnipotentiæ ſuæ oſtenſionem, vel ad hominis maximè poſt peccatum, humiliationem & confuſionem.

Quod verò ad communicationem Idio- 8
matum attinet, nullum inde abſurdum ſequitur, quod per ſe ſimpliciter ſit indignum, ſiue repugnans Deo: quia cuiuſcumque naturæ actio naturalis, bona eſt, ſicuti valde bona ſunt omnia, quæ Deus fecit, & proinde turpe non eſt, eiuſmodi actiones perſonæ diuinæ attribui tanquam eas operanti mediante tali naturâ aſſumptâ: quandoquidem ſolum peccatum turpe ſit & malum naturâ ſuâ, & ſi quid cum eo habeat connexionem. Similiter neque inconueniens erit, diuina attributa prædicari de tali ſuppoſito, quia non tribuuntur illi ratione naturæ aſſumptæ, ſed tribuuntur illi propter ſe & propter diuinitatem illi naturalem: quemadmodum & eâ de causâ, illi defertur cultus diuinus. Imò Angelis ſanctis qui magis Deum & res diuinas penetrant, forſitan viſus eſt Deus magis exinanire ſeipſum, aſſumendo naturam humanam ex infecta ſtirpe Adæ, quàm ſi aſſumpſiſſet aliam quamcumque naturam etiam inſenſitiuam.

Obſeruandum tamen, non fore expe- 9
diens de huiuſmodi potentia, plura in parti-

particulari coram populo diſſerere, qui poſſet inde offendi, dum vel indigna Deo ex tali occaſione de Deo conciperet, aut exiſtimando indigna Deo, quæ verè indigna non ſunt, minus dignè de Deo ſentiret.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit perſonam?

9 CONCLVSIO eſt negatiua: & de fide definita in Concilio Toletano 11. cap. 5. vbi dicitur, Verbum non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Idem docet Diuus Auguſtinus lib. de Fide ad Petrum cap. 2. vt habet hîc Diuus Thomas. Probatur ratione: quia quod aſſumitur, debet præintelligi aſſumptioni; atqui hæc aſſumptio non ſupponit perſonam humanam; ergò Filius Dei non aſſumpſit perſonam. Probatur Subſumptum, quia ſi in Chriſti humanitate intelligeretur neceſſario præcedere perſona ante aſſumptionem, vel natura amitterer illam perſonalitatem per aſſumptionem, vel eam retineret: non poteſt dici prius, quia inde ſequeretur quod illa humanitas non potuiſſet aſſumi primo inſtanti quo fuit creata, quoniam debuiſſet eo inſtanti fuiſſe terminatâ perſonalitate propriâ, & eodem inſtanti eadem fuiſſe priuita, quod implicat: Non poteſt etiam dici poſterius, quia ſequeretur in Chriſto eſſe perſonam creatam, atque adeò duas perſonas, quod eſt contra apertam fidei doctrinam.

DVBIVM VNICVM

Vtrùm natura creata propriâ perſonalitate ſubſiſtens poſſit à perſona diuina aſſumi, ſic vt aſſumatur natura, non perſonalitas: hac interim ſimul perſeueret ſuſtentans & terminans eandem naturam?

10 RESpondeo & dico Primò: Dubitandum non eſt, quin poſſit aſſumi natura exiſtens propriâ perſonalitate, ſic vt ad illius aſſumptionem priuetur perſonalitate propriâ. Ita Suarez Diſput. 14. ſect. 1. & alij plures: & quamuis D. Thomas l. 4. contra Gentes cap. 4. contrarium ſentiat, vbi apparet, tamen hoc articulo in Corp. videtur illud tacitè retractare: quando ſolum dicit, quod ſi perſonalitas præexiſteret in natura, quod deberet corrumpi, & ſic fruſtra fuiſſet: quibus ſubindicat nō impoſſibile eſſe, quod præexiſtat: Et probatur, quia ſicuti ab initio alicuius naturæ, poteſt impediri per aſſumptionem hypoſtaticam, quo minus ſortiatur propriam perſonalitatem ſibi connaturalem, ita etiam ſi præexiſtat perſonalitas cum natura, poterit perſonalitas expelli & deſtrui: imò hæc deſtructio ſiue interitus propriæ perſonalitatis per ſe ex natura rei cōſequitur ad hypoſtaticam aſſumptionē, quia natura humana cum finita ſit, propriâ perſonalitate adæquatè terminatur; ergò ſaltè per ſe ex natura rei non admittit ſimul aliā; & conſequenter ex vi actionis, quâ ei communicatur alia, priuatur ſuâ propriâ. Et hinc in myſterio Incarnationis præuenta & quaſi ſuppreſſa eſt perſonalitas creata naturæ humanæ per aſſumptionem eius à Verbo.

Probatur Secundò: Quia poteſt Deus accidens priùs inhærens ſubiecto vni ſeparare, & facere inhærere alteri, aut facere exiſtere extra omne ſubiectum, atque ita priuare illud ſuo modo naturali quo inhæſiuè exiſtebat: & ſimiliter humanitatem ſubſiſtentem in Verbo poteſt priuare Vnione Verbi, & propriam illi perſonalitatem, quam ex ſe nata erat accipere ab initio, illi conferre; ergò poteſt etiam ab homine aliquo tollere propriam perſonalitatem creatam, & naturam illam vnire diuinæ perſonæ, ſic vt eius perſonalitate ſubſiſtat.

Dico Secundò: Natura terminata propriâ perſonalitate non poteſt ab aliâ perſonâ hypoſtaticè aſsumi, conieruatâ illius naturæ perſonalitate propriâ, quantumuis ponatur non aſsumi perſonalitas, ſed natura tantum. Eſt communis doctrina ſcholaſticorum in 3. diſt. 1. D. Thomæ, Scoti, Durandi, Paludani. Caiet. autem hîc quæſt. 3. art. 6. Henrici Quodl. 6. qu. 7. & aliorum. Præcipuum fundamentum eſt, quia antiqui Patres & Concilia, quando contra Neſtorium docent, & definiūt in Chriſto Domino non eſſe perſonam creatam, non eſſe ibi duas perſonas, vtuntur maximè hoc argumento, Quia humana Chriſti natura ſubſiſtit perſonalitate Verbi: quod nullius videtur efficaciæ fore, ſi per abſolutam potentiam fieri poſset, quod Natura terminata propriâ perſonalitate, eâdemque perſonalitate perſeuerante, aſsumeretur à diuina perſona hypoſtaticè. Nam, & ſic factum fuiſſe de plenitudine diuinæ potentiæ, atque ita in Chriſto duas perſonas (alteram diuinam, alteram creatam) mox reſpondere poſſent Neſtoriani, potiſſimum cum in præſenti materia, tota ratio facti ſit omnipotentia facientis, vt docet Aug. epiſt. ſup. cit. neque ad id quod ſecundùm 11

ordinem naturæ fieri debeat, vel poſſit, reſtringatur Incarnationis myſterium. Tenendum eſt igitur id abſolutè fieri non poſſe.

12 Sed vna hic occurrit grauis difficultas, Quarè perſona ſubſiſtens perſonalitate ſibi connaturali, minus poſſit aſſumi quoad naturam ſuam, quàm natura terminata perſonalitate aliena, quod fieri poſſe diximus cum Diuo Thoma qu. præcedente art. 6. neque enim faciſè oſtenditur, quæ ſit maior repugnantia iu vno quàm in altero.

13 Scotus itaque ſuprà in 3. diſt. 1. quæſt. 2. hoc argumento motus, docet ne quidem à pluribus perſonalitatibus extrinſecùs aduenientibus eandem naturam terminari poſſe: cuius opinio non omnino diſplicet, licet oppoſitam tanquam Diui Thomæ & communiorem, ſuprà explicuerimus.

14 Interim difficultatem oppoſitam conantur alij ſoluere, & diuerſi diuerſas aſſignant rationes repugnantiæ, quas refert & examinat Suarez diſput 14. ſect. 1. inter illas autem dicit ſibi hanc maximè ſatisfacere, quòd videlicet propria & creata ſubſiſtentia ſit modus quidam intrinſecus exiſtendi per ſe, qui habeat formalem & immediatam repugnantiam cum illo modo vnionis, quem acquirit natura aſſumpta in alieno ſuppoſito: quia eſſe per ſe, & eſſe in alio ſunt modi ita inter ſe pugnantes, vt vnus proximè includat negationem alterius: vt ex eo etiam colligitur, quia fieri non poteſt, quod accidens exiſtat per ſe, & inhæreat ſubiecto: & licet modus exiſtendi ſubſtantialiter in alia perſona multum differat à modo inhærendi ſubiecto, tamen ſimilem videtur habere repugnantiam cum modo exiſtendi ſimpliciter per ſe, ſiue terminandi ſuam exiſtentiam propriâ ſuâ perſonalite.

15 Et hinc poteſt iam deſumi ratio diuerſitatis, cur eadem natura creata poſſit terminari ſimul duabus perſonalitatibus extraneis, non autem ſuâ propriâ & alterâ alienâ, quia videlicet magis repugnant inter ſe modus exiſtendi per ſe, & modus exiſtendi in alio, quàm duo modi exiſtendi in alio, cum iſti priores habeant ſe ita vt alter proximè inferat negationem alterius, non ſic duo poſteriores.

Dicet aliquis: Etiam humana natura à Verbo aſſumpta per ſe exiſtit in Verbo, quia in illo perſonaliter ſubſiſtit; ergo &c, & Confirmatur, quia non videtur ratio, cur magis natura ſubſtantialis dicetur eſſe per ſe per ſubſiſtentiam propriam, quàm per alienam, cum ab vtraque diſtinguatur, & ab vtraque ſuo modo ſuſtentetur. Reſpondetur cum Suarez, longè aliter naturam eſſe in propria ſua perſonalitate, & aliter in aliena: nam in propria eſt quaſi ſibi ipſi innitens: in aliena eſt quaſi ſuſtentata ab illa: & ideo modus propriæ ſubſiſtentiæ adfert oppoſitam omnino rationem cum modo vnionis hypoſtaticæ ad alienam perſonam.

Admittit tamen Suarez loco citato, probabiliter fieri poſſe per abſolutam Dei potentiam, quod eadem natura humana, ſi diuinitus ponatur in diuerſis locis, habeat vno loco perſonalitatem propriam, alio autem loco ſuſtentetur à perſona aliena: quandoquidem enim perſonalitas propria ex natura rei diſtinguatur à natura, non apparet ratio cur fieri non poſſit, quod vno loco hanc habeat ſibi coniunctam, & alio loco non: quemadmodum non repugnat conſtitui animam vno loco vnitam corpori, & alio non vnitam. Vnde repugnantiam formalem quam ponit inter modos illos prædictos, dicit tantum habere locum reſpectu eiuſdem naturæ vno loco exiſtentis; quod & clauſulæ requiſitæ ad contradictionem inter duo aliqua, ſolent exigere. 16

ARTICVLVS III.

Vtrùm diuina perſona aſſumpſerit hominem?

CONCLVSIO Vnica: Propriè loquendo non eſt dicendum, quod perſona diuina aſſumpſerit hominem. Eſt Diui Thomæ: Et probat huiuſmodi teſtimonio Fœlicis Papę & Martyris: Credimus in Dominum noſtrum IESVM Chriſtum de Virgine Maria natum, quia ipſe eſt Dei ſempiternus Filius & Verbum, & non homo à Deo aſſumptus, vt alter ſit præter illum; neque enim hominem aſſumpſit Dei Filius, vt alter ſit præter ipſū. Vbi notandum, quod Diuus Thomas dicit introduci hanc authoritatem in Synodo Epheſina: ſed vt notat Suarez hic in Commentario, non reperitur modò in illa Synodo: aſt in Concilio Calcedonenſi act. 1. vbi poſt fidem Synodi Nycenæ recenſentur varia P P. teſtimonia, & inter illa etiam inuenitur hæc authoritas Fœlicis Papæ. Ratio autem Concluſionis, quia homo propriè ſignificat naturam humanam in ſuppoſito, vel potius ſuppoſitum humanum: ſignificat enim naturam ad modum rei per ſe ſtantis; atqui diuina perſona non aſſumpſit humanum ſuppoſitum; ergò &c. 17

Dixi

Dixi propriè loquendo, quia nonnihil à proprietate ſermonis recedendo, ſæpius antiqui Patres ita locuti fuerunt, vt dixerint Verbum aſſumpſiſſe hominem: Irenæus lib 3. contra hæreſes cap. 20. Aug. de agone, & alibi frequenter: Damaſ. lib. 3. c. 6. item in hymno Eccleſiaſtico à Diuis Amb. & Aug. compoſito: Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum &c. quo tamen loquendi modo, non aliud ſignificare intendunt, quàm veram & integram naturam humanam à Deo aſſumptam, eiuſque aſſumptione Dei Filium verum hominem factum eſſe: non autem quod humanam hypoſtaſim aſſumpſerit. Quare ita bono ſeu ſu eiuſmodi locutiones, vbi in Patribus vel Concilijs reperiuntur, ſunt accipiendæ, vt hic in Reſp. ad Primum docet D. Th. Vide dicta ſup. qu. 2. art. 6.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Filius Dei debuerit aſſumere naturam humanam abſtractam ab omnibus indiuiduis?

19 CONCLVSIO D. Thomæ eſt negatiua: & Probatur Primò auctoritate Damaſ. lib. 3. de fide cap. 11. vbi ſic ſcribit: Deus Verbum Incarnatum, non eam quæ nudâ conſideratione, naturam aſſumpſit: non enim incarnato hoc, ſed deceptio & fictio Incarnationis eſſet. Probatur Secundò ratione, quia modus iſte aſſumendi eſt impoſſibilis Confirmatur, quia natura ab omnibus indiuiduis abſtracta, vel ponitur eſſe natura creata ſeparatim exiſtens ab omnibus ſingularibus: quo pacto eam exiſtere docet Philoſ. eſſe impoſſibile lib. 7. Metaph. c. 8.

20 Imò etiáſi ita exiſteret, non tamen poſſet ſic exiſtens aſſumi hypoſtaticè: quia hæc aſſumptio naturæ humanæ terminatur ad perſonam: hoc autem eſt contra rationem formæ communis quod proximè eſſet natura perſonæ: vel eſt Idæa naturæ humanæ in mente diuina exiſtens: & ſic etiam aſſumi non poteſt, vtpote quæ non eſt aliud à parte rei, quàm ipſe Deus. Quod autem aſſumitur, eſt quid diſtinctum ab aſſumente, vel denique natura illa ponetur eſſe natura communis ab humano intellectu concepta, & huius operâ à ſingularibus ſeparata; & ſic quoq; aſſumi non poteſt, quia non habet eſſe in re, ſed tantum obiectiuè in intellectu exiſtit; conceptus verò ipſe formalis eſt tantum actus accidentarius, qui etiam perſonaliter aſſumi non poteſt.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filius Dei naturam humanam aſſumere debuerit in omnibus indiuiduis?

21 CONCLVSIO eſt negatiua. Et Probatur Primò ex Damaſ. cuius verba licet hic videre apud D. Thom. Probatur Secundò ratione; quia hoc derogaret dignitati Chriſti Domini, qui tunc nullum haberet Primatum inter homines: quia omnes eſſent naturalis Filius Dei, atq; ita æquales. Deinde id aduerſatur fini Incarnationis, qui principalis fuit, vt peccatores à morte liberentur, & pro ipſorum culpis ſatisfiat; hic autem finis locum non haberet, quando nulli eſſent peccatores, ſed omnes homines eſſent Filius Dei naturalis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm conueniens fuerit, quod Filius Dei aſſumeret humanam naturam ex ſtirpe Adæ?

22 CONCLVSIO eſt affirmatiua: quæ in primis conſtat ex ipſo facto, quod quia diuino Conſilio geſtum eſt, non poteſt non eſſe conueniens.

Probatur Secundò ex D. Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 8. vbi id docet, & hanc eius aſſignat rationem: quia hoc pertinebat ad maiorem dignitatem generis humani, vt ex ipſo quod victū erat, Victor Diaboli procederet. Idem habet Leo ſerm. 2. de natiuitate. Altera ratio eſſe poteſt, quia hoc etiam ſpectat ad pleniorem iuſtitiam, vt is ſatisfaciat qui peccauit: atqui Adam & in eo tota humana natura peccauerat; ergo conueniebat quod aliquis ſaltem ex ſtirpe Adę ſatisfaceret, & ſic locum haberet illud Apoſtoli ad Heb. c. 2. *Qui enim ſanctificat & qui ſanctificātur ex vno omne*. Tertio, quia per hoc ipſum magis eluceſcunt Dei ſapientia & potentia, qui nouit & potuit etiam illi qui ex ſtirpe corruptâ & infirmâ generatur conferre tantam dignitatem & virtutem, vt ipſe à culpa omnino liber pro culpis poſſit ſatisfacere de condigno ſecundum iuſtitiam, & finaliter infirmitatem, & corruptionem naturæ tollere.

QVÆSTIO QVINTA

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Dei filius debuerit aſſumere verum corpus.

CONCLVSIO Vnica : Filius Dei verū corpus aſſumpſit, non phantaſticum, ſeu imaginarium. Eſt certa de fide contra Marcionem, & Manichæos teſte Auguſtino hęreſi 46. Definita fuit in Concilio Lateranenſi, & habetur capitulo Firmiter De Summa Trinitate. Probatur primò ex Scripturis: Ioannis cap. 1. *Verbum caro factum eſt*; ergò verum habuit corpus. Lucæ vltimo, Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam declarat diſcipulis, quod non viderent Spiritum, dicens. *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*; ergò &c. Probatur Secundò ratione: quia inprimis de hominis naturâ eſt verum corpus; atqui filius Dei factus eſt verus homo; ergò &c. Deinde, ſi non habeat verum corpus; ergò languores & dolores noſtros non portauit, nec attritus eſt propter ſcelera noſtra, neq; pro nobis in mortē tradidit animam: ſed mortem, & ſupplicia imaginariè & præſtigioſè tantum ſuſtinuit: quæ omnia ſunt contra apertiſſimas ſcripturas, Iſaiæ c. 53. & alibi. Tertiò, quia eiuſmodi fictio primam Veritatem non decebat, vt ſpeciem corporis tantum, & non verum corpus hominibus exhiberet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Dei Filius debuerit aſſumere corpus terrenum ſcilicet carnem & ſanguinem?

2 CONCLVSIO Vnica: Dei Filius aſſumpſit corpus terrenum, quod conſtat carne & ſanguine, quemadmodum corpora noſtra. Eſt certa de fide contra Valentinum hæreticum, qui docuit Chriſtum ſecum apportaſſe de cælo corpus cæleſte, & per vterum Virginis tanquam per canalem à quo nihil acceperit, tantummodò tranſiuiſſe; quam hæreſim referuntur hoc ſæculo noſtro etiam amplecti quidam Anabaptiſtæ.

Probatur Concluſio Primò ex Scripturis: ac in primis ex SS. Luca & Ioanne ſuprà citatis. Deinde ex cap. 2. ad Hebræos; *Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit iiſdem*: ipſe videlicet Chriſtus. Et de eodem ad Rom. c. 1. dicitur: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, & 1. Petri cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne: & vos eâdem cogitatione armamini*. Probatur Secundò iiſdem rationibus, quibus Concluſio Articuli præcedentis: quæ hic etiam militant, & facilè poſſunt accommodari.

Obijcitur Primò: 2. ad Corinthios cap. 5. dicit Apoſtolus, *Itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. Etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc, iam non nouimus*. Reſpondetur eo loco *Carnis* nomine non intelligi carnis ſubſtantiam, ſed eius infirmitatem & mortalitatem: quam quidem Chriſtus aliquando habuerat nobis aſſimulatus per omnia abſque peccato; ſed modo poſt ſuam reſurrectionem, non amplius habet: & ſic dicit Apoſtolus, quod modò non nouerit Chriſtum ſecundum carnem, id eſt, ſecundum carnis miſerias & corruptibilitatem; per hoc verò quod præcedit: *Itaq; nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem*, ſignificat quod fideles iam certam ſpem futuræ incorruptionis & immortalitatis teneant, earumq; contemplatione gaudeant, minimè ſolliciti de ijs quæ carnis infirmitatibus & neceſſitatibus deſeruiunt. 3

Obijcitur Secundò: 1. ad Corinthios 16. dicitur: *Primus homo de terra terrenus, Secundus homo de cælo cæleſtis*; ergo Chriſtus habet corpus cæleſte, quemadmodum Adam habuit corpus terrenum. Reſpondetur Neg. Conſ. quia comparatio Apoſtoli in eo tantum generaliter verſatur, quod ſicut primus homo, videlicet Adam, qui in Scriptura legitur de terra productus, fuit ſuo vitio factus terrenus, id eſt, rebus terrenis addictus, concupiſcentijs & vitijs 4

& vitiis, ac corruptioni carnis obnoxius, ſic is qui de cælo veniſſe legitur, ſit totus cæleſtis, id eſt, rebus cæleſtibus & diuinis deditus, à corruptione & mortalitate poſt reſurrectionem ſuam liber: quales etiam ſunt omnes, qui huius participatione facti ſunt cæleſtes, quatenus ſpe ſalui facti, à corruptione ſimiliter leberi ſunt. In eo itaque quod dicitur, *de terra*, & *de cælo*, non eſt de illo De intelligenda vna eademque ſpecifica habitudo ſecundum idem, ſed habitudo quædam generalis, ſecundum quam perſona poteſt dici de terra vel de cælo, quia habent ſcilicet vel rationem materiæ ex quâ, vel rationem & habitudinem loci, aut quaſi loci quo venit: iuxta priorem enim habitudinem primus homo eſt de terra: iuxta poſteriorem autem Chriſtus dicitur eſſe de cælo, ſecundum illud Ioannis cap. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.*

DVBIVM VNICVM

Vtrùm Verbum immediatè ſanguinem aſſumpſerit?

5 SVppono tanquam omninò certũ apud omnes D D. Verbum aſſumpſiſſe omnes eas partes humani corporis, quæ anima rationali informantur. Conſtat, quia hæ omnes indubitatè ad integritatem hominis ſimpliciter pertinent, & ſubſiſtentiâ totius ſubſiſtunt: cuius ſubſiſtentiæ locum in Chriſto homine ſupplet Verbum. De ſanguine diſputatur, vtrùm animâ informetur? vt infra videbimus: nihilominus ad Dubium propoſitum

6 Reſpondetur, Tenendum eſſe indubitanter, Etiam ſanguinẽ immediatè à Verbo aſſumptum eſſe. Eſt hæc ita hoc tempore certa doctrina, vt contrariã dicat Suarez non poſſe ſine errore defendi. Colligitur ex D. Th. hoc loco in Corp. & in Reſp. ad 2. & tenet apertius Quodlibeto 5. art. 5. Capreolus in 4. diſt. 11. qu. 1. art. 3. Soto diſt. 10. qu. 1. art 2. Maior in 3. diſt. 3. qu. 2. Albertus in Tractatu de Sacrificio miſſæ, & alij plures contra Durandum in 4. diſt. 10. q. 1. Gabr. in Canon. miſſæ, & Richar. quantũ apparet in 3. diſt. 2. art. 2. q. 1. vbi negat ſanguinem Chriſti in triduo mortis adorandum fuiſſe latriâ. Fundamenta horũ intelligentur ex obiectionibus poſtea mouendis. Probatur itaq; Concluſio, Primò ex illis Scripturæ locis, in quibus ſanguini Domini tanquam condigno pretio attribuitur noſtra redemptio: Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, ad Epheſios 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* ad Coloſſenſes 1. *Pacificans per ſanguinem Crucis eius ſiue quæ in terra, ſiue quæ in cælis ſunt*, ad Hebræos 9. *Si ſanguis hircorum & taurorum* &c. *quanto magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram* &c. 1. Petri cap. 1. *Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* 1. Ioan. 1. *Sanguis* IESV *Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato*, & Apocalipſis 7. dicuntur Sancti dealbaſſe ſtolas ſuas in ſanguine Agni; ergo Sanguis ille Verbo proximè fuit vnitus, vnde tanti pretij rationem accepit.

Dicet aliquis: Ex his nihil conuinci, quia 7
reſponderi poteſt ſanguinem Chriſti habuiſſe iſtam dignitatem & efficaciam, ipſique ſpecialiter attribui noſtram redemptionem, Primùm quidem, quia effuſus & exhibitus eſt à perſonâ infinitâ. Secundò, quia Deus ſtatuit ſanguinis Chriſti effuſione, quemadmodum paſſione, & morte eius, noſtram abſoluere redemptionem.

Sed contra facit Primò: quod non ef- 8
fuſioni tantum, ſed ipſi ſanguini tanquam condigno pretio oblato, Scriptura redemptionem noſtram adſcribat, vt verba allegata manifeſtè ſatis declarant. Vnde & ſanguinem opponit auro & argento quaſi in ratione intrinſeci valoris, & dignitatis, non tantum extrinſecè illis competentis, dum ait *Non corruptibilibus auro, vel argento, ſed pretioſo ſanguine*: nam ſi ſpectetur tantum quaſi extrinſeca dignitas quam prætium trahit à perſonâ perſoluente, poterant etiam aurum, & argentum illam participare, quatenus à tantâ & tali perſona poterant ad Dei honorem repræſentari & offerri. Hinc Aug. Enarratione in Pſal. 65. Quæritis (inquit) quid emerit; videte quid dederit, & inuenite quid emerit: ſanguis Chriſti pretium eſt: tanti quid valet? quid niſi totus orbis? quid niſi omnes gentes? Secundò, non tantum effuſio ſanguinis vt ex animalibus oblatis defluebat, mundabat in veteri Teſtamento, ſed etiam ſanguinis affuſi aſperſio: vt docet Apoſtolus ad Hebræos loco citato; ergò ſanguini inerat ſua vis mundandi; ſimiliter ergo non tantum effuſioni ſanguinis Chriſti competunt vis, & dignitas pretij, ſed etiam ipſi ſanguini Chriſti fuſo, quem ibidem Apoſtolus longè præfert ſanguini hircorum, & vitulorum, & cineri vitulæ aſperſo. Tertiò, quia Chriſtus Dominus ſicut dixit, Corpus ſuum tradi pro nobis, ita docuit etiam ſanguinem fundi in remiſſionem peccatorum pro mul-

pro multis, ſignificans parem in vtroque dignitatem & efficaciam. Hinc etiam quando de Euchariſtiá ſermo eſt, eodem modo attribuitur vita noſtra Spititualis, calici Domini, ac corpori, quare ſicuti Verbum vnitum eſt corpori, ſic & ſanguini.

9 Quarto: Idem efficaciſſimè oſtenditur ex Apoſtoli verbis ad Heb. c. 2. *Quia pueri communicauerũt carni & ſanguini & ipſe ſimiliter participauit eiſdem*: quomodo autem participauit carni, & ſanguini, niſi vtrumque ſibi hypoſtaticè vniendo? vnde Cyrillus Epiſtola 8. ad Neſtorium exponit illud Ioannis c. 1. *Verbum caro factum eſt*, in eum ſenſum dum ait, Id nihil aliud eſſe, quàm quod in carne, & ſanguine nobiſcum communicaverit. Simile quid habet idem Cyrill. lib. De fide ad reginas. Probatur Concluſio Secundò ex Concilijs: Epheſinum can. 5. dicit Verbum æquè ac nos communicaſſe carni, & ſanguini: Caleedonenſe Actione 1. approbat illam expoſitionem Cyrilli, Verbũ caro factum eſt, id eſt, carnem & ſanguinem ſumpſit. Clemens Sextus in Extrauagante Vnigenitus, de Pœnitentia, & remiſſione, dicit Vnam guttam ſanguinis Chriſti fuiſſe ſufficiens pretium redemptionis noſtræ propter vnionem ad Verbum.

10 Probatur Tertiò ex SS. Patribus, qui paſſim hoc in ſuis ſcriptis, quando de noſtrâ redemptione agunt, vel abſolutè docent, aut ſaltem ſupponunt. Vide Leonem epiſtola 10. cap. 5. Nazianzenum oratione 50. Bedam in caput 2. Actuum Apoſtolorum: Epiphanium hæreſi 77.

11 Probatur denique ratione, quia ſanguis verè & propriè ad veritatem & integritatem hominis pertinet, vt docet D. Tho. infra q. 54. art. 2. ad 3. & q. 76. art. 1. ad 2. & in 4. diſt. 44. q. 1. vbi communiter omnes Scholaſtici docent hac de cauſa, ſanguinem futurum eſſe in corporibus reſurgentium: Et confirmatur primò, ex Concilio Tridentino Seſſ. 13. cap. 3. vbi apertè ſignificat ſe ſanguinem inter corporis partes reputare, dum docet ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus panis ex vi illius connexionis, quâ partes corporis inter ſe copulantur. Confirmatur Secundò ex Philoſopho, qui lib. 2. de partibus animalium etiam ſanguinem inter animalis partes enumerat: quare cum Verbum Dei factum ſit homo, quantùm ad naturam ſpectat, eiuſdem perfectionis, & integritatis nobiſcum, neceſſum eſt fateri, ipſum quoque ſanguinem aſſumpſiſſe ex vi huius integræ & perfectæ aſſumptionis, alioquin ſi ab eo ſepararentur quæ illi non ſunt vnita hypoſtaticè, ſecundum ſe remaneret homo imperfectus & mutilus, atque adeo inidoneus ad pleraſque animæ functiones exercendas.

12 Obijcitur Primo: Sanguis non informatur animá, ergo non debet inter partes hominis computari, neque tanquam quid neceſſarium ad eius integritatem poni. Reſpondetur, quidquid ſit de Antecedente, de quo diximus diſputari, Negando Conſequentiam: quia eſto quod ſanguis non informetur animâ, poterit tamen dici pars animalis: Primò, quia ſine ſanguine non ſolum non poteſt perfectus homo exiſtere, ſed neq; omnino naturaliter exiſtere; neque enim tantum requiritur per modum nutrimenti conuertendi in ſubſtantiam aliti (ſic etenim poſſet animal naturaliter conſeruari breui ſaltem tempore ſine ſanguine, quod falſum eſt; nam anima, id eſt vita non tantum ſecundum medicos, verùm etiam (ſecundum Scripturam, dicitur eſſe in ſanguine) ſed requiritur ſimpliciter ad conſiſtentiam corporis animalis, & ad conſeruandum naturalem calorem maximè neceſſarium vitæ. Deinde eſt veluti generale organum ad operationes animæ efficiendas, præſertim ſenſitiuæ, & ad conſeruationem ſpirituum vitalium & animalium, ſine quibus nec ſenſuum vſus, nec vita conſeruari poſſunt: quæ ſanguinis neceſſitas, & munia ſufficiunt, vt ad humani corporis integritatem pertinere dicatur, eiuſque abſolutè pars merito habeatur.

13 Obijcitur Secundò: Verbum aſſumpſit tantum vnam naturam; atqui vna natura conſtat vnâ tantum materiâ & vnâ formâ, ſaltem vltimâ; ergo poſito hoc quod ſanguis nõ informetur animâ, nullo modo debebit dici aſſumptus. Reſpondetur, ſanguinis naturam eſſe veluti incompletam, & ex ratione ſua ordinatam ad complementum corporis animalis, modo iam explicato, & idcirco non conſtituere ſubſtantiam aliquam per ſe, ſed cum reliquis partibus corporis conſtituere vnam ſubſtantiam, ſiue naturam ſubſtantialem completam: vnde ad Antecedens dicendũ eſt, Verbum aſſumpſiſſe tantùm vnam naturã: videl. completam & integram, ad cuius rationem & vnitatẽ negamus requiri quod omnia ad eius integritatem neceſſaria, informentur vnâ formâ vltimâ, ſed ad naturæ vnitatem, ſiue vt res vnius naturæ eſſe dicatur, dicimus ſufficere quòd non componatur ex pluribus ſubſtantijs completis, quæve tales ſunt vt à natura inſtitutæ ſint ad per ſe exiſtendum ſeorſim ab alijs: quare ſaluâ vnitate naturæ ſubſtantialis poteſt res componi ex pluribus ſubſtantijs imperfectis à naturâ inſtitutis ad vnum compoſitum naturale conſtituendum, & ob id habentibus formas ſub-

ordina-

ordinatas ad vnam formam principalem, cui & cuius operationibus deſeruiunt, ſiue interim vltimatè informentur formâ principali compoſiti, vt in pleriſque fit, ſiue non, vt de aliquibus probabiliter dicitur, eo quod talis informatio non ſit neceſſaria his, vt in ordine ſuo ſubſeruiant formæ principali.

15 Replicabit aliquis; Ergo non omnes partes corporis animalis erunt continuæ. Reſpondetur, non magnum eſſe incommodum ſi admittatur, non omnes mathematico modo eſſe continuas: quia ad huiuſmodi corporis vnitatem poteſt dici ſufficere talis partium inter ſe coniunctio, qualis eſt neceſſaria, vt anima eis poſſit appoſitè vti & ipſe ſubſeruire animæ ad operationes ſuas exercẽdas, ſiue interim illa vnio ſit propriiſſimè dicta continuitas, ſiue quædam contiguitas inſtar continuitatis.

16 Ex his poteſt intelligi Primò, neceſſarium non eſſe diſtinguere duplicem ſanguinem, vt faciunt. Caiet. infrà qu. 54. ar. 2. Sylu. in Roſa aurea qu. 31. & quidam alij, alterum dicentes eſſe nutrimentalem tantùm, & adhuc imperfectum qui animâ non informatur; alterum verò perfectum, & per ſe requiſitum ad animalis integritatem, quem dicunt animâ informari, & animalis partem eſſe: vnde hunc Chriſti ſanguinem vocant ſalutarem, quia ex vi propriæ vnionis cum Verbo habet infinitum valorem, ſed priorem dicunt ſalubriter effuſum: quamuis enim per ſe non ſit vnitus Verbo, tamen eius effuſio propter dignitatem ſuppoſiti (aiunt) fuit ſalutaris. Veruntamen hæc ſine ſufficienti auctoritate & fundemento rationis videntur dicta forſitan ad euadendas difficultates iam motas; quandoquidem Patres, Concilia & Scripturæ abſque ſanguinis diſtinctione attribuant ſimpliciter ſanguini Chriſti, noſtræ redemptionis efficaciam.

Intelligitur ex iiſdem Secundò, quod Verbum aſſumpſerit ſanguinem hypoſtaticè, non tantùm ob extrinſecam rationem, videlicet vt ſic eſſet pretium condignum, ſed ob intrinſecam rationem pertinentem ad perfectam & integram aſſumptionem humani corporis cum omnibus ſuis neceſſariis.

17 Obijcitur Tertiò: In alijs hominibus ſubſiſtentia creata ſolum terminat partes corporis quæ informantur animâ; ergo cum Verbum ſuppleat vices ſubſiſtentiæ creatæ, debet dici aſſumpſiſſe eas tantum partes quæ animâ informantur. Reſpondetur Negando Aſſump. abſolutè loquendo; & ratio eſt, quia ſubſiſtentia creata hominis non eſt ſimplex, ſicuti natura hominis non eſt ſimplex, ſed conſtat ex pluribus partialibus ſubſiſtentijs partium: quare quemadmodum diximus & ſuſtinemus ſanguinem eſſe partem corporis humani, etiamſi ponatur quod non informetur animâ, ſic etiam dicimus ſanguinis ſubſiſtentiam eſſe partialem ſubſiſtentiam totius corporis, & proinde ipſum quoque, ſicut cæteras partes ſubſiſtere ſubſiſtentiâ totius: quemadmodum enim totum componitur ex omnibus partibus, ſic ſubſiſtentia totius conſtat ſubſiſtentijs omnium partium.

Obijcitur Quartò: Videntur inde ſequi multa incommoda, ſi ſanguis dicatur 18
proximè vnitus Verbo hypoſticè; nam per communicationem idiomatum ſequitur inde quòd Verbum ſit ſanguis, quòd Verbum effundatur, conculcetur: item quod ſanguis ſit homo, & ſimilia. Reſpondetur, hæc incõmoda magis ſunt de modo loquendi, quàm de re ipſa: negatur tamen idcirco eiuſmodi locutiones ſimpliciter eſſe admittendas, quia ſanguis tantum pars eſt; communicatio autem idiomatum non deſumitur à partibus nec eis tribui ſolet, ſed à ſuppoſito: vnde nec ſolemus dicere, quod Verbum ſit manus, vel pes; vel quod manus Chriſti ſit homo, quamuis certiſſimum ſit, manus & pedes Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentiâ Verbi.

Dico Tertiò: Probabile eſt Verbum 19
non tantum ſanguinem, ſed etiam tres alios humani corporis humores hypoſtaticè aſſumpſiſſe. Ita Caietanus ad hunc artic. 2. & infrà in quæſt. 54. Sylueſter in Roſa aurea q. 31. Suarez in 3. Partem diſp. 15. ſect. 7. & alij. Probatur, quia ex omnibus iſtis humoribus verè conſtat humanum corpus, vt docet Damaſcenus 2. de fide cap. 12. & Aug. epiſt. 146. vbi dicit, quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinæ diſciplinam teſtari. Idem docet D. Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 3. cum multis Scholaſticis ibidem. Vnde etiam in corporibus reſurgentium habebunt locum ſuum ex communi doctorum ſententiâ: meritò igitur exiſtimantur etiam à Verbo aſſumpti.

Idem dico de dentibus, & quidem 20
maiori cum ratione, quia vix dubium videtur, eos animâ informari. Similiter, & de vnguibus idem dicendum videtur; quia tam vngues, quàm dentes ſpectant non tantum ad ornamentum, ſed etiam ad humani corporis integritatem: ſunt etenim per ſe ad nonnullas actiones neceſſarij. De capillis maior poteſt eſſe dubitatio: eos tamen aſſumptos eſſe ex Ambroſio lib. de Incarnat. Dominicæ Sacramento, & Athanaſio Epiſtolâ ad Epictetum, quæ habetur apud

Google

apud Epiphanium hæreſi 77. poteſt colligi vbi dicunt hæreticos iſtos qui docuerunt diuinitatem, & humanitatem Chriſti eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, conſequenter fuiſſe dicturos, Verbum in carnem, capillos, ſanguinem, & oſſa cõuerſum eſſe. In quâ illatione manifeſte SS. Patres iſti ſuppónunt Verbum eodem modo ſe habere ad capillos, quo ad carnẽ & ad oſſa. Accedit, quod capilli pertineant ad quoddam complementum, & ornamentum humani corporis; vnde etiam futuri ſunt in corporibus reſurgentium, vt docet Auguſt. lib. 22. de Ciuitate cap. 19. & Enchiridij cap. 88. Cum quo conſentiunt Scholaſtici in 4. diſt. 44.

21 Cum igitur nullum ſit incommodum, & ad maiorem quandam Corporis Chriſti Domini dignitatem & perfectionem pertinere videatur, quod dicantur aſſumpti, abſque ratione contrarium affirmabitur.

22 Denique ob eandem cauſam, etiam ſpiritus animales & vitales probabiliter putantur à Verbo aſſũpti, iuxta Suarez loco citato. Neque obſtat quod multa ex dictis facilè tranſmutentur in aliam ſubſtantiam, vel decidant, vel reſecentur: quia idem accidit in ſanguine, & in continua corporis nutritione, & partium materialium reſolutione. Quamobrem quod Damaſcenus ſcribit. 3. de fide cap. 27. Verbum nunquam dimiſiſſe, quod ſemel aſſumpſit, intelligendum eſt de animâ & corpore, vt ipſe ſatis explicat; deinde & intelligi poteſt de partibus corporis formalibus, vt de carne, oſſibus, ſanguine, & ſimilibus vt partes formales ſunt: non de materialibus partibus harum partium, quę continuò reſoluuntur. Quid autem interſit inter partes materiales, & formales corporis animalis explicant Phyſici lib. 1. de Generatione cap. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam?

23 CONCLVSIO Vnica. Filius Dei aſſumpſit animam rationalem. Eſt certa de fide contra Arrium, vt notat hic D. Thomas ex Auguſtino, & contra Apollinarem, teſtibus D. Athanaſio Sermone de ſalutari aduentu IESV Chriſti, & D. Leone ſerm. 4. de natiuitate. Docuerunt enim hæretici iſti diuinitatem in Chriſto fuiſſe animæ loco, eiuſque vices in corpore expleuiſſe.

24 Sed probatur Concl. primò ex Scripturis illis quæ ſatis apertè attribuunt Chriſto animam: Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*: quæ verba Diuus Petrus Actorum cap. 2. in perſona Chriſti dicta fuiſſe interpretatur. Ioannis c. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis*; & iterum, *pono animam meam, & iterum ſumo eam*; habuit ergo Chriſtus animam, & quidem rationalem, quia dum dicitur quis ponere aliquid, & iterum ſumere illud, importat ſermo iſte, non interire illud quod ponit; atqui inter animas ſola rationalis non interit, quando dimittitur ſiue ſeparatur à corpore; ergo &c. Hinc etiam Chriſtus quando in cruce ponebat animam, vocabat illam ſpiritum dicens, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Vbi, & ipſa commendatio talis, ſatis ſignificat ſpiritum ſuper remanere, quando emittebatur.

Probatur Secundò ex illis Scripturis,
quæ Chriſto tribuunt animæ affectiones 25
& operationes, vt triſtitiam, pauorem, tœdium, admirationem quæ ſine intellectu & ratione non fit, aliosque ſimiles animæ actus.

Probatur Tertiò, quia ſi non habuit
Chriſtus animam rationalem; ergo non 26
fuit verus homo. Deinde non potuit orare, mereri aut ſatisfacere, quæ omnia abſurda & hæretica ſunt, contra manifeſtas Scripturas. Denique incarnatus fuit Filius Dei ad redimendum hominem lapſum; ergo aſſumere debuit quod ceciderat, quodque magis indigebat renouatione, & redemptione; hoc autem eſt anima hominis; ergo &c.

ARTICVLIS IV.

Vtrùm Filius Dei aſſumere debuerit intellectum?

PRoponitur hic Articulus contra Apollinarem, & quoſdam eius Sectatores, 27
qui vt refert hîc D. Th. ex Auguſtino. quando euangelicis teſtimonijs ita erant conuicti, vt animam in Chriſto negare non poſſent, aſſeruerunt mentem defuiſſe animæ Chriſti: vbi per mentem non tam videntur intellexiſſe naturalem potentiam intellectiuam, quàm ipſam animæ ſubſtantiam, qua parte intellectualis eſt. Vnde Catholici tunc ex ipſorum doctrina inferebant Filium Dei, non hominem factum, ſed beluam cum humani corporis figura.

CONCLVSIO Prima: Verbum aſſumpſit animam intellectualem, [illegible] mente præditam. 28
Patet Primò ex dictis circa Concl. Artic. præc. Probatur Secundò veterum Catholicorum iam adducto argumento, quo ſequaces Apollinaris commoti poſtmo-

poſtmodum iterum negarunt ſimpliciter animam in Chriſto, vt ſignificat Aug. loco citato.

Conclvsio Secunda: Verbum aſſumpſit animam intellectualem etiam cum naturali ſuâ potentiâ intelligendi. Probatur: quia non poteſt hæc potentia abſque nouo miraculo ab animâ ſeparari; atqui nulla ſubeſt cauſa, cur huiuſmodi miraculum putetur factum; ergò &c. Deinde: anima intellectu carens inſtar eſſet animæ bruti, quæ Deum ignorat, libertatis eſt expers, abſque potentia & facultate merendi, ſatisfaciendi, intercedendi pro alijs; ergò quandoquidem animam rationalem aſſumpſerit, dubium non eſt, quin potentijs ſuis intellectualibus eadem ſit inſtructa.

QVÆSTIO SEXTA.

De modo aſſumptionis quantum ad ordinem

In ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit carnem mediante animâ.

1 Obſeruandum hic eſt, varijs modis poſſe intelligi Verbum aſſumere carnem mediante animâ: ac in primis hoc modo, vt anima ſit inſtar vinculi ſiue termini copulantis Verbum & carnem ſibi inuicem, quemadmodum duo corpora ſunt ſibi vnita, mediante glutine, vel duæ partes lineæ mediante puncto. Secundò, vt Verbum intelligatur aſſumpſiſſe animam proximè & ſecundum ſe; carnem verò non ſibi hypoſtaticè vniuiſſe, ſed ſuſtentare carnem ſecundariò quatenus ſuſtentat animam à quâ ſuſtentetur caro, quemadmodum mediante ſubſtantiâ naturæ humanæ, corpore ſcilicet & animâ, ſuſtentat accidentia. Tertiò poteſt ſic intelligi, quod Verbum aſſumpſerit carnem mediante anima, quaſi aſſumptio animæ eſſet diſpoſitio quædam, & via ſecundum ordinem generationis ad aſſumptionem carnis, quemadmodum mediante forma embrionis poſſet materia dici informati animâ. Quartò, vt dicatur Verbum aſſumere carnem mediante animâ, quia anima quemadmodum eſt quid dignius, ita quoque ordine naturæ, qui à dignitate deſumitur, eſt quid prius; cuius modi meminit hîc Diuus Th. in Corpore. Sed quamuis ex tali conſideratione poſſit forſitan dici Verbum aſſumere prius animam quàm carnem, non videtur tamen [illegible] re vt cum aliqua proprietate ſermonis, eo ſolo titulo dicatur aſſumere carnem mediante animâ: quemadmodum ſi quis ſimul induat veſtem prætioſam & vilem, ſi nulla alia ſit connexio vel ſubordinatio inter illas veſtes, non propriè dicetur induere vilem mediante pretioſâ. Quintò, poteſt intelligi, quod Verbum aſſumpſerit carnem mediante animâ, non tantum, quia anima eſt quid præſtantius carne; ſed inſuper, quia illa duo ita ſe habent ad inuicem, vt anima tribuat carni aſſumptibilitatem, id eſt, tribuat illi, vt conuenienter à Verbo aſſumatur. His præmiſſis ſit

Conclvsio Prima: Verbum non aſſumpſit carnem mediante animâ iuxta primam vel ſecundam rationem medij iam explicatã. Probatur: Quia ſic ſequeretur primò, quod caro non eſſet vnita ſecundum ſe proximè hypoſtaſi Verbi. Deinde, quod facta ſeparatione carnis ab anima, mox naturaliter deſineret caro eſſe vnita Verbo, quæ omnino falſa ſunt, vt ex ſupra dictis conſtat, & manifeſtè oſtenditur ex triduo mortis, quo corpus ſeparatum ab anima, permanſit hypoſtaticè Verbo vnitum. 2

Conclvsio Secunda: Caro non eſt quoque aſſumpta mediante animâ quaſi aſſumptio animæ eſſet via quædam ad carnis aſſumptionem. Probatur: Quia forma ſubſtantialis non eſt via, neque diſpoſitio ad materiam, quin materia vt diſpoſita poſſit dici potius via quædam ad formam: aſſumptio igitur animæ non debet intelligi per modum viæ ad carnem; ſed contra potius ſecundum ordinem naturæ concipiendo res vt fiunt, magis diceretur iuxta hanc conſiderationem, anima aſſumpta mediante carne. 3

ConclvsioTertia: Rectè tamen Filius Dei dicitur aſſũpſiſſe carnẽ mediante animâ, videl. ſecundum rationes medij quarto & quinto loco explicatas ſimul hic cõcurrentes. Declaratur, quia anima eſt quid dignius, & tribuit carni rationẽ aſſũptibilitatis, vt conuenienter à Verbo aſſumatur. 4

Confir-

Confirmatur, Quia habitudo carnis, qua ſe habet ad animam rationalem tanquam materia ſiue corpus ab ea informatum, & tanquam organum operationibus animæ deſeruiens, eſt formalis ratio in carne Chriſti, quare magis aſſumptibilis ſit, quàm caro equi, vel leonis, vel alterius animantis; ergò rectè dicitur aſſumpta mediante anima.

Obſeruandum hîc eſt, Hunc loquendi modum à Patribus fuiſſe vſurpatum ad declarandam abſurditatem doctrinæ Apollinaris, qui Chriſt[illegible] tribuebat duntaxat carnem, non animam: cum hoc in tantum abſit, vt etiam caro non fuerit aſſumpta, niſi animâ mediante, modo iam explicato.

Sed objicitur: Eâdem ratione dicendum erit, animam fuiſſe aſſumptam mediante corpore: nam & corpus videtur animæ fuiſſe ratio cur aſſumeretur, quia eſt aſſumpta anima vt corpus informaret, & in corpore pateretur. Reſpondetur Neg. Aſſumpt. non enim habitudo animæ ad corpus eſt ad illud tanquam quid dignius quod tribuit animæ conuenientiam, vt aſſumatur à Verbo, quemadmodum diximus de habitudine corporis ad animam: ſed anima originaliter à ſe habet hanc conuenientiam, quia ipſa eſt forma per quā homo aliquo modo ſuis operationibus attingit Verbum, videlicet cognitione & amore. Deinde ipſa quoque eſt, quæ maximè peccato deformata eſt, & reformatione ac renouatione indiget: vnde Apoſt. ad Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Ab ipſa etiam pendet meriti, & ſatisfactionis ratio, ob quæ specialiter natura humana dicitur præ alijs naturis quibuſcunque aſſumptibilis, vnde à ſe habet primò, non à corpore, rationē conuenientiæ vt à Verbo aſſumatur. Subſeruit quidem corpus animæ in multis functionibus Oeconomiæ Chriſti, ſed non ſufficit hoc, vt dicatur anima ideo aſſumpta mediante corpore ſiue ratione corporis: quemadmodum neque propter miniſterium quod corpus animæ exhibet, dicitur anima eſſe propter corpus, ſed potius corpus propter animam, eo non obſtante. Ratio eſt, quia hîc in propoſito, in ablatiuo illo Mediante, ſignificatur habitudo alicuius dignioris quod alteri cui coniungitur tribuit perfectionem, aut idoneitatem ſiue conuenientiam ad perfectionem aliquam ſuſcipiendam, quæ corpus non præſtat animæ, ſed anima corpori.

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit animam mediante ſpiritu?

NOtandum hîc eſt Primò: Quod anima rationalis vna & eadem ſecundum ſubſtantiam ſuſcipiat diuerſas denominationes, iuxta varia ſua officia & operationes: dicitur enim ſpecialiter anima, ex eo quod animat carnem, & functiones animæ vegetatiuæ & ſenſitiuæ communiter cum cæteris animabus exerceat: dicitur etiam ſpiritus aut mens, ſecundum quod exercet operationes ſpirituales, quæ per ſe non indigent organo corporeo, & ſecundùm quod eleuatur ad immaterialium contemplationem.

Notandum Secundò: Articulum propoſitum dupliciter poſſe intelligi: Vno modo vt ſenſus ſit, An vna & eadem anima ſecundum ſubſtantiam, quâ ratione eſt intellectualis, & dicitur ſpiritus aut mens, poſſit dici medium reſpectu ſui ipſius, vt aſſumatur à Verbo, quatenus eſt vegetatiua & ſenſitiua: Alio modo, an potentiæ ſpirituales animæ v. g. intellectus & voluntas ſint medium, ratione cuius potentiæ inferiores à Verbo fuerint aſſumptæ.

Notandum Tertiò: Quamuis eodem modo ſit reſpondendū ad Artic. ſiue vno, ſiue altero modo intelligatur, nihilominus priorem ſenſum à SS. Patribus quando ita loquuntur, & à D. Thom. hîc potiſſimùm eſſe intentum. His præmiſſis ſit

CONCLVSIO Vnica: Filius Dei aſſumpſit animam mediante ſpiritu. Probatur Primò, Quia ſic loquitur Synodus Sexta Act. 18. item D. Aug. de Agone Chriſtiano cap. 18. & Damaſcenus lib. 3. de Fide, cap. 6.

Probatur Secundò ratione: Quia ſpiritus eſt digniſſima & ſublimior animæ portio ſiue gradus, cui primò competunt omnes congruitates ad vnionē cum Verbo, vt hîc declarat D. Thomas: & coniunctio huius in eadem animæ ſubſtantia cum gradibus ſenſitiui & vegetatiui, tribuit his conuenientiam ad aſumptionem, quemadmodum anima tribuit carni modo ſupra explicato; ergò &c. Quod [illegible] de anima dicimus ſic ſecundum ra[illegible] duplicem conſideratā, poteſt quoqu[illegible] reſpectiuè de potentijs eius ſuperioribus & inferioribus: hoc enim ex altero conſequitur. Sunt enim ſuperiores magis

dignæ

dignæ., & magis congruæ, vt vniantur, quàm inferiores: imò illæ his tribuunt congruentiam quandam, vt ſimul vniantur. Vbi tamen hoc obſeruandum eſt, quando admittimus vires inferiores eſſe vnitas Verbo mediantibus ſuperioribus, non ſic intelligendum eſſe, quaſi vel hæ, vel illæ ſubſiſtant ſubſiſtentiâ Verbi, ab eoque ſuſtentur proximè, (hoc enim accidentibus nullis competit, de quorum numero ſunt hæ potentiæ:) ſed quod Verbum aſſumpſerit naturam cui conueniunt vires iſtæ inferiores, eaſque ſibi coniunxerit tanquam accidentia naturæ aſſumptæ, quia ſunt in eâdem ſede & ſubiecto cum viribus ſuperioribus, cum intellectu videlicet & voluntate.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima à Filio Dei priùs ſit aſſumpta quàm caro?

QVæſtio eſt de prioritate temporis, non de prioritate naturæ, de qua actum eſt art. 1.

7 CONCLVSIO itaque eſt negatiua, & certa de fide contra Originem, qui vt exiſtimauit omnes animas ab initio ſimul fuiſſe à Deo creatas, ſic etiam ſpecialiter docuit, animam Chriſti a principio conditam, eamque tunc vel paululùm pòſt ſingularis dilectionis merito fuiſſe Verbo vnitam, vt videre eſt lib. 2. Periarchon cap. 6.

Probatur Concluſio primò ex Synodo 5. quæ ſic loquitur: Si quis dicit aut ſentit, animam Domini præexiſtere, vnitamque eſſe Deo Verbo ante Incarnationem & natiuitatem ex Virgine, anathema ſit. Idem docet Synodus 6. actione 11. & Leo Epiſtola 11. vbi contra Eutichetem ſic loquitur: Arbitror (inquit) talia proloquentem hoc habere perſuaſum, quòd anima quam Saluator aſſumpſit, prius in cælis ſit commorata, quàm de Maria Virgine naſceretur, eamque ſibi Verbum in vtero copulârit; ſed hoc catholicæ mentes aureſque non tolerant: vbi infra ſubdit hunc errorem eſſe in Origine damnatum: & poſtea loquens de Chriſto, ait: Non alterius tamen naturæ erat eius caro, quàm noſtra, nec alio illi, quàm cæteris hominibus, anima eſt inſpirata principio.

Probatur Secundò ratione: Quia anima cùm ſit forma corporis, póſtulat naturâ ſuâ, vt in ipſo corpore, illudq́ue informando, eſſe incipiat: hoc autem animæ Chriſti cum animabus aliorum hominum commune eſt; ergò non eſt, quare dicatur ante corporis formationem producta & Verbo vnita.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm caro Chriſti fuerit priùs à Verbo aſſumpta, quam anima vnita?

AGitur hîc quoque de temporis prioritate. 8 vt ſatis eſt intelligere, tum ex Corpore præſertum circa finem, tum ex reſponſis ad obiectiones. Vnde Concluſio Diui Thomæ eſt negatiua, & certa de fide. Conſtat ex Synodo 6. actione 11. in epiſtola Sophronij, quæ actione 13. approbatur & ſic habet: Incarnatur Verbum Deus non præfactæ carni copulatus, vel animæ præexiſtenti coniunctus, ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus, quando eis ipſum Verbum, & Deus copulatus eſt. Idem docent Sancti Patres: Auguſtinus epiſtola 3. ad Voluſianum, vbi dicit, quòd Verbum Dei ſimul & animam ſuſcepit & corpus. Ambroſius lib. de Incarnatione cap. 6. & 7. & clariſſimè Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 2. Carnem animâ rationali, atque intellectuali animatam condidit, & eius hypoſtaſis factum eſt (videlicet Verbum) ac proinde (inquit) ſimul vt caro exſtitit, ſimul quoque Verbi Dei caro exſtitit: ſimul caro animata, rationis atque intelligentiæ particeps.

Probatur Secundò ratione: Quia Ver- 9 bum aſſumpſit carnem mediante animâ, vt ſuprà dictum eſt: quia ex ordine ad animam ſortita fuit caro aſſumptibilitatem ſuo modo explicato articulo primo; ergò non debuit prius tempore Filius Dei aſſumere carnem, quàm ipſam animam.

Annotatio circa modum conceptionis ſiue formationis carnis ſeu corporis Chriſti in vtero Virginis?

PRo plenioti huius doctrinæ intelli- 10 gentiâ, adiungenda ſunt hîc quædam de modo conceptionis, ſiue formationis corporis Chriſti Domini in vtero Virginis. Diuus Thomas itaque infrà quæſt. 33. art. 1. docet tria in conceptione Chriſti poſſe conſiderari: Primò quidem motum localem ſanguinis ad locum generationis: Secundò formationem corporis ex ſanguine: Tertiò augmentum corporis, quo perducitur ad perfectum: Primum & Ter-

tium dicit ſucceſſiuè in tempore eſſe peracta, quia naturâ ſuâ poſtulant fieri in tempore: & ſpecialis ratio non occurrit, quare exiſtimentur aliter facta. Declaratur prius, quòd id poſtulent naturâ ſuâ: quia congregatio ſanguinis puriſſimi ad locum gerationis, quamuis virtute Spiritus Sancti facta ſit, tamen hoc ipſo, quo per motum localem facta eſt, prout nata erat fieri, non potuit eſſe facta in inſtanti: ſimiliter augmentatio non eſt quoque ſine motu locali; & inſuper hæc fit virtute animæ iam in corpore formato operantis ſecundùm potentiam augmentatiuam, quæ non operatur niſi in tempore. Declaratur poſterius, quod videlicet ſpecialis ratio non requirat, vt hæc præter naturam aliter, quã in tempore fuerint facta: quia ſi quæ ratio occurreret, potiſſimum videretur eſſe hæc, vt Chriſti conceptio poſſit dici perfecta in inſtanti; ſed iſta hîc non militat: quia congregatio ſanguinis ad locum generationis eſt quid præambulum conceptioni; augmentatio verò eſt quid conceptionem conſequens, ita vt neutrum intra conceptionem includatur, & proinde ex illis non pendeat, quod Chriſti conceptio ſit peracta in momento, vel in tempore.

11 Ad Secundum quod attinet, in eo dicit D. Thomas cōſiſtere principaliter rationem conceptionis, in ipſâ videlicet corporis ſeu fœtus formatione, & hanc expreſsè docet loco cit. peractam fuiſſe in inſtanti: eſtq; communis ſenſus Eccleſiæ, & omnium Doctorum, ita vt contrarium affirmare eſſet temirarium & periculoſum. Hinc Damaſcenus lib. 3. de Fide c. 2. ſcribit Dei Filium prr Spiritum Sanctum procreationis modo ſibi ipſi corpus condidiſſe, non ita vt paulatim, tacitiſque incrementis figura corporis abſolueretur, ſed vno eodemque momento perficeretur: ad eam intellige perfectionem vt ſufficienter eſſet diſpoſitum ad animæ rationalis ſuſceptionem, ſicuti alia corpora, quando primũ animâ informantur. Et Euthym. ad cap. 1. Matth. tractans illa verba, *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: Formatum (inquit) genitum dixit, vt diſcamus non paulatim modo ſeminis formatum eſſe, ſed repente quoad formationem factum eſſe. Baſilius eadem verba tractans Homil. 25. de humana Chriſti generatione: Hinc (ait) deprehendere licet, quod non ſecundùm modum carnis conſtitutio Domini fuit: conceptum namque ilicò perfectum, non per interualla paulatim formatum, vt planè verba declarant: non enim dicit quod in ea conceptum eſt, ***Sed quod in ea natum eſt.*** Et Diuus Gregorius lib. 18. moral. cap. 35. ita hac de re ſcribit, Angelô nuntiante, & Spiritu Sancto adueniente mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum Caro, &c.

Et probatur ratione: Quia ex parte 12 cauſæ efficientis, qui fuit Spiritus Sanctus infinitæ virtutis, ita fieri potuit, & ex parte perſonæ cuius corpus formabatur, omnino ſic fieri decuit; ergò &c. Prior pars Antecedentis eſt certa & euidens: Poſterior probatur & explicatur, quia ſi formatio carnis Chriſti dicatur peracta in tempore, oportebit alterutrum horum admittere: vel quod Verbum aſſumpſerit corpus non plenè formatum exiſtens ſub formâ embrionis: vel quod tota conceptio non fuerit conceptio Filij Dei: nam conceptio propriè incipit, quando ſanguis in loco generationis virtute ſeminis (vel vt in Chriſto Domino, virtute Spiritus Sancti) incipit coagulari, ſecundum certas partes condenſari, & diuerſas delineationes ac figuras ſuſcipere: vnde ſi hæc fuerint per aliquod tempus in fieri, & non vno momento completa, neceſſario conſequitur, quod tota conceptio non fuerit Filij Dei, quia hæ actiones non erunt terminatæ ad ſuppoſitum diuinum, ſed ad aliud ſub formâ embrionis propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtens, niſi alterũ dicatur, quod videlicet Verbum aſſumpſerit carnem informem: atqui vtrumque eſt inconueniens: & quidem prius apertè contra fidem; poſterius autem ad minus videtur in fide periculoſum; ergò omnino dicendum eſt, formationem corporis Chriſti in inſtanti peractam fuiſſe. Sed contra hanc aſſertionem diuerſæ occurrunt difficultates:

Prima poteſt eſſe, Quod Beata Virgo 13 non videatur potuiſſe ſubito ſubminiſtrare ſimul tantam ſanguinis copiam, vt ex eo repente corpus infantis formaretur: vel enim debuiſſet antea nimio ſanguine abundare, vel poſtea ſanguine neceſſario & corpori ſuo proportionato eſſe deſtituta.

Reſpondetur, Quantitatem ſanguinis 14 cum qua poteſt corpus humanum ſanum & benè proportionatum conſeruari, magnam habere latitudinem, & ideo potuiſſe Beatam Virginem ſubminiſtrare ſufficientem ſanguinem puriſſimum abſque incommodo vel ægritudine corporis, potiſſimùm cum fœminis à natura datum ſit, vt plus ſanguinis efficiant, vtpote qui in illis non tantum ad indiuidui conſeruationem, ſed etiam ad ſpeciei propagationem ſeruire ſoleat. Vnde aliqua copia ſanguinis non debet cenſeri

illi

illi fuiſſe ſuperflua aut monſtroſa, vel contra naturam. Accedit quod cum naturâ poteſt credi concurriſſe etiam ſpecialem Spiritus Sancti prouidentiam, quâ ſic corpus Virginis fuerit nutritum ac diſpoſitum, vt & abſque ſanguinis exceſſu, & abſque corporis ſui detrimento poſſet materiam corpori Chriſti formando neceſſariam ſimul ſubminiſtrare.

15 Secunda difficultas eſt: quia ſi corpus Chriſti dicatur vno inſtanti fuiſſe integrũ formatum, quemadmodũ corpus eſt aliorum, quando animâ incipit informari, conſequens videtur, quod ante tempus nouem menſium debuerit ab vtero matris egredi, quod eſt contra Sanctorum doctrinam. Probatur: Quia alij infantes eduntur ante octauum menſem computando à perfectâ cõceptione ſiue informatione fœtus.

16 Reſpondetur cum Diuo Thoma, qu. 33. citatâ art. 2, ad Secundum, maximam & minimam quantitatem corpori humano accommodatam ad animæ ſuſceptionem non conſiſtere in indiuiſibili, ſed ſuam habere latitudinem: vnde fieri potuit, quod corpus Chriſti formaretur integrum in minima quantitate naturaliter requiſitâ, vt ab anima informetur: & proinde in eiuſmodi minima quantitate poſſe dici Chriſti corpus in primo inſtanti fuiſſe formatum, non quidem monſtroſâ aut præternaturali, ſed quæ tali corpori poterat eſſe conueniens, conſideratâ eius complexione & diſpoſitione, ac ſimul incremento quod erat accepturum ſpatio 46. dierum, quibus aliorum infantium corpora dicuntur formari, antequam animam ſuſcipiant. Vnde nec debuit idcirco ante nonum menſem emitti, quia licet in primo inſtanti conceptionis corpus eſſet ſufficienter diſpoſitum ad animæ ſuſceptionem, non tamen habebat eam quantitatem, quam in animatione habiturum fuiſſet facto reſpectu ad magnitudinem quam habuit in partu, ſi 46. die demum fuiſſet animâ informatum: ſed per augmentationem ſenſim acquiſiuit quantitatem illam diebus ſequentibus, quibus videlicet aliorum corpora ſolent formari, & diſponi ad animam ſuſcipiendam: atque ita corpus Chriſti ab initio ſuæ animationis, neque fuit monſtroſæ paruitatis, nec in fine monſtroſæ magnitudinis, neque tempore ſuperfluo remanſit in matris vtero.

17 Tertia Difficultas eſt, Quòd Diuus Thomas loco citato doceat, congregationem ſanguinis, & augmentationem non potuiſſe fieri in inſtanti, quia non ſunt ſine motu locali, atqui neq; corporis formatio ex ſanguine loco debito iã collecto, & organizatio eius ſunt abſq; motu locali; ergò neq; hæc fieri potuerunt in momento. Probatur Subſumpt: Quia ſanguis à principio eſt totus homogenus eiuſdem raritatis & denſitatis, eiuſdem figuræ & abſque diuerſis delineamentis; atqui non poteſt intelligi hunc ſanguinem coagulari, condenſari, & ſecundum diuerſas partes diuerſis figuris & delineamentis formari, niſi intelligantur partes ſimul mutare locum & ſitum.

18 Ad hanc difficultatem euadendam Primò poteſt occurrere huiuſmodi reſponſio, quod dum Sancti Patres & Doctores dicunt corpus Chriſti ſubito, repente, vel in momento formatum, non loqui omnino rigidè de puncto temporis, ſed per eiuſmodi locutiones ſignificare ſolum, quod formatio corporis ſit peracta tempore breuiſſimo, quo non fuit difficile Spiritui Sancto perficere totam corporis Chriſti formationem tam quoad partium condenſationem, quàm quoad delineationem & configurationem, prout cuiuſque partis natura & officium exigebant.

19 Sed licet huiuſmodi ſolutio ſecundum naturalem philoſophiam ſit plauſibilis, neque illi repugnet omnino modus loquẽdi, tamen in Theologia non eſt admittenda. Primò: Quia Doctores videntur omnes rigidè loqui de inſtanti temporis quo volunt corpus Chriſti fuiſſe perfectum, vt clarè conſtat ex Diuo Thoma loco citato. Deinde quia ſic, vel tota conceptio Chriſti non eſſet terminata ad perſonam Verbi, vt ſupra dictum eſt, atque ita Beata Virgo ab initio concepiſſet aliud ſuppoſitum, quàm perſonam Verbi, vel tempore aliquo ſaltem breuiſſimo Filius Dei aſſumpſiſſet carnem informem nondum plenè formatam nec animatam.

20 Hinc neque rectè dicetur, quod ſanguinis condenſatio ſecundum certas partes, & partium delineationes comprehendantur ſub motu locali ſanguinis ad locum generationis, & proinde poſſint exiſtimari in tempore hæc facta, ſicuti ipſe motus ſanguinis ad locum generationis: quia ſicut ſuprà diximus, conceptio fœtus propriè incipit ab illis alterationibus materiæ: vnde ſi credantur in tempore factæ, recurrunt ſemper eædem difficultates motæ contra formationem corporis Chriſti in tempore.

21 Quare ad difficultatem propoſitam reſpondetur, per hoc quod dicitur corpus Chriſti repente vel in momento factum, ſignificari ſimpliciter inſtans, vel punctum temporis ſecundum ſermonis rigorem: ſed magno Dei miraculo, partes ſangui-

nis mutaſſe locum ſecundum exigentiam plenæ formationis corporis Chriſti, non quidem mediante motu locali propriè dicto ſiue diuiſibili: ſed per mutationem quandam indiuiſibilem, quâ videlicet diuinâ virtute in loco in quo erant, eſſe deſieruot per vltimum inſtans ſui non eſſe ibi, ſiue io illo loco, & cœperût eſſe in loco, vbi eraot neceſſariæ ad corporis formatiooem & organiſationem, per primum inſtans ſui Eſſe in iſto loco; quemadmodum diximus 1. parte quæſt. 53. art. 3. quod Angeli virtute ſuâ naturali poſſint ſe in ioſtanti collocare ab vna ſphera ſibi adæquata ad aliam ſpheram adæquatam priori vicinam; imò vt quidam volunt etiam ad remotam: quod tamen naturaliter fieri poſſe ibi negauimus.

22 Quarta difficultas eſt: quod Diuus Auguſt. lib. 4. de Trinitate cap. 5. & lib. 83. quæſtionum qu. 56. tractans hæc verba Ioannis cap. 2. *Quadragenta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, dicat hunc numerum perfectioni Dominici corporis apertè congruere, puta quia vt apparet tot dies fuerint in corporis Chriſti formatione perficiendâ, quotanni in ædificatione templi; ergò noo eſt in momento formatum Chriſti corpus.

23 Reſpondetur Diuum Auguſtinum ibi non loqui præcisè tantùm de formatione corporis & diſpoſitione eius neceſſariâ vſque ad ſuſceptionem animæ rationalis: ſed agere de formatione corporis, eiuſque argumentatione vſque ad debitam quantitatem vt in lucem emitteretur: & proinde neque comparare ibi dies ſingulos cum ſingulis annis (non enim fuit corpus ſic in vtero Virginis perfectum ſpatio 46. dierum) ſed comparare dierum ſenarios, ſcil. quadraginta ſex ſenarios cum annis quadraginta ſex, quibus templû erat ædificatum, vt clariſſimè ex textu vtroque loco conſtat: priori enim ſic ſcribit: Quadragies ſexies ſeni fiuot ducenti ſeptuaginta ſex dies: qui numerus dierum (inquit) complet nouem menſes & ſex dies, qui tanquam decem menſes parientibus fœminis imputentur, noo quia omnes ad ſextum diem poſt nonum meoſem perueniunt: ſed quia ipſa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, ſicut à maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas. Vnde

24 Quando in fioe quæſtionis 56. addit: Non ergò abſurde 46. annis dicitur fabricatum eſſe templum, vt quot anoi fuerunt io fabricatiooe templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione, id ſic accipiendum eſt, Tot dies, videlicet ſeni, ſiue per ſenarium repetiti, id eſt: Tot dierum ſenarij ſunt in Dominici corporis perfectione, nimirùm quadraginta ſex, ſicuti 46. annis templum eſt ædificatum: vt claré intelligitur ex immediate præcedentibus, ex quibus illa, Aug. infert.

ARTICVLVS V.

Vtrùm tota natura humana ſit aſſumpta mediantibus partibus?

Præmittit Primò Diuus Thomas, non hîc agi de ordine temporis, quia (inquit) ſimul facta eſt aſſumptio totius, & omnium partium: ſed de ordine naturæ. Deinde monet aliquid dici prius naturâ dupliciter: vno modo ex parte agentis, id eſt, ſecundum ordinem intentiois, vt alij loquuntur; altero modo ex parte materiæ ſecundum ordinem execntionis. Vbi illud quoque obſeruandum eſt, quòd dum duo aliqua ſic ſe habent, vt vnum dicatur altero naturâ prius ordine ioteotionis, & hoc viciſſim ſit naturâ prius ordine executioois, tum illud ex duobus conſueuiſſe, ſimpliciter loquendo, dici prius naturâ, quod eſt ordine intentionis prius; alterum autem dici prius cum aliquo addito, v. g. ſecundum executionem, aut ſecundum viam operationis, ſiue ex parte materiæ: idque ideo, quia intentio ſimpliciter prior eſt operatione, & finis dicitur ſimpliciter naturâ prior medijs. 25

Conclvsio Prima: Secundum ordinem intentionis naturâ prius aſſumpta eſt tota humanitas, quàm ſingulę partes: vnde hunc ordinem ſpectando aſſumpſit Verbû partes mediante naturâ totâ. Ita hîc D. Thomas: Suarez Diſp. 17. ſect. 5. & alij. Et probatur: Quia in intentione operantis ſemper prius eſt completum, quàm incompletum; & totum prius, quàm partes: Intendit igitur naturâ prius Verbum ſibi vnire naturam humanam, quàm ſingulas partes. 26

Confirmatur: Quia primò & per ſe intendit Verbum fieri homo; ergò in intentione fuit prior tota natura, quam ſingulæ partes. Vnde fit, & conſequitur, quod rectè dicatur mediante totâ naturâ ſibi vniuiſſe partes, quia intentio totius tanquam finis fuit ratio aſſumendi partes: aſſumpſit enim corpus & animam propter ordinem quem habent ad conſtituendam naturam humanam: quam per ſe primò intendebat.

Conclvsio Secunda: Sicuti per ſe primo

ſe primò intendebat fieri homo. Concluſio ſecunda: Spectando ordinem executionis, prius naturâ aſſumptæ ſunt partes, quàm humanitas tota. Eſt D. Thomæ hîc ad Primum: Caietani ibidem & ſupra art. 1. Richardi in diſt. 2 art. 2. qu. 1. Gabr. qu. 1. art. 2. Suarez ſupra, & aliorum.

Probatur: Quia partes v. g. corpus & anima prius naturâ ſubſiſtunt, quàm totum; ergò prius naturâ ſecundum executionis ordinem acceperunt ſubſiſtentiam, quàm ipſum totum.

27 Confirmatur: Quia partes præſupponuntur compoſitioni totius; ergò ſecundum executionis ordinem priùs naturâ acceperunt ſubſiſtentiam à Verbo, quàm ipſum totum. Vnde etiam conſequitur, quod hac conſideratione tum anima, tum corpus prius naturâ fuerint vnita Verbo, quàm ipſa inter ſe: quia quocumque inſtanti naturæ intelliguntur ſubſiſtere, debent intelligi ſubſiſtentiâ Verbi ſubſiſtere; intelliguntur autem prius eſſe, quàm totum componant; ergò &c. Ordine tamen intentionis vnio animæ cum corpore dicenda eſt natura prior ipſâ vnione Verbi cum anima, vel cum corpore: quia Verbum intendit naturâ prius ſibi copulare naturam totam, quàm partes, vt dictum eſt; ergò etiam intendit prius naturâ partium ad ſe inuicem coniunctionem, totiuſque conſtitutionem, quàm intenderit ſui coniunctionem cum partibus, licet interim in executione intelligatur prius ſibi vnire partes, quàm ipſam humanitatem, & prius naturâ etiam, quàm intelligatur partes ad ſe inuicem vnire ad totius conſtitutionem.

De ſexto Articulo, Vtrùm ſcilicet natura ſit aſſumpta per gratiam? vide dicta ſuprà qu. 2. art. 10. cum quo materia huius ferè coincidit.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De gratia Chriſti prout quidam ſingularis eſt homo.

In XIII. *Articulos diuiſa.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm in anima Chriſti fuerit aliqua gratia habitualis?

1 Nomine gratiæ habitualis intelligitur aliquod donum creatum ſupernaturale quo anima formaliter redditur iuſta, ſancta, & Deo grata, conſors diuinæ naturæ, vt latius explicuimus 1. 2. q. 110.

Conclvsio Prima: Non implicat perſonam diuinam aſſumere & perſonaliter ſuſtentare naturam humanam non informatam gratiâ habituali. Videtur eſſe contra Henricum Quodlib. 13. quæſt. 5. & Gabr. in 3. diſt. 1. q. 1. & diſt. 2. q. 2. Sed probatur, quia hæc gratia eſt qualitas realiter diſtincta ab anima, & à perſona diuina, & ab vtriuſque inter ſe coniunctione ſiue vnione, vt per ſe ſatis conſtat: neque prærequiritur ea tanquam diſpoſitio neceſſaria ex parte humanitatis, quâ ſcil. reddatur ipſa aſſumptibilis ſiue capax aſſumptionis ad hypoſtaſim diuinam: vt infrà art. vltimo huius Quæſtionis dicemus: & ſatis etiam patet ex eo, quod non tantum Intellectualis, ſed etiam alia quæcumque natura ſubſtantialis per abſolutam potentiam aſſumi poſſit, vt dictum fuit ſuprà; ergò poteſt perſona diuina aſſumere humanitatem abſque gratiâ habituali. Nec obſtat, quod communiter hæc gratia dicatur conſequi ad vnionem hypoſtaticam per modum cuiuſdam proprietatis: Primò, quià poteſt natura produci & conſeruari ſecundum abſolutam potentiam, ſecluſis quibuſcumque eius proprietatibus ac modis à parte rei diſtinctis à natura, vt patet ex Chriſti humanitate, quæ caret perſonalitate propriâ: Deinde, gratia non eſt talis proprietas, quæ neceſſariâ & phyſicâ cauſalitate dimanat ab vnione hypoſtatica, quia perſonalitas vt ſic, non eſt formale principium agendi: vnde actione liberâ quæ Sanctiſſimæ Trinitati toti eſt communis, indita eſt animæ Chriſti habitualis gratia. Quare verò dicatur ſe habere inſtar proprietatis conſequentis vnionem hypoſtaticam infrà explicabitur.

Conclvsio Secunda: Poſito quod perſona diuina aſſumeret humanitatem 2

abſque gratia habituali, eſſet nihilominus illa natura aſſumpta Deo grata, dilecta & ſancta. Eſt contra Palud. in 3. diſt. 13. q. 2. vnde & vult gratiam habitualem illi fuiſſe neceſſariam ad rationem meriti: & contra Marſil. q. 10. Sed concluſionē tenet Suarez Diſp. 18. ſect. 1. & alij plures: Et probatur ſolidiſſimè tum rationibus, tum authoritatibus Scripturæ & S S. Patrum. Primò, quia ſi donum creatum accidentarium vbi animam informat, habeat eam vim, vt reddat illam in conſpectu Dei ſpecioſam & amabilem, gratam & ſanctam, quantò magis poterit hæc animæ conferre Donum illud increatum, Perſona ſcilicet Verbi, quando communicatur animæ non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter ſic vt ex illâ perſona, & animâ corpori vnitâ exurgat vna perſona ſubſtantialiter. Et Confirmatur, quia & donum ipſum in ſe eſt in infinitum dignius, & amabilius: ac ipſa huius vnio cum anima eſt longè intimior & arctior (vtpote quæ ſubſtantialis eſt & nunquam ſolubilis) quàm ſit vnio gratiæ habitualis cum anima iuſti.

3 Confirmatur Secundò, ex Script: Ioan. 10. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundũ, vos dicitis: Quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum:* hîc Chriſtus dicit ſe à Patre ſanctificarũ (haud dubiè per ipſam diuinitatem, nam per Antonomaſiã ſibi hoc tribuit) non tantum ſecundùm quod Filio cõmunicat per æternam generationē Pater naturã diuinã cum ſuis perfectionibus, vti exponit Aug. ſed etiam ſecundùm quod Filius hominis eſt, quatenus ſcilicet ipſa diuinitas mediante hypoſtaticâ vnione ſpecialiſſimo & excellentiſſimo modo communicata eſt naturæ eius humanæ; vnde & dicitur omnis diuinitas in eo habitare corporaliter, ad Coloſſ. cap. 1. Ita verba D. Ioannis intelligunt Athanaſius de Incarnat. Chriſti in principio; Hilarius lib. 7. de Trinitate; & Chryſoſtomus Homilia 60. ergò ipsâ vnione perſonæ diuinæ cum humanitate redditur anima ſancta & Deo accepta. Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Indicatur hîc quod ex vi huius admirabilis conceptionis, quâ Spiritus Sancti operâ hic homo Chriſtus ſecundum carnem naſcitur, quantumcumque præcisè iſta conceptio intelligatur, tamen homo iſte Sanctus ſit.

4 Rurſum illud quod Pſal. 44. dicitur, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, & Danielis 9. *Vngetur Sanctus Sanctorum*, ſic Patres paſſim intelligunt, vt dicant hanc vnctionem, ſiue oleum huius vnctionis, quo Chriſtus homo dicitur vnctus his locis, eſſe ipſam diuinitatem ſiue Verbum per cuius coniunctionem & præſentiam humanitas eius ſit ſignata & ſanctificata. Nazianzenus oratione 36. & 42. dicit, humanitatem delibutam, vnctam, deificatam ipsâ vnione ad Verbum. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 29. dicit Chriſtum vocari vnctum, non ſicut alios Reges aut Sanctos, ſed quia *Verbum caro factum eſt*. Vide eundem lib. de Fide ad Theodoſium; Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 26. ſcribit, tunc vnctam fuiſſe inuiſibili Deo humanam naturam, quando diuinæ eſt iuncta perſonæ. Anſelmus in cap. 1. ad Hebræos: Non antè conceptus eſt, & poſtmodum vnctus, ſed hoc ipſum de Spiritu Sancto, & carne Virginis concipi, Spiritu Sancto vngi fuit. Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 3. Ipſe enim (videlicet Chriſtus) ſe ipſum vnxit, vngens quidem vt Deus ſuâ deitate corpus; vnctus autem vt homo &c. Vide etiam Diuum Hieronymum in Pſal. 132. & Fulgentium de Incarnat. & gratia cap. 10. Per metaphoram verò huius vnctionis nihil aliud ſignificatur, quàm eius qui ſic vngitur, ſanctificatio, vt etiam verba Patrum ſatis indicant: & patet ex communi phraſi ſcripturæ: Exodi cap. 29. & 30. Leuiticorum cap. 10. & 21. & alibi ſæpe in veteri teſtamento 1. Ioannis 2. *Sed vos vnctionem quam accepiſtis ab eo* &c. ergò humanitas hoc ipſo, quo perſonæ diuinæ hypoſtaticè eſt vnita, eſt ipſa Sancta & Deo grata, vtpote ea quæ maximum donum ſupernaturale omninò diuinum & increatum à Deo accepit, quod in primis Diuinæ dilectionis eſt obiectum.

Ex quibus ſequitur ergò primò: gratiam 5
habitualem nõ eſſe ſimpliciter neceſſariam naturæ à Verbo aſſumptæ, vt ipſa ſit Sanctificata & ſancta ac Deo accepta, cum hęc abunde præſtet illi vnio cum Verbo, adeo quidem, vt etiam opera Chriſti hominis ratione huius vnionis hypoſtaticę non tantum ſint grata, & habeant valorem meriti, & ſatisfactionis contra Palud. ſup. ſed etiã ſint infinitè grata & habeant infinitam vim ſatisfaciendi: vt dictum eſt ſuprà q. 1. ar. 2. ac etiam merendi, vt infrà q. 19. dicetur.

Sequitur ſecundò: Iſtam naturam non ſolùm eſſe gratam, & ſanctam, ſed abſolutè fieri non poſſe, quod natura aſſumpta non ſit ſancta & grata, quia hic eſt veluti effectus formalis ipſius vnionis, vt ex dictis poteſt intelligi.

Sed obijcitur primò: Quod aliquis ſit 6
Sanctus, & Deo gratus, eſt effectus formalis gratiæ habitualis; ergò non poteſt attribui gratiæ vnionis: Reſpondetur, generaliter loquendo, eſſe Deo gratum, non eſt

effectus

effectus adæquatus habitualis gratiæ (nam etiam Filius & Spiritus ſanctus quibus Pater communicat diuinitatem, ſunt Deo Patri grati & dilecti) poteſt enim aliud præſtantius donum etiam hoc cauſare; ſed eſſe Deo gratum certo modo, videlicet ratione cuiuſdam participationis naturæ diuinæ ſecundum donum creatum, poteſt dici gratiæ habitualis effectus adæquatus formalis.

7 Obijcitur Secundò: Poteſt perſona diuina aſſumere naturam irrationalem; atqui hæc non eſt capax ſanctitatis; ergo Verbũ ſui coniunctione nõ ſanctificat naturã etiã rationalem aſſumendo ad ſuam perſonam.

Reſponderi poteſt primò Neg. Conſeq. & declaratur inefficacia eius à ſimili: quia non videtur implicare gratiam habitualem cum ſit qualitas abſoluta, poni in ſubiecto materiali, quod ſit incapax ſanctificationis eo modo quo intellectualis natura ſanctificatur & dicitur Sancta: cur enim minus poterit accidens immateriale eſſe in ſubiecto materiali, quàm cauſa materialis poſſit agere in ſubſtantiam immaterialem? & tamen non ideo, quia iſtud per abſolutam Dei potentiam fieri poſſet, ſequitur gratiam habitualem non ſanctificare proprijſſimè animam intellectualem.

Reſp. Secundò ad propoſitionẽ minorẽ, naturam irrationalem etiam ſuo modo capacẽ eſſe ſanctitatis: vnde templa, altaria, veſtes dicuntur ſacra aut ſancta: & proinde dicimus, quòd diuina perſona naturæ irrationali hypoſtaticè vnita, etiam hanc modo quo capax eſt, ſanctificaret, ità vt huiuſmodi naturæ ratione talis ſanctificationis deberetur ſuus peculiaris cultus religioſus; ſed non tribueret ei omnes illos ſanctitatis effectus, quos tribuit naturæ intellectuali: non enim redderet talem naturam acceptam in ordine ad diuinam fruitionem vt hæc illi communicaretur, neque tribueret actionibus eius dignitatem & valorem meriti, vel ſatisfactionis: eò quod natura irrationalis capax non ſit beatificæ viſionis: neque actiones illius (vtpote quæ ſine rationis iudicio & ſine libertate fiunt) poſſint rationem meriti aut ſatisfactionis obtinere.

8 CONCLVSIO Tertia: Humanitas à diuina perſona aſſumpta, ſecluſâ gratiâ habituali, cæteriſque donis creatis, non eſſet pleniſſimè ſanctificata formaliter: neque eſſet omni optimo modo ornata & inſtructa, quo conuenit eam eſſe diſpoſitam tum in ordine ad ſubſiſtendum in diuina perſona, tum in ordine ad actiones ſupernaturales exercendas. Eſt communis Theologorum vt refert Suarez: Et probatur prior pars, quia natura non eſt optimo modo diſpoſita ſecundum exigentiam perſonæ ſuæ, ſi non habeat qualitates; & perfectiones ſibi debitas ratione talis perſonæ: atqui gratia habitualis, & cæteræ virtutes debentur humanæ naturæ quæ in diuina perſona ſubſiſtit ratione dignitatis tantæ perſonæ, debito quodam naturalis ſcilicet proportionis: imò cum anima per vnionem hypoſtaticam non fiat diuina per eſſentiam, decuit quod efficeretur diuina formaliter ſaltem per participationem, quod præſtat illi gratia habitualis, vt hic docet D. Tho. ad Primum. Vnde, & diximus in cõcluſione, quod natura non eſſet pleniſſimè ſanctificata formaliter abſque hac gratia; ergò &c. Probatur pars poſterior, quia vt natura intellectualis ſit optimè diſpoſita ad operationes ſupernaturales, requiritur vt habeat intrinſecam formam quæ ſit principiũ huiuſmodi actionibus connaturale: tunc enim perfectiùs cauſa operatur, quando intrinſecè habet formam conuenientem, quàm ſi tantùm quaſi extrinſecè adiuuetur, aut eleuetur, vt fieri poteſt per gratias actuales tranſeuntes: atqui ſine gratiâ habituali, cæteriſque virtutibus non haberet anima, licet hypoſtaticè vnita Verbo, formam intrinſecam quæ eſſet connaturale principiũ ſupernaturalium actionum eius, quia perſonalitas præcisè & formaliter ſpectata non eſt principium actionis, nec tribuit naturæ vim operandi ſupra naturales ſuas facultates, ita vt anima Chriſti, ſecluſis omnibus donis creatis tã actualibus, quàm habitualibus, non ſit per ſe ſufficiens principium ad producendam actionem in ſubſtantiam ſupernaturalem; quemadmodum neque intellectus eius eſt ſufficiens ad eliciendam viſionem beatificam, abſque lumine gloriæ; ergò &c.

CONCLVSIO Quarta: Quod igitur ad ea quæ de facto ſunt attinet, indubitatè tenendum eſt, animam Chriſti habuiſſe gratiam habitualem. Eſt Diui Thomæ hic, & communis Scholaſticorum in 3. diſt. 13. & omnino certiſſima.

Probatur Primò ex Scripturis: Iſaiæ 9
cap 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus*, &c. quod de ſeptem donis Spiritus Sancti intelligendum eſſe ſignificat D. Bernardus Ser. 16. in Cantica, vbi vnguentum illud, de quo in Pſalmo 132. eſt ſermo, interpretatur eſſe ſeptem Spiritus Sancti dona, quibus Chriſtum replendum fore prædixerat Iſaias. Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*; quod rectè intelligitur de ſanctitate ex omni parte perfecta, non tantum intenſiuè in ſummo quaſi gradu: ſed & ſecundum maximam extenſionem & quaſi multiplicationem: quia videlicet

non tantùm gratiam vnionis, ſed etiam habitualem omnem complectatur, iuxta id quod ſcribit D. Bernardus Homilia 4. ſuper Miſſus eſt: Singulariter ſanctum fuit, quidquid Virgo concepit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem. Ioannis cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis:* & infra *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Vbi plenitudo gratiæ merito intelligitur includere omnem gratiam, quâ eius humanitas potuit perfici, non tantùm ſecundum eſſe perſonale, ſed etiam ſecundum eſſe naturæ; quæ dum non potuit eſſe diuina per eſſentiam, exiſtimandum eſt, accidentaliter ſaltem & participatiuè perfectiſſimo modo eam eſſe factam conſortem ipſius Eſſe diuini, quod fit per gratiam habitualem infuſam in ſummo gradu; ergò &c.

10 Confirmatur hîc ſenſus ex Athanaſio ſer. 2. contra Arrianos vbi ſic ſcribit; Ex eo quod ipſe vt homo eam gratiam Spiritus accepit, factum eſt, vt nos illam ex plenitudine dimanantem acceperimus. Idem docet Cyrillus Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, quæ habetur in Concilio Epheſino cap. 2. vbi docet nomen Chriſti propriè tribui iuſtis, quia Spiritus Sancti gratiâ delibuti ſunt, iuxta illud 1. Ioannis cap. 2. *Sed vos vnctionem habetis à Sancto*; quam vnctionem (inquit) certum eſt fuiſſe in Chriſto. Addit autem ſingulare eſſe Chriſto, non ſolum eſſe Chriſtum, ſed etiam Deum: vnde concludit, Si quis propter hanc ſolam vnctionem dicat Chriſtum appellari Deum & adorari, eâdem ratione dicturum ſe nos eſſe Deos, & adorandos æque ac Chriſtum: quibus apertè ſignificat ſe in Chriſto agnoſcere vnctionem quandam ſpiritualem diſtinctam ab illa, quâ vnctus fuit per vnionem cum Verbo, videlicet ſecundum gratiam creatã nobis communem, licet non in pari gradu. Vide Ambroſium lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 8. Gregorium lib. 29. moralium cap. 3. vel ſecundum aliam diſtinctionem cap. 16. & Aug. lib. 15. de Trinit c. 26.

11 Probatur Secundò ratione, Primò: Quia charitas diffuſa eſt non minus in corde Chriſti, quàm in cordibus fidelium: atqui charitas eſt vel ipſa gratia habitualis, vel certe eam inſeparabiliter habet concomitantem; ergò &c. Secundò: Quia oportet attribuere humanæ naturæ Chriſti optimam diſpoſitionem quæ vel decuit naturam talis perſonæ, vel quæ ipſi cõueniens, & quaſi neceſſaria fuit ad operandum perfectiſſimo modo, maximè cum per operationes ſuas debebat propioquiſſimè attingere Deum, vt hic docet Diuus Thomas videlicet per cognitionem, & amorem, idque ob nobilitatem quam à perſona accipiebat: atqui gratia habitualis eſt eiuſmodi diſpoſitio animæ, vt ad præcedentem Concluſionem demonſtratum eſt; ergò &c. Deinde vt hic argumentatur D. Thomas: quantò receptiuum aliquod eſt propinquius cauſæ influenti, tantò magis participat de influentia ipſius: quandoquidem ergo anima Chriſti intimè ſit vnita Deo, à quo omnis gratiæ influxus procedit, conſequens eſt, ipſam abundantiſſimè diuinæ gratiæ influxum recipere. Accedit denique, quod propter Chriſti habitudinem ad humanum genus, ſecundùm quam eſt Mediator Dei & hominum, conueniebat omnino ipſum habere gratiam etiam in alios redundantẽ, quia de plenitudine eius oportebat nos omnes accipere; ergò &c.

12 Verùm obijcitur: Concluſio hæc videtur contradicere primæ Concluſioni ſuprà poſitæ: dicitur enim hîc, neceſſe eſſe ponere gratiam habitualem in Chriſto; In primâ verò dicitur, perſonam diuinam poſſe aſſumere naturam humanam abſque gratia habituali. Reſpondetur, non eſſe repugnantiam, quia in prima ſolùm docetur non eſſe neceſſariam connexionem gratiæ habitualis cum gratia vnionis in eadem natura aſſumpta ſpectando res in ſe; in hac autem Concluſione dicitur, quod neceſſe ſit ponere ſeu agnoſcere gratiam habitualem in Chriſto de facto, propter videlicet argumenta quæ ſufficienter oſtendunt ita rem ſe de facto habere; nec conuenienter aliter fieri potuiſſe. Vnde D. Th. in Corp. ſic ait: neceſſe eſt ponere gratiã in Chriſto propter tria: quæ tamen tria non deſumuntur ab inſeparabili ſiue neceſſariâ terminorum vel rerum connexione: ſed ex certis congruentijs, ſic vt non abſque incommodo gratia habitualis abeſſet ab humanitate aſſumpta, præſertim quando eo fine eſt aſſumptã, vt homo ille ſit mediator Dei & hominum, de cuius gratiæ plenitudine oporteat nos omnes accipere vt diximus: multò tamen magis neceſſe eſt idipſum ponere propter communem cõſenſum Sanctorum Patrum & Doctorum, qui id docent tanquam indubitatum, & in Scripturis contentum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto fuerint virtutes?

13 QVæſtio proponitur de virtutibus moralibus ſiue voluntatis: nam de intellectualibus, an in Chriſto fuerint, diſputat in ſequen-

in ſequentibus Diuus Thoma: Præterea inquiritur de virtutibus per ſe infuſis, ſiue ſupernaturalibus; non de acquiſitis, vt ex deductione quam facit in Corpore ſatis intelligitur.

CONCLVSIO Prima: In Chriſto fuerunt omnes virtutes. Ita D. Thomas hîc. Quod intellige iuxta ſenſum Articuli, videlicet de omnibus moralibus per ſe infuſis. Cui etiam addenda eſt hæc limitatio ex mente Diui Thomæ, vt intelligatur de omnibus illis quæ non includunt, nec important aliquam imperfectionem ſtatui beatitudinis, aut dignitati talis perſonæ repugnantem: vt patet tum ex ijs quæ hic habet ad Tertium, tum ex ſequentibus Articulis, vbi de eiuſmodi virtutibus in particulari diſputat. Et ſic intellecta Concluſio eſt communis & certa.

16 Probatur itaque Primò: Quia in Chriſto fuit perfectiſſima gratia: atqui ab hac fluunt reliquæ virtutes, quibus animæ vires perficiuntur, perinde atque ab animæ eſſentia promanant potentiæ; ergò &c.

Probatur Secundò: Quia hæ virtutes per ſe infuſæ fuerunt animæ Chriſti neceſſariæ ad hoc vt ſuauiter, & modo connaturali exerceret actus talium virtutum, vt Art. præcedente demonſtratum eſt: nullo igitur modo dubitandum venit, quin Chriſto ſint communicatæ.

17 CONCLVSIO Secunda: In Chriſto non tantùm fuerunt virtutes per ſe infuſæ ſiue ſupernaturales; ſed etiam morales illæ quæ ex genere ſuo ſunt & dicuntur acquiſitæ.

Probatur: Quia etiam hæ virtutes magnam dicunt perfectionem naturæ ad opera conſentanea legi naturali perficienda, admodùm oportunam: neque includunt imperfectionem, quæ vel ſtatui comprehenſoris, vel dignitati vnionis hypoſtaticæ repugnat; ergò non eſt ratio, cur Chriſto denegentur. Confirmatur: Quia conueniens fuit, & omninò decuit omnes animæ eius vires fuiſſe completiſſimo modo perfectas, non tantum in ordine ſupernaturali: ſed etiam in ordine naturali; ergò &c.

18 CONCLVSIO Tertia: Omnes hæ virtutes tum ſupernaturales, quas vocant per ſe infuſas, tum naturales quæ ſtudio acquiri ſolent, inditæ fuerunt animæ Chriſti ſtatim ab initio creationis eius, id eſt, à primo eius inſtanti. Eſt communis DD. Probatur: Quia in primis virtutes iſtæ ſupernaturales omnino debitæ erant huic naturæ ratione hypoſtaticæ vnionis; neque erat abſentia illarum neceſſaria; vel vtilis ad explendam oeconomiam Chriſti, ad quam venerat, quin plurimùm conueniens præſentia: ergò ſtatim ab initio ipſi eas fuiſſe collatas, certò exiſtimandum eſt.

Probatur Secundò: Adam ab initio creationis ſuæ ornatus fuit omni genere virtutum tum naturalium, tum ſupernaturalium, vt communiter Doctores tenent; ergò id multo magis Chriſto Domino eſt attribuendum. Probatur Tertiò: Quia ab initio ſuæ conceptionis habuit Chriſtus omnes animæ vires optimè diſpoſitas quoad intrinſecas formas, tam quoad ornatum, quàm in ordine ad bene operandum, tum ſecundum legem naturalem, tum ſecundum legem ſupernaturalem; atqui animæ vires ſic intrinſecè diſponuntur per virtutes, ergò &c.

Sed obijcitur: Præſtantius eſt habere dictas virtutes à ſe, quàm ab alio; ergò magis ex dignitate Chriſti fuit, quod eas non habuerit ab initio conceptionis ſuæ ſibi infuſas, ſed eas poſtmodum meritis, vel actibus ſibi comparauerit. 19

Reſpondetur, tametſi à primo inſtanti ſuæ conceptionis has omnes virtutes habuerit, tamen eum habuiſſe illas à ſe ipſo: quandoquidem eas ſibi cum Patre & Spiritu Sancto infuderit: nec obſtat, quod non illas acquiſiuerit ſuis actibus, vel præcedentibus meritis, quia in genere boni honeſti, melius eſt eſſe ſemper in termino perfectionis, quàm paulatim illam acquirere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Chriſto fuerit fides?

CONCLVSIO eſt negatiua: Communis & certa. Probatur, quia fides eſt cognitio rei diuinitus reuelatæ non viſæ, vt patet ex illo Apoſtoli ad Hebræos cap. 11. *Fides eſt argumentum non apparentium:* atqui Chriſtus Dominus ab initio ſuæ conceptionis beatus fuit, & clarè Deum, omneſque res diuinas vidit; ergò non fide illas cognouit: hæc enim communis eſt ratio Chriſto cum cæteris beatis, de quibus Auguſtinus lib. 14. de Trinitate cap. 2. generaliter pronuntiat: Neque iam fides erit quâ credantur, quæ non videntur, ſed ſpecies, quâ videantur, quæ credebantur. 20

Notandum hîc eſt, ex occaſione eorum quæ habet Diuus Thomas in reſponſione ad Secundum, duos actus ad fidem concurrere, alterum voluntatis, alterum intellectus, vtrumque ſupernaturalem, vt in 2. 2. latiùs explicuimus. Vnde colligitur duos quoque habitus ad credendum 21

eſſe

eſſe neceſſarios, vnum in voluntate, quo voluntas ſit bene affecta & ſupernaturaliter inclinata ad captiuandum intellectum in obſequium fidei: alterum in intellectu, quo intellectus cognoſcat & credat res fidei, vt in Secunda Secundæ latiùs explicatur. Quamuis itaque in Chriſto non fuerit habitus fidei qui eſt in intellectu, ſignificat tamen D. Th. hîc non caruiſſe illum virtute iſtâ voluntatis, dum reſpondet meritum fidei conſiſtere in hoc, quod homo ex obedientia Dei (quam videlicet defert primæ Veritati reuelanti) aſſentitur illis quæ non videt, obedientiam verò ad Deum pleniſſimè habuiſſe Chriſtum. Ratio autem diuerſitatis eſt, quod hic habitus voluntatis nullam includat imperfectionem, neque eam in habente præſupponat, ſicuti alter habitus intellectus: ſed tantummodo bene diſponat & præparat affectum ad illam honeſtatem quæ eſt in credendo, & ad obediendum fidei: qualem animi præparationem in Chriſto fuiſſe, non eſt cur dubitetur, ita vt ſi in eo ſtatu vbi fide & intellectus captiuatione opus ſit, à Deo fuiſſet conſtitutus, paratiſſimus foret ad intellectum ſuum in obſequium fidei captiuandum.

22 Obijcitur: Iſaiæ cap. 11. dicitur de Chriſto: *Et fides cinctorium renum eius*; ergò &c. Reſpondetur: Non eſſe ibi ſermonem de Fide prout eſt virtus Theologica, quæ dicit credulitatem ſiue aſſenſum intellectus circa res diuinitùs reuelatas; ſed de fidelitate ſiue conſtantiâ in promiſſis ſeruandis, vt exponunt Hieron. & Cyrillus: vnde & Septuaginta vertunt Veritatem, non Fidem. Alij quidam exiſtimant abſtractum poſitum pro concreto, vt ſenſus ſit, quod fideles erunt cinctoriũ renum eius, id eſt, vndequaque illum cingent & adhærebunt, quemadmodum cingulum adhæret lumbis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Chriſto fuerit ſpes?

23 OBſeruandum hîc Primò: Complures actus poſſe verſari circa Deum vt eſt bonum noſtrum nobis amore concupiſcentiæ amabile: actus autem iſti ſunt amor, deſiderium, ſpes, & delectatio, ſiue gaudium: ex quibus amor quidem fertur in obiectum ſecundum ſe ſiue abſens, ſiue præſens ſit: ex amore autem naſcitur deſiderium ſi obiectum ſit abſens, & ſpes in caſu quo bonum illud abſens ſit arduum, vt eſt hîc in propoſito; ſi verò obiectũ ſit præſens & poſſeſſum, tunc ex poſſeſſione rei amatæ ſequitur delectatio, ſiue gaudium. Et omnes hi actus in ordine ad obiectum ſupernaturalis beatitudinis ſunt ſupernaturales, & quidem ſpectantes ad Theologicam virtutem, cum Deum ipſum immediatè attingant.

24 Obſeruandum Secundò, ex dictis actibus, ſpem & deſiderium non remanere in patria in beatis propter imperfectionem quam important, quatenus requirunt abſentiam ſiue carentiam boni amati: remanere nihilominus amorem, quo ſibi amant & volunt tale bonum: vnde in illis naſcuntur gaudium & delectatio de obiecto amato iam præſente & poſſeſſo: quia hi actus non habent coniunctam imperfectionem. Ex quo & hoc conſequens videtur, in patria quoque remanere habitum aliquem, à quo hi actus eliciantur, qui ſit internum principium & intrinſeca forma naturalem potentiam benè afficiens ac eleuans, vt eiuſmodi actibus ſit proportionata, eoſque perfectè, & modo connaturali valeat elicere & exercere: non enim minus in patria, quã in via ſpectant habitus ſupernaturales ad perfectum & connaturalem modum operandi actus ſupernaturales, quibus alioquin facultates ipſius naturæ ex ſe ſunt improportionatæ.

25 Obſeruandum Tertiò: Veriſimile admodum eſſe omnes actus prædictos ab vno eodemque habitu procedere, qui videlicet voluntatem inclinat & mouet in Deum tanquam ſupremum bonum noſtrum ſupernaturale: fruſtra enim multiplicantur principia & habitus ſine neceſſitate. Quare cum nulla ratio cogat plures habitus ad prædictos actus exercendos ponere, conuenienter ad vnum & eundem referuntur: quod autem ratio non cogat, declaratur, quia facilè vnuſquiſque apprehendit habitum illum qui tendit in Deum tanquam ſupremum bonum hominis, quo ſolo beatificandus ſit, inclinare voluntatem in primis ſimpliciter in eius amorem, quo ſibi hoc bonum velit, abſtrahendo vtrum abſens ſit, an præſens. Rurſus eundem inclinare quoque voluntatem ad illud deſiderandum, & ſibi ſperandum caſu quo abſit, & proponatur tanquam adeptu poſſibile. Tertiò, etiam facilè intelligitur, quod dum habitus iſte facit amare bonum, conſequenter etiam cauſet gaudium, ſiue delectationem quando bonum poſſidetur, vtpote quæ ex bono amato & poſſeſſo naſcuntur: quin imò ab hoc eodem habitu rectè videtur ſtatui in beatis proficiſci ſupernaturale deſiderium, quo appetunt corpus ſuum effici huius boni particeps modo quo eius eſt capax, quia

pax, quia inclinat hominem ad ſperandum ſibi bonum illud ſecundùm omnem modum quo poteſt ab eo perfici, exindeque bene ſibi eſſe: poteſt autem etiam corpus eius exinde bene habere: vt conſtat ex dotibus corporis glorioſi. His præmiſſis ſit

26 Conclvsio Prima: In Chriſto Domino non fuit actus ſpei ſimpliciter dictus. Eſt D. Tho. hîc, & omnino certa. Probatur quia ſpes verſatur circa Deũ tanquam ſupremũ bonum quod nondum poſſidemus, ſed ad quod poſſidendum tendimus; atqui Chriſtus Dominus ab initio conceptionis ſuæ per beatificam viſionem plenè poſſidet bonum illud, ergò nunquam habuit actum ſpei abſolutè dictum. Confirmatur, quia ſicut motus requirit vt mobile nõ ſit in termino, ita ſpes, quæ veluti motus quidam eſt animi in bonum conſequendum, requirit in ſperante carentiam rei ſperatæ.

27 Conclvsio Secunda: Fuit tamen in Chriſto actus quo ſperabat immortalitatem & gloriam corporis. Eſt quoque Diui Thom. hîc, & communis, ac certa. Probatur: ex quo enim Chriſtus non habuit ab initio iſtas perfectiones corporis ſui quas poterat & natus erat habere, dubium non eſt, quin ſperauerat illas ſuo tempore conſequi & poſſidere.

28 Conclvsio Tertia: Actus hîc non fuit actus Spei, qui ſimpliciter & abſolutè denominatur ſpes vel actus ſpei, quãdo de ſpe Theologica agimus: poteſt tamen dici actus ſpei ſecundum quid, ſiue actus ſecundarius ſpei. Prior pars eſt Diui Thomę hîc in Reſpon. ad Secundum. Probatur, quia ſpes quæ virtus eſt Theologica verſatur primo & per ſe circa Deum tanquam bonum ab ipſo ſperante obtinendum, cuius amplexu beatus efficiatur, qui amplexus fit per beatificam viſionem: ſpes autem gloriæ corporis ſolius non tendit in apprehenſionem huius boni, ſed potius præſupponit; & tendit tantùm in quandam extenſionẽ illius ad corpus, videlicet non propriè per apprehenſionem eius, ſed per quandam redundantiam; ergò hic actus nõ debet ſimpliciter dici ſpes Theologica. Quia tamen gloria & dotes corporis glorioſi ab eodem principali bono, videlicet Deo per viſionem comprehenſo & poſſeſſo, promanant, & ſunt quædam quaſi pars tanti boni, hinc actus quo ſperantur, poteſt vocari actus ſpei ſecundum quid, vel potius actus ſecundarius ſpei. Et ſic patet poſterior concluſionis pars. Confirmatur, quia licet habitus ſpei vt ſic, moueat primariò in Deum appetendum tanquam bonum animæ communicandum per viſionem, eamque beatificandam, tamen poteſt dici ſecundario mouere etiam in Deum appetendum quatenus per redundantiam ex animâ, bene quoque afficitur inde ipſum corpus, vt iam diximus. Vnde neque laborandum venit, vt iouestigetur ad quam virtutem pertineat actus, quo animæ beatæ expectant corporis gloriam; rectè enim ab habitu ſpei dicitur procedere, vt ex dictis facilè poteſt intelligi. Ex quibus ſatis quoque conſtat, quarè quantùuis ab habitu illo procedat, nihilominus non vocetur abſolutè ſpes Theologica. Caietanus quidem exiſtimat ex alio capite, actum illum non ſimpliciter ſpem poſſe vocari, quia ſcilicet præſuppoſitâ iam beatitudine ſecundum animam, non videtur arduum expectare gloriam corporis: ſed ratio hæc parum videtur conuincere: eo quod obiectum per ſe abſolutè ſit arduum, puta quod corpus emortuum reſurget, & immortalitate, multiſque donis excellentiſſimis ſupra corporis naturalem conditionem dotabitur. Neque refert, quod id ſperare nun ſit animæ beatæ difficile: hoc enim non prouenit ex facilitate obiecti, ſed ex conditione & ſtatu expectantis. Quod autem hîc D. Thom. ad Secundum dicit, ſpem ſecundum quod eſt virtus Theologica, non reſpicere beatitudinem corporis, ſed beatitudinem animæ, id ſic accipe, non reſpicere tanquam primum & principale obiectum: quod ex antecedentibus facilè intelligitur, præmittit enim quod beatitudo corporis non pertinet ad beatitudinem ſicut in quo principaliter beatitudo conſiſtat, ſed per quandam redundantiam.

Conclvsio Quarta: Probabiliter in Chriſto Domino ponitur idem habitus ſecundum ſubſtantiam, qui in nobis dicitur habitus ſpei: quamuis vt in illo eſt, non ſimpliciter ſit denominandus hoc nomine. Ita tenet Suarez in Tertiã p. Tomo 1. in Commentario huius articuli: Tannerus Tom. 3. Diſp. 2. q. 1. Dub. 2. & Tomo 4. Diſp. 1. q. 5. dub. 1. & fauet quoque D. Thom. vt mox oſtendemus. Probatur, quia habitus iſte in ſuâ ratione non inuoluit imperfectionem: ſed ſolus ille actus eius ob quem nobis primario in viâ infunditur, quo videlicet mouemur in Deum tanquam in bonum abſens nobis ſuo tempore per claram viſionem communicandum ad fruitionem: ipſe verò habitus ſecundum ſe inclinat ſimpliciter in Deum appetendum, & tanquam bonum noſtrum amandum, ſiue appetitu deſiderij, caſu quo abeſt, ſiue appetitu complacentiæ, caſu quo præſens habeatur, vt ex prędictis patet; ergò non eſt ratio cur hic habitus Chriſto Domino denegetur. 29

Proba-

Probatur Conſequentia ex D. Thoma qui infrà art. 9. ad Primum dicit, Quidquid perfectionis in fide & ſpe eſt, id in Chriſto eſſe multò perfectius: quod & docet in 3. diſt. 13. q. 1. ar. 2. quæſtiunc. 1. ad 5. & cum eo Bonauent. ibid. art. 1. q. 3. ad ; ergò licet principalior actus ſpei non ſit in Chriſto propter imperfectionem quam importat, tamen habitus ſecundum ſubſtantiam ſuam, non eſt ab eò remouendus. Confirmatur, quia hic habitus reſpicit plures & diuerſos actus, quorum pleriq; non important imperfectionem neq; in ſeipſis, neq; in eo qui illos exercet, vt ex modò dictis conſtat: qui actus etiam locum habent in Chriſto extra controuerſiam; ergò vt ab eo eliciantur modo perfecto, & ipſis connaturali, oportet in ipſo admittere prædictum habitum tanquam principium intrinſecum eiuſdem ordinis cum illis videlicet ſupernaturalis, à quo proficiſcantur.

30 Addidi in Concluſione: Quod tamē habitus hic vt eſt in Chriſto, non debeat ſimpliciter denominari habitus Spei, ſiue Spes: quia denominatur tātū hoc nomine, in quantum verſatur circa obiectum ſuum cum certa circumſtātia conſideratū quatenus videl. abeſt, ſiue plenè poſſeſſum non eſt, quod locum non habuit in Chriſto. Cur verò cōmuniter habitus iſte ſoleat denominari hoc nomine Spei, ratio eſt: Quia communiter cōſideratur ſecundum actum difficiliorem, & ad quem exercendum, primo & principaliter nobis viatoribus infunditur, qui eſt ſperare aliquando frui Deo per claram viſionem, quem modò tātum per ſpeculū in ęnigmate cognoſcimus & tenemus: & hinc ex habitudine ad iſtum actū apud Theologos nomen ſortitus eſt.

DVBIVM VNICVM.

An in Chriſto fuerit virtus pænitentia?

31 NOtandū eſt, Diuerſos diuerſimodè de pænitētiæ ratione loqui: cuius rei accuratior explicatio nō huius eſt loci. Vnde Reſpondeo breuiter, ſi virtus pænitentiæ ponatur habitus diſtinctus ab omnibus alijs virtutibus, cuius actus vnicus & adæquatus ſit ſatisfacere Deo pro iniuriâ illi illatâ ab ipſo pænitente, vt quidam volunt, ſic conſequentèr dicendum venit, in Chriſto non fuiſſe pænitentiæ virtutem: ſi verò habitus pænitentiæ, licet hoc nomine denominetur ex ordine ad actum deteſtandi & expiandi peccatum proprium, non tamen limitetur ex ratione ſua ad hunc actum ſolum, ſed reſpiciat, & habere poſſit etiam alios actus qui in operante non ſupponunt peccatum, neque potentiam peccandi, vt ſunt ſimplex odium peccati ad vitandam iniuriam Dei, item propoſitum vitandi peccatum omne. Rurſum voluntas ſeu bonus affectus ad recompenſationem iniuriæ Deo illatæ, à quocumque illata fuerit, hoc pacto admittendum erit fuiſſe in Chriſto pænitentiæ virtutem ſecundum rem ipſam, tametſi vt in illo eſt, non debeat hoc nomine appellari, quia in ipſo non habuit reſpectum ad actum deteſtandi & expiandi peccatum proprium, à quo tamen reſpectu hoc nomen impoſitum eſt tali virtuti.

ARTIC. V. ET VI.

Vtrùm in Chriſto fuerint dona: &, Vtrùm in Chriſto fuerit donum timoris?

NOtandum eſt ſeptē enumerari dona Spiritus Sancti, Sapientiam videlicet, Intellectum, Conſilium, Fortitudinem, Scientiam, Pietatem, & Timorem Domini: qui numerus colligitur ex Iſaia cap. 55. vbi dicitur, *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ*, &c. Sunt autem hæc Spiritus dona, Spiritualia quędam ornamenta quibus iuſti creduntur dotari, & exiſtimantur probabiliter habitus eſſe infuſi ſimul cum charitate ad eum finem, vt homo illis inſtructus, facilè prompteque obſequatur motibus Spiritus Sancti. His præmiſſis ſit 32

Conclvsio Vnica: In Chriſto Domino fuerunt Dona Spiritus Sancti enumerata, etiam Donum Timoris. Eſt D. Th. hiſce duobus Artic. Probatur Primò: Quia ex communi Sanctorum interpretatione, de Chriſto dictū eſt per Iſaiam *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus*, &c. vbi hæc ſeptem enumerantur; ergò Chriſto attribuenda ſunt. Probatur Secundò ratione: Quia hæc dona creduntur eſſe habitus quidam, quibus rectè diſponitur homo, vt ſit facilè mobilis peculiari Spiritus S. actione & motione: neque imperfectionem important Chriſto repugnantem; ergò ipſi attribuenda ſunt. Confirmatur: Quia anima Chriſti accommodatiſſima fuit vt promptè obſequeretur omni Spiritus Sancti inoperationi; ergò &c. 33

Quod autem ad Timorem attinet, explicat D. Th. in Corp: art. 6. cum in Chriſto fuiſſe, non quidem ſecūdum quod reſpicit 34

malum

malum ſeparationis à Deo per culpam, aut malum punitionis pro culpa, quaſi Chriſtus timuerit vel per peccatum à charitate Dei ſeparari, vel pro peccato puniri; ſed ſecundum quod reſpicit diuinæ majeſtatis eminentiâ, prout videlicet anima Chriſti quodâ affectu & ſubmiſſione reuerentiali à Spiritu Sancto in Deum mouebatur: quâ ratione Lucæ 7. dicitur: *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum:* vbi timor non tam fugam mali, quàm reuerentialem affectum erga Chriſtum videtur ſignificare, quem concipiebant ob mirabilia eius opera, quæ videbant ab illo patrari: quemadmodum & Lucæ 5. dicitur: *Repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.*

35 Cæterùm, ſi quis velit declarare perfectiorem rationem Timoris in Chriſto, poteſt addere, quod tum in ipſo, tum in beatis alijs ſit coniunctus etiam affectus quidam cum illo quem modò explicuimus, qui ſe habeat per modum fugæ, quo videlicet creatura in conſpectu tantæ Dei majeſtatis, ita ſeſe gerat vt non audeat quaſi propiùs ad illam accedere; ſiue quo reformidet inueſtigare, aut velle comprehendere mirabilia eius: huiuſmodi enim timorem in Sanctis agnoſcit Dionyſius de Cæleſti hierarchia cap.15. vbi exponens viſionem Iſaiæ dicit, talibus velationibus ſignificari ſacram illam ac plenam horroris venerationem, quâ Sancti celſiorem myſteriorum indaginem perhorreſcunt: atque ita reperitur hic etiam quædam fuga mali, non quidem imminentis, ſiue quod futurum formidetur (vt in timore communiter accidere ſolet) ſed fuga illius quod ſecundum ſe indecens eſt,& diuinę excellẽtię dignitati contrariũ.

ARTIC. VII. & VIII.

Vtrùm in Chriſto fuerint gratiæ gratis datæ?

&.

Vtrùm in Chriſto fuerit Prophetia?

36 Notandum eſt, Gratias gratis datas dici certas operationes, ſiue actus qui ſupra naturam ſunt, & diuina virtute fiunt ad Fidei propagationem aut confirmationem, ſiue ad ædificationem Eccleſiæ: ideoque potiſſimùm conferuntur in aliorum vtilitatem.

Colligitur euidenter ex Apoſtolo 1. ad Corinth. c. 12. vbi euiuſmodi gratias nouem recenſet his verbis:*Vnicuiq; autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ, alij autem ſermo Scientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum: Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* Sit nunc

Conclvsio Vnica: Omnes hæ gratiæ in Chriſto fuerunt perfectiſſimo modo. Ita docet D.Th. his articulis,& cõmun. Scholaſt.cum Magiſt.in 3.diſt.13. 37

Probatur Primò ex cap. 1. Ioannis: vbi Chriſtus dicitur, *Plenus gratiâ, & veritate:* ad quam plenitudinem hæ quoque gratiæ pertinent; imò & ratione Vnionis hypoſtaticæ debitæ fuerunt, vt indicat Diuus Chryſoſtomus Homil. 11. in Ioannem. Idem ſignificat Auguſt. epiſtola 57. vbi ſcribit:quod ſicut in capite ſunt omnes ſenſus, ita in Chriſto fuerit omnis gratia.

Probatur Secundò ratione: Quia à Chriſto vt ab vniuerſali diſpenſatore communicantur iſtæ gratiæ alijs; ergò primò & principaliter debent in ipſo agnoſci.

Probatur Antecedens ex Apoſtolo ad Epheſios cap. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti:* Præterea Chriſtus fuit vniuerſalis Doctor & Euangelij annuntiator: gratiæ autem iſtæ ſunt conuenientiſſima media, imò quodammodo neceſſaria primo & perfecto Euangelico Doctori ad proponendum ab initio, & perſuadendum Fidei myſteria; ergò &c.

Probatur Tertiò, diſcurrendo breuiter per ſingula: ac in primis de ſermone Sapientiæ & Scientiæ, quia hæ gratiæ nihil aliud eſſe videntur, quam facilitas quædam ex peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia ad explicandas & perſuadendas res Fidei, tum per cauſas ſuperiores, tum per inferiores,tum etiam per effectus & exempla, ac ſimilibus modis: huiuſmodi autem gratias fuiſſe in Chriſto patet ex Scripturis, Lucæ 4. *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius:* & Ioannis 6. *Ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes:* item Ioannis cap. 7. miniſtri à Phariſæis miſſi ad Chriſtum apprehendendum, inde ſine effectu reuerſi dicunt: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicuti hic homo.* 38

Quod ad Fidem attinet, non accipitur illa hoc loco vt Fidem Theologicam ſignificat, ſed vt refertur vel ad operationem, & ſic ad poteſtatem miraculorum pertinere videtur, quo ſenſu ſignificat fiducialem quandam perſuaſionem ex Spiritus Sancti ſuggeſtione, non defuturam Dei aſſiſtentiam ad opera ſupra naturam facienda 39

facienda, vbi, & quando diuinus honor & Fidei confirmatio id exegerint: cuiuſmodi gratia haud dubiè in Chriſto fuit: nam ex parte intellectus erat in ipſo clara, & indubitata notitia, non defuturum ſpeciale Dei auxilium humanitati ſuæ ad miracula tempore & loco facienda, cui ex parte voluntatis coniuncta erat perfectiſſima fiducia: vt ex eius verbis Ioannis 11. colligitur, *Gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis*: vel poteſt hæc Fides referri ad cognitionem, vt ſignificet ſingularem aſſenſus firmitatem & clariorem rerum Fidei intelligentiam, quam Spiritus Sanc. præbet Doctori Euangelico, vt poſſit conuenienter alios docere & Fidei myſteria accommodatè proponere, vt etiam à rudioribus quæant vtcumque percipi: quam gratiam Chriſtũ quoque habuiſſe ex Euangelijs ſatis conſtat, modò tamen ab illa abſtrahatur obſcuritas Fidei Theologicę, quæ in alijs Doctoribus cum hàc eſt coniuncta, & ſumatur tantùm firmitas aſſenſus cum accommodatâ intelligẽtiâ ad illuminandos alios, & cum omni eo quod perfectionis eſt.

40 Gratiam ſanitatum in Chriſto fuiſſe teſtantur vbique Euangeliſtæ: Math. 4. Lucę 6. & alibi. Operatio virtutum denotat aliorum mirabilium operationem: quam ſimiliter in Chriſto fuiſſe, ſatis euidens eſt ex mortuorum ſuſcitatione. Diſcretio ſpirituum vel ſignificat vim cognoſcendi & manifeſtandi interiores mentis cogitationes, aut vim diſcernendi & diiudicandi inter motiones boni & mali ſpiritus: vtrâq; autem virtute pollebat Chriſtus, vnde Ioannis 12. de eo dicitur, *Opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Donum linguarum comprehendit diuerſarum linguarum cognitionem cum facultate expeditè ſuæ eloquendi: vtrumque in Chriſto fuiſſe ex dictis vtcumq; intelligitur: quamuis non ita certum ſit, vtrùm quandoque diuerſis linguis fuerit vſus: veriſimile eſt eum communiter vnâ linguâ fuiſſe vſum cum non prædicauerit niſi Iudæis ad quos miſſus erat: an autem aliquando in priuatis colloquijs ex aliqua occaſione alijs linguis fuerit locutus, non ita conſtat. Interpretatio ſermonum videtur donũ eſſe quoddam Spiritus Sancti, quo penetrantur & explicantur abditi Scripturæ Sacræ ſenſus; quod in Chriſto fuiſſe ſatis probatur ex ſermone quẽ habuit cum Diſcipulis euntibus in Emaus Lucę 24. vel poteſt etiam intelligi nomine interpretationis ſermonũ, ſpecialis Spiritus Sancti aſſiſtentia ad trãsferendum ſine errore diuina oracula ex vna lingua in alteram: quam gratiam Chriſto non defuiſſe ex dictis poteſt colligi.

41 Sed difficultas ſpecialis eſt de dono prophetiæ. Toſtatus in cap. 11. Num. qu. 64. negat hoc donum Chriſto competijſſe: quia viſio beatifica excludat propheticam cognitionem propter obſcuritatem, quam exiſtimat in eius ratione includi: confirmat ex Apoſtolo 1. ad Corinthios 13. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*: & antè: *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt.*

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, Chriſtum fuiſſe verè Prophetam, & veram ac propriam habuiſſe gratiam prophetiæ. Patet ex cap. 18. Deuter. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, Suſcitabit tibi Dominus*, quem locum de Chriſto interpretati ſunt Pet. Act. 3. & Stephan. ibid. cap. 7. Lucæ 4. dicit Dominus de ſe ipſo, *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*, & Luc. 13. prædicens ſe Hieroſolymis moriturum ſic ait, *Non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.*

Probatur ratione: Quia Propheta dicitur qui prænunciat futura, ſiue non pręſentia vel ſecondum tempus, vel ſecundũ locum: vnde D. Th. hîc art. 8. Prophetam interpretatur, quaſi procul ſantem aut videntem; ſed Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem tum beatificam, tum infuſam prænoſcebat & annuntiabat ea quæ ab ipſo tanquã viatore longè diſtabant; ergò verè erat Propheta. Confirmatur ex Aug. li. 16. contra Fauſtũ cap. 18. vbi ſignificat, quod Propheta non ſit aliud quam homo vltra coniecturas humanas prænuntians futura. Neque impedit quod Chriſtus ea quæ pręđixit, clarè cognouerit, quia licet prophetia interdum obſcura ſit, tamen obſcuritas de eius non eſt ratione: ſæpius enim Prophetis tribuitur vt videant ea quæ prædicunt: vnde & Videntes in Scriptura appellantur, hinc & Baſil. pręfatione in Iſaiam ſcribit, Prophetas videre futurum tempus tanquam inſtans; abſtrahit ergò prophetia, tum à claritate, tum ab obſcuritate, ſic vt neutrum in ſua ratione includat, ſed ſufficit quod ſit cognitio eorum quæ longè diſtant à ſenſibus hominum & ab ordinaria notitia viatorum.

42 Ad hoc verò, quod ex Apoſtolo ad Corinthios allegatur, reſponderi poteſt prophetias in patria eſſe euacuandas, quoad neceſſitatem, & vſum: quemadmodum & cætera dona gratiarum gratis datarum: nec inde ſequi Chriſtum prophetam non fuiſſe: quamuis enim fuerit comprehenſor ab initio conceptionis, tamen fuit etiam ſimul viator viatoribus euangelizans, & futura prænuntians ad ipſorum vtilitatem: vnde

tem: Vnde & prophetiæ vſus illi poruit conuenire. Per hoc verò quod ibidem ait Apoſtolus, *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, ſignificatur tantum notitiam noſtram hic etiam propheticam communitet eſſe imperfectam, imperfectionem verò illam in patria tollendam: non autem ſignificatur ſimpliciter eſſe de ratione prophetiæ, vt tantum ex parte ſit, ſiue vt obſcura, & imperfecta ſit.

43 Quæret aliquis, An hæc prophetica cognitio Chriſti fuerit diſtincta à cognitione ſupernaturali, quam habuit ſiue per viſionem beatificam, ſiue per ſcientiam infuſam? Reſpondetur non fuiſſe diſtinctam: quia poteſt prophetica cognitio rectè accommodari tum ſcientiæ infuſæ, tum ſcientiæ viſionis, quatenus ſtatui viatoris hæc eſt coniuncta: quia D. Th. tantum requitit in vero propheta, vt ſupernaturaliter cognoſcat, & prænuntiet ea quæ tum ab ipſo ſecundum ſtatum in quo verſatur, tum ab alijs longius diſtant: quod potuit Chriſtus ratione vtriuſq; ſcientiæ preſtare. Obſeruandũ deniq; eſt, prædictas gratias permanenter ad modum habitus Chriſto adfuiſſe, ita vt pro arbitrio vbicumque, & quandocumqne vellet, illis vteretur. Colligitur ex eo quod Eſaias dicat, quòd *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*: quies enim iſta, ſicut & manſio Spiritus, de qua Ioannis cap. 1. dicitur, *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem*, &c. ſignificant ſtabiliter Spiritum Sanctum Chriſti humanitati ad omnia eius opera adſtitiſſe. Vide Ambroſium lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7. & Gregorium ſecundo moral. cap. 27. Superauit itaque Chriſtus in eo alios ſanctos, quibus Deus non ſolùm dona gratiarum diuerſis diuerſa diſtribuit, ſed etiam illa quæ quibuſdam dat, ita dat vt neque ſemper, neque vbique ijs vti poſſint.

ART. IX. X. XI. XII.

Vtrùm in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ?
Vtrùm plenitudo gratiæ ſit propria Chriſti?
Vtrùm Chriſti gratia ſit infinita? &,
Vtrùm gratia Chriſti potuerit augeri?

44. CONCLVSIO Prima: In Chriſto Domino fuit abſoluta plenitudo gratiæ, eaque Chriſto eſt propria. Ita Diuus Thomas art. 9. & 10. & communiter DD.

Probatur prior pars ex cap. 1. Ioannis, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*: & infrà, *de plenitudine eius, nos omnes accepimus*. Explicat autem D. Th. hoc modo: Chriſtus enim fuit plenus gratiâ: primò quoad quantitatem gratiæ intenſiuam: habuit enim gratiam in ſummo gradu iuxta perfectiſſimum modum, quo diuina ſapientia illam creaturæ communicare conſtituit. Quod duplici ratione declarat: vna deſumitur ab intima coniunctione animæ Chriſti cum diuinitate, quæ eſt gratiæ omnis principiũ. exinde enim merito colligimus, quod eam pleniſſimè receperit ſecundum perfectiſſimum modum, quo vlli creaturæ erat conferenda: quo enim receptiuum aliquod coniunctius eſt cauſæ influenti, tantò vberiùs influxum eius percipit. Altera ſumitur ex fine; Quia Chriſtus recipiebat gratiam vt ab ipſo in alios deriuaretur; ergò conueniebat in ipſo gratiæ plenitudinem reſidere. Secundò fuit gratiâ plenus quoad quantitatem gratię extenſiuam: quia habuit eam ad omnem operationem & gratię effectum, prout decebat vniuerſale Principium gratificationis in humano genere. Ex his poſterior altera Concluſionis pars, quod videlicet huiuſmodi plenitudo ſit Chriſto propria: quia neque hominum, neque Angelorum quiſquam accepit gratiam in perfectiſſimo illo gradu, quo ex diuina diſpenſatione erat creaturę communicanda: neque rurſum accepit quiſquam gratiã tanquam vniuerſale principium ad omnem gratię effectum, & operationem; ergò &c.

CONCLVSIO Secunda: Fuit tamen in alijs Sanctis etiam quædam gratiæ plenitudo, ſed ſecundum quid. Eſt D. Th. art. 10. Patet ex Scripturis: Lucæ 1. ſalutatur ab Angelo Beata Virgo *Gratiâ plenâ*: & in Actis dicitur Stephanus *Plenus Spiritu Sancto*: ad Epheſ. cap. 3. *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Explicat autem D. Thom. hanc plenitudinem, vt Sancti dicantur pleni gratiâ, quia habuerunt eam plenè vſque ad terminum intenſionis à Deo ipſis præfixum, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: Deinde quia habuerunt gratiam ad omnia quæ pertinebant ad ipſorum munus vel ſtatum: ſed quia ipſis neque ſupremus gratiæ gradus fuit præordinatus, neque ipſi munus vniuerſalis principij obierunt (quę Chriſto ſimpliciter conueniunt) idcirco hæc plenitudo ipſorum, tantùm eſt plenitudo ſecundum quid, videlicet ſecundum reſpectum ad certam perſo- 45

nam. Quod tamen ad modum loquendi Scripturæ attinet, quando Sanctos dicit plenos gratiâ vel Spiritu Sancto, non videtur per hoc aliud ſignificare, quā quandam gratiæ in ipſis exuberantem abundantiam, ſic vt foras quaſi erumpat & omnibus ſeſe manifeſtet: quod eſt effectus quidā plenitudinis generaliter loquendo.

46 Conclvsio Tertia: Gratia vnionis in Chriſto eſt ſimpliciter infinita, ſi ſumatur pro Verbi perſonalitate, quæ tanquam donum gratuitum per Incarnationis myſterium naturæ humanæ fuit communicata. Ita obiter D. Thomas hic ar. 11. ſed quia de hac gratia non eſt hic priucipaliter ſermo: Sit

47 Conclvsio Quarta: Gratia habitualis in Chriſto eſt ſimpliciter finita & in entitate eſſentiali, & in intenſione. Eſt D. Th. art. 11. Caiet. Medinæ & aliorum ſectatorum Thomæ ibidem: Bonauent. in 3. diſt. 13, art. 1. qu. 2. Richardi ibidem. Palud. qu. 1. art. 2. Gabrielis qu. 1. art. 2. Alberti art. 7. Scoti, Durandi eadem diſt. 13. q. 1. & plurium aliorum. Item Suarez tom. 1. in 3. p. Diſp. 22. ſect. 1. Vaſquez Diſp. 46. c. 2. & 3. Contra Ioannem Maiorem in 3. Diſt. 13. quæſt. 3. qui exiſtimat gratiam habitualem Chriſti etiam entitatiuè eſſe infinitam, quod probabile quoque eſſe admittit Almain. ibidem quæſt. 1. Sed probatur Concluſio Primò generali ratione: quia creaturæ repugnat quod ſit actu infinita, ſiue ſecundum eſſentiam, ſiue ſecundum intenſionem; ergò &c. Probatur Secundo: Quia ſi gratia hæc Chriſti eſſet actu infinita, poſſet quoque lumen gloriæ eſſe actu infinitum, imò actu tale foret in Chriſto: quia lumen gloriæ proportionabiliter reſpondet gratiæ: ex lumine autem gloriæ infinitio ſequitur infinita viſio beatifica circa totum obiectum primarium illius, quod eſt ipſe Deus, & circa omnia quæ in illo continentur & videri poſſunt; atqui talis viſio eſſet diuinæ majeſtatis comprehenſio, vnde ſi admittatur gratia infinita, & quod inde conſequitur lumen gloriæ infinitum, conſequens eſt, animam Chriſti cognoſcere ac videre Deum, quantum ipſe cognoſcibilis eſt, & proinde comprehendere Deum, quod nullo modo dicendum eſt.

48 Obijcitur: Si gratia Chriſti ſit finita, poteſt ergò gratia alterius hominis in tantum creſcere, vt perueniat ad æqualitatem cum gratiâ Chriſti: atqui hoc videtur inconueniens; ergò &c. Reſpondet Diuus Thomas art. 11. ad 3. Negando Aſſump. & rationem reddit, quia quantitas gratiæ Chriſti, & quantitas gratiæ alterius hominis non ſunt eiuſdem rationis, eò quòd gratia alterius comparetur ad gratiam Chriſti, ſicut quædam virtus particularis ad vniuerſalem. Hoc tamen non ſic intelligas, quaſi gratia habitualis Chriſti & gratia alterius hominis ſint qualitates genere, vel ſpecie ſecundum phyſicam rationem diſtinctæ: ſed quod morali quodam modo diſtinguantur, quia Chriſti gratia data eſt illi, tanquam Capiti & principio vniuerſali omnis gratiæ in cæteris hominibus; atque ita hæc eſt diſtinctæ rationis, moraliter loquendo, à gratia aliorum, quæ ipſis datur tanquam priuatis, aut ſaltem non tanquam Principio vniuerſali: quæ diſtinctio, quamuis non conuincat repugnantiam abſolutam in eo, quòd gratia alterius hominis creſceret vſque ad gradum gratię Chriſti, ſufficit tamen, vt ſecundum ordinariam Dei legem dicatur non poſſe creſcere vſque ad quantitatem gratię Chriſti: quia non decuit Deum ordinare, vt membra creſcerent & peruenirent ad perfectionem talis Capitis & principij vniuerſalis. Quare ad formam argumenti vt clariùs intelligatur ſolutio, poteſt Reſponderi diſtinguendo Aſſumpt. Si enim id intelligatur ſecundum ordinem à diuina ſapientia pręfixum, eo ſenſu negandum eſt; ſi verò intelligatur id fieri poſſe per abſolutam Dei potentiam, admittēdum eſt in eo non apparere repuguautiā, ſed neque hoc abſurdum eſſe.

Conclvsio Quinta: Poteſt tamen gratia Chriſti dici aliquo modo infinita ſecundum rationem propriam gratiæ, & moralem æſtimationem. Eſt quoque D. Thomæ art 11. & aliorum quos ad Cōcluſ. præcedentem citauimus, exceptis Scoto & Durando, qui dicunt gratiam Chriſti etiam in ratione gratiæ omnino eſſe finitam. Probat autem D. Th. quia nō datur Chriſto illud quod ad gratiæ rationem pertinet, ſecundum aliquam certam menſuram; ergò &c. 49

Confirmatur & ſimul explicatur: Quia ſecundum propoſitum Dei, cuius eſt menſurare gratiam, confertur animæ Chriſti gratia tanquam vniuerſali principio gratificationis in genere humano: atqui Principium vniuerſale debet habere formam quodammodo infinitam, ſi non formaliter, tamen aliquo modo virtualiter: quia debet eſſe ſufficiens, vt formâ ſuâ alijs omnibus formam ſimilem ingenerare queat; ergò quod gratię eſt in illo, non limitatur, neque ad certam datur menſuram: ſed ſecundum exigentiam talis principij, quaſi in infinitum ei communicatur tum in ſe, tum in alijs. Accedit inſuper gratiæ animæ Chriſti quædam infini-

infinitudo aliâ conſideratione, quàm ſortitur ex coniunctione cum perſona diuina, quatenus eſt in anima, quæ perſonalitate Verbi ſubſiſtit: vnio namque ad Verbum confert dignitatem & nobilitat quidquid illi coniunctum eſt, iuxta vniuſcuiuſque capacitatem: vnde & opera gratiæ quæ Chriſtus exercuit, propter hanc coniunctionem habent effectum infinitum, licet gratia ſimpliciter ſecundum ſuum eſſe & intenſionem ſit finita. Hinc & quidam exponunt dictam D. Th. Concluſionem iuxta hanc poſteriorem rationem infinitudinis, ſed non ſatis ad mentem eius, vt Corporis contextus ſufficienter demonſtrat. Deinde in reſponſione ad Secundum expreſsè diſtinguit hanc infinitudinem ab ea, de qua egit in Corpore.

50 Conclvsio Sexta: Gratia Chriſti neque ex parte ſua, neque ex parte ſuſcipientis augeri potuit: Eſt D. Th. art. 12. Hanc tamen Concluſionem intellige de hoc quod fieri poteſt ſecundum ordinariam potentiam, ſiue ſecundum ordinem rerum à diuina ſapientia præfixum.

Probatur: Quia hoc ſenſu, forma tum ex parte ſua cenſetur non poſſe amplius augeri, quãdo pertingit ad ſummum gradum in quo ſecundum naturæ inſtitutionem conuenit eam rebus ineſſe, vt res accommodatiſſimo modo ſe habeant ad fines ſuos quoad Eſſe & operari, v. g. grauitas dicitur non poſſe amplius augeri, quando attingit gradum grauitatis terræ, quia iuxta naturæ inſtitutionem, non conuenit rebus grauitas maior, eo quod ad nullum finem ipſis ſeruiret: non enim eſt locus inferior loco terræ, ad quem intenſior grauitas poſſit corpus ſiue ſubiectum mouere. Quemadmodum verò author naturæ formis naturalibus terminum præfixit ex ordine ad fines naturæ, tum naturæ communis, tum particularis, ita etiam formis ſupernaturalibus certos limites ſtatuit, ex ordine ad fines ſupernaturales; atqui gratia Chriſti ab initio conceptionis eius fuit in ſummo gradu, quem conueniebat ipſam habere iuxta ordinem ſupernaturalem à diuina ſapientia conſtitutum, reſpectu habito ad finem, ob quem creaturæ communicatur talis gratia; ergò &c.

Confirmatur: Quia gratiæ finis eſt
51 vnio creaturæ intellectualis ad Deum: gratia autem Chriſti fuit tanta à principio, quantam decuit habere naturam illam quæ non ſecundum accidens, ſed perſonaliter Deo vnita eſt: fuit igitur ſumma, ſic vt ex parte ſua ſecundum diuinæ ſapientiæ ordinem non potuerit augeri.

Probatur ſimiliter, quod augeri non potuerit ex parte ſuſcipientis, quia anima Chriſti habuit omnem gratiam, quę iuxta diuinam diſpoſitionem conueniebat naturæ humanæ, quæ in diuina perſona ſubſiſtebat: iuxta illud Ioannis cap. 1. *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*; atqui non poteſt ſublimior ratio inueniri in creatura, ob quam maior aut intenſior gratia illi deberetur; ergo etiam ex parte ſubiecti non potuit augeri.

52 Probatur Secundò: Quia Chriſtus ab initio fuit comprehenſor; ergò ab initio habuit omnem gratiam, & illi correſpondens lumen gloriæ, quæ ſecundum diuinam ſapientiam illi poterant competere. Confirmatur: Quia inconueniens eſt, eos, qui in termino ſunt adhuc in continua verſari mutatione & accretione in ipſa ratione termini eſſentialis; ergò &c. Vnde quod D. Lucas cap. 2. ſcribit *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*: exponit D. Th. de augmento gratiæ, non in ſe: ſed in oſtenſione & manifeſtatione, quatenus temporis progreſſu faciebat opera maioris ſapiẽtiæ & perfectionis ex genere ſuo, licet ipſe vtpote à principio in omni virtute & gratiæ donis perfectiſſimus, per eiuſmodi opera non ſit auctus in ſanctitate, neq; Deo factus gratior.

35 Conclvsio Septima & vltima: Non implicat ſecundum abſolutam Dei potentiam augeri ſiue intendi gratiam habitualẽ Chriſti. Eſt communior ſententia Doctorum in 3. diſt. 13. & ſatis eam indicat D. Th. art. 12. in Corp. & Reſp. ad Secundum, & colligitur ex eodem Secũda Secundę q. 24. art. 7. vbi docet, charitatẽ quantum eſt de ſe, poſſe in infinitum augeri. Probatur: Quia id non repugnat gratiæ, ex hoc quod ſit forma accidentaria eſſentialiter finita, quia ſic & quantitas eſt forma finita, & eo non obſtante poteſt in infinitum extendi: neque videtur eſſe ſpecialis repugnantia in augmento intenſionis, quando forma ex ſe intenſibilis eſt: quia neque per talem intenſionem mutatur ſpecies ſiue eſſentia finita: neque idcirco forma finita habebit aliquando in re ipſa perfectionem infinitam, ſed ſemper finitam tantum, quia vſque ad actualem infinitudinem non peruenietur. Quemadmodum autem poteſt forma ſemper intendi, ita poterit & anima illud augmentum ſemper in ſe ſuſcipere, nulla enim poteſt in hoc declarari repugnantia; ergò &c.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Chriſti habitualis ſe habeat ad Vnionem?

54 CONCLVSIO Prima: Gratia Chriſti habitualis non ſe habet ad vnionem tanquam diſpoſitio præuia, quâ poſitâ neceſſariò & ex natura rei conſequatur vnio hypoſtatica. Eſt certa & euidens, quia nulla eiuſmodi diſpoſitio datur, nulla enim forma accidentaria naturæ creatæ inhærens poteſt neceſſitare Filium Dei ad hanc vnionem, deinde nec habet repugnantiam cum ſubſiſtentia creata, vt illam à natura expellat. Tertiò ſequeretur, omnes homines iuſtos eſſe in via, & tendentia ad vnionem hypoſtaticam, quia ſaltem aliquos gradus haberent illius formæ, quæ dum ad perfectum veniret infallibiliter & neceſſario cauſaret vnionem naturæ cum hypoſtaſi diuina.

55 CONCLVSIO Secunda: Non ſe habet quoque gratia Chriſti ad vnionem, tanquam diſpoſitio neceſſariò præuia, ad quam licet non ſequatur ex neceſſitate vnio, tamen debeat præſupponi in natura creata, vt poſſit diuinæ perſonæ vniri.

Probatur: Quia in genere loquendo, ad compoſitionem ex natura & perſonalitate, nulla concurrit huiuſmodi diſpoſitio: neque poteſt reddi ratio, quare ſpecialiter in hac vnione prærequiratur diſpoſitio accidentaria, ſine quâ non poſſit fieri vnio Verbi & naturæ humanæ. Accedit quod gratia ſit forma creata accidentaria, & proinde longè ſit inferioris ordinis, quàm ſit hæc vnio: vnde non poteſt naturam reddere capacem huius vnionis, ſi ipſa de ſe illius capax non ſit. Confirmatur: Quia ſubſiſtentia diuina vnitur proximè & immediatè cum ſubſtantia humanitatis; ergò in hac ſecundum ſe debet eſſe capacitas, videlicet obedientalis ad hanc vnionem. Præterea non ſit vnio tantummodo immediatè cum anima, ſed etiam cum carne, in quâ non reſidet gratia: cum igitur caro ſine hac diſpoſitione præuiâ poſſit vniri perſonæ Verbi, cur non etiam anima?

56 CONCLVSIO Tertia: Non habet etiam gratia habitualis Chriſti ſe per modum diſpoſitionis præuiæ, quæ licet non prærequiratur ex neceſſitate; tamen intelligitur præcedere tanquam prærequiſita ex quadam decentiâ, videlicet tanquam congruum ornamentum humanitatis vniendæ Filio Dei in perſona. Colligitur manifeſtè ex D. Th. hîc, vbi ſimpliciter aſſerit, quod vnio naturæ humanæ ad diuinam perſonam præcedat gratiam habitualem in Chriſto, non ordine temporis, ſed naturæ & intellectus: item ex qu. 2. art. 10. & qu. 6. art. 6. ex Scoto in 3. diſt. 2. qu. 2. Richardo ibidem art. 2. qu. 3. & Durando qu. 3.

Probatur Primò: Quia magis conforme eſt tum modo loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, tum etiam naturis rerum, & ipſi rationi huius ſubſtantialis vnionis, dicere quòd abſolutè nulla præceſſerit in natura humana diſpoſitio præuia ſiue ex aliqua neceſſitate rei (hoc enim ſimpliciter falſum eſt) ſiue per modum congrui ornamenti: ſed quod Verbum illam nudam aſſumpſerit & aſſumendo ornauerit; ergò &c. 57

Probatur Antecedens pro priori parte: Quia in eo commendatur benignitas Domini Saluatoris noſtri, eiuſque dimiſſio & exinanitio à Scriptura & Patribus, quod nullis præuijs meritis, bonis operibus, vel ornamẽtis alijs ſolâ dignatione ſuâ ſibi naturam humanã in perſona copulârit, neque vnquam de præinfuſis bonis qualitatibus agunt: ſed primùm beneficium humanitati collatum indicant eſſe ipſam coniunctionem Verbi cum natura, vnde cætera omnia bona, tum in naturam humanam Chriſti, tum in cæteros homines dimanant & profluunt: neque enim Chriſti humanitatem volunt fuiſſe aſſumptam quia fuit tam grata: ſed è contra, quia fuit aſſumpta, ideò tanta gratia abundaſſe: Et hinc habitualis gratia Chriſti non eſt in ipſo gratia adoptionis, quia non datur illi vt extraneo, ſed vt filio, quæ ratione vnionis illi debita erat: vnde Diuus Thomas ſuprà qu. 6. art. 6. ait: Gratia habitualis eſt effectus quidam conſequens vnionem ſecundum illud Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*: per quod, inquit, datur intelligi, quod ex hoc ipſo, quod ille homo eſt vnigenitus à Patre, (quod habet per vnionem) habeat plenitudinem gratiæ & veritatis: Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me*, &c. Hæc verba de ſe interpretatur Chriſtus Lucæ 4. illiſque apertè indicatur gratias, & dona Spiritus Sancti creata, quibus Chriſtus ſecundum humanitatem fuit dotatus, procedere ab vnctione illa prima hypoſtaticę vnionis, quâ vnctus fuit, quando de Spiritu Sancto conceptus eſt. Vnde & Diuus Petrus Act. cap. 10. de hac vnctione agens dicit, *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sancto.* 58

Proba-

Probatur pars poſterior Primò: Quia generaliter loquendo, non ſolet aliqua intercedere diſpoſitio accidentaria in natura ad ſubſiſtentiam recipiendam, vt dictum eſt circa Concluſiones præcedentes: Secundò, Quia anima rationalis ex ratione ſua priùs naturâ ſubſiſtit, quàm perficiatur accidentaliter; ergò etiam anima Chriſti priùs naturâ ſubſiſtit in Verbo, (quod ſubit vices & ordinem ſubſiſtentiæ propriæ) quàm accidentarijs ornamentis decoretur & perficiatur; ergò ſecundum ordinem naturis rerum, & huic vnioni conſentaneum, non debet dici gratia habitualis priùs naturâ ineſſe animæ Chriſti per modum diſpoſitionis præuiæ, quàm anima in Verbo ſubſiſtat.

59 Confirmatur: Quia ſubſiſtentia, vtpote ſubſtantiale complementum, eſt modus magis intrinſecus formæ ſubſtantiali ſubſiſtenti, quàm quoduis accidens: vnde ſubſiſtentia, ſiue ponatur ab ipſa natura reſultare, vt quidam volunt, ſiue dicatur ab ipſo generante aut creante produci, vt alij ponunt, ſemper debet intelligi priùs naturâ reſultare aut produci, quàm quæuis paſſio vel perfectio accidentaria: nam & actio generantis vel creantis ne quidem intelligitur omnino abſoluta & terminata, donec attingat ipſam ſubſiſtentiam: tendit enim primò ad producendam ſubſtantiam in ſuo genere cum modis ſuis ſubſtantialibus completam & perfectam.

60 Probatur Concluſio Secundò rationibus Diui Thomæ. Prima eſt: Quia opus Incarnationis ſpecialiter adſcribitur Verbo, tanquam illius principio: gratia autem habitualis infuſio, quæ cum charitate datur, ſpecialiter accommodatur Spiritui Sancto: quare ſicuti ordine originis Filius eſt prior Spiritu Sancto, ita conuenienter miſſio Filij, quæ ſecundum vnionem perſonalem facta eſt, intelligitur prior miſſione Spiritus Sancti quæ fit per infuſionem gratiæ: Altera eſt, quia Verbum cum ſit lumen per eſſentiam, antecedere debet gratiam, quæ tantum eſt diuini luminis participatio, ſicuti præſentia Solis antecedit aëris illuminationem: Tertia, quia gratia ordinatur ad benè agendum, actiones autem ſunt ſuppoſitorum, vnde actio & per conſequens gratia, quæ datur principium proximum actionis, præſupponit hypoſtaſim: hypoſtaſis verò non præſupponitur in humanâ naturâ Chriſti ante vnionem; ergò &c.

61 Sed obijcitur: Poſito quod habitualis gratia Chriſti potuerit in anima eius ordine naturæ præcedere hypoſtaticã vnionem, tanquam diſpoſitio quædam ornans & præparans animam ad Verbi ſubſiſtentiam, omnino fatendum videtur ſic de facto accidiſſe.

Confirmatur: Quia congruentiæ id videntur dictare: decentius enim eſt intelligere animam iam participatiuè deificatam per gratiam vniri Verbo in perſona, quàm eam per ſe nudam abſque omni ſupernaturali decore ei coniungi. Quemadmodum ſi Rex ducturus eſſet vxorem inferioris conditionis, conueniens foret, quòd eam priuſquàm illam duceret, quantum poſſet, ornaret & nobilitaret; ergò ſimiliter exiſtimandum eſt, dum Verbum erat aſſumpturum humanitatem, quòd priùs illam ſanctificauerit & ornauerit modo quo fieri potuit. Deinde, quandoquidem Deus voluerit vtramq; gratiã ſcil. habitualem & Vnionis conferre humanitati Chriſti, conueniens fuiſſe videtur ſapientiæ illius, vt inferiorem ad ſuperiorem ſubordinaret, illamque vt diſpoſitionem ad hanc infunderet; ergò &c. atqui poteſt gratia habitualis abſque repugnantia in rebus, ſtatui in anima Chriſti naturâ priùs, & tanquã diſpoſitio ſaltem moralis ad vnionem cum Verbo, ergò &c. 62

Confirmatur: Quia anima Chriſti poteſt intelligi naturâ prius exiſtens, quàm ſubſiſtens; atqui pro illo inſtanti, quo intelligitur exiſtens, poteſt intelligi ornata gratiâ, & tamen nondum ſubſiſtens; ergò poteſt anima intelligi prius naturâ diſpoſita per gratiam habitualem ad ſubſiſtentiam Verbi ſuſcipiendam, quam in ipſo Verbo ſubſtiterit: & per conſequens debet cenſeri ſic fuiſſe diſpoſita: vti argumentum ſatis videtur probare. 63

Reſpondeo, poſſe negari inprimis Aſſumptum: nec enim omnia quæ potuerunt circa fidei noſtræ myſteria accidere, mox affirmanda ſunt fuiſſe facta, quantumuis etiã noſtro iudicio videantur congrua: quare quod ad congruentias attinet, dico ex illis non ſatis firmum duci argumentum, potiſſimùm quando Scriptura ſacra, & Sancti Patres aliud ingerunt: & è contra aliæ æquè probabiles pro parte oppoſita ſuppetunt, quod in præſenti habere locum ex probationibus ipſius concluſionis ſatis conſtat. 64

Quod verò ad exemplũ Regis allegatũ attinet. Reſpondetur, quod ſicuti quidam iudicarent decentius fore, quòd rex prius ditaret & nobilitaret eam quàm ex inferiori plebe ducere intenderet vxorem, ita alij fortaſſe non minus prudenter iudicarent oppoſitum expedientius, puta quod nihil ei ante nuptias conferret, vt ſic magis appareat Regis magnitudinem nullatenus ab vxore dependere, ipſumque ſibi ſufficere, è contra verò illam habere

 habere

bere omnem ſuam eminentiam à rege: &
conſequenter illi auferatur omnis occaſio
etiam apparens, ſuperbiēdi, vel procaciùs
ſeſe contra regem efferendi, quaſi propter
ſuas gratias vel bona in vxorem eſſet ad-
miſſa: Vnde conuenientius poteſt videri,
quod eam tantummodo ducendo nobili-
taret, & tunc condigna ornamenta con-
ferret.

65 Ad alteram congruentiam Reſpondeo,
ſubordinaſſe quidem diuinam Sapientiam
gratias illas duas inter ſe, ſed non eo ordi-
ne ſeu habitudine, quâ in argumento prę-
tenditur, quòd habitualis illa videlicet ta-
quàm diſpoſitio pręcederet, ſed quòd tan-
quàm pulcherrimum quoddam ornamen-
tum ab Vnione hypoſtatica promanans
ſubſequeretur, non tempore, ſed naturâ,
computareturque inter diuitias & dona,
quæ Verbum ſui coniunctione humanæ
naturæ conferebat.

66 Reſpondetur Secundò ad argumen-
tum principale, negando etiam Subſum-
ptum, puta abſque repugnantia in rebus
gratiam habitualem Chriſti poſſe poni in
anima eius, naturâ priorem, per modum
diſpoſitionis ad vnionem. Ad confir-
mationē ſimiliter neganda eſt Minor: re-
pugnat enim ſubſtantiam naturâ prius ſu-
ſtentare accidens, quàm ipſiuſmet Eſſe,
ſubſiſtentiâ propriâ, vel alio huius vices
ſupplente ſuſtentetur: quomodo enim na-
tura cuius Eſſe nondum ſecundum ſe in-
telligitur fundatum vel per ſe, vel in alio,
poteſt intelligi fundare & ſuſtentare
aliud: in humanitate autem Chriſti nihil
fuit, neque debet intelligi tanquam ter-
minans & ſuſtentans Eſſe illius præter
perſonalitatem Verbi. Vnde non poteſt in-
telligi anima Chriſti fundare & ſuſtentare
gratiam, vel aliud quoduis accidens, niſi
ipſa ordine naturæ prius intelligatur ſub-
ſiſtere, & proinde quàm Verbo quo ſubſi-
ſtit, vnita eſſe. Hinc conſequenter non po-
tuit gratia habitualis Chriſti habere cauſa-
litatem diſpoſitionis, ne quidem moralis
ad vnionem hypoſtaticam: quia diſpoſitio
ſiue phyſica, ſiue moralis ſit, nō mouet ſub
ratione diſpoſitionis agens ad introducen-
dam formam, niſi vt ipſa eſt præexiſtens in
materia ſiue ſubiecto: quod etiam exemplo
contritionis poteſt declarari, quæ idcirco
diſpoſitio moralis eſt ad gratiam, & re-
miſſionem peccatorum, quia vt exercita
& exiſtens in homine mouet, & inclinat
Deum ad conferendam gratiam, & deli-
ctorum veniam peccatoribus: quemad-
modum in naturalibus vltima diſpoſitio
ſecundum naturæ inſtitutionem determi-
nat agens ad introducendam formam:
cum ergo gratia habitualis Chriſti non
poſſit intelligi, ne quidem ſecundum or-
dinem naturæ, prior in anima, non potuit
quoque diſpoſitiuè cauſaſſe hypoſtaticam
vnionem. Nec obſtat quod D. Thom. hac
q. art. 12. in Corpore dicat, gratiam ha-
bitualem in Chriſto ordinari ad vnionem
tanquam ad finem, quia non loquitur de
fine, qui per illam acquiratur, ſed de fine
cui ipſa inſeruiat: quemadmodum pro-
prietates dicuntur ordinari ad eſſentiam
vnde dimanant, tanquam ad finem, cui
videlicet in ſuis operationibus ſubſeruiūt.
Eodem etiam ſenſu dicit infra q. 8. art. 5.
gratiam habitualem efficere congruitatem
ad vnionem, non quidem antecedenter,
ſed conſequenter: quia qualitas eſt digna,
& debita naturæ creatæ rationali quæ Ver-
bo perſonaliter eſt vnita.

Sed replicabit aliquis: Duplici inſtantiâ 67
poteſt demonſtrari, quod accidēs poſſit in-
telligi naturâ prius eſſe in ſubſtantia, quàm
ipſa terminetur aliquâ ſubſiſtentiâ: Primo
in ijs accidentibus, quæ intrinſecam &
neceſſariam habent connexionem cum tali
ſubſtantia, quia ab his pendet eius exiſten-
tia: cuiuſmodi reſpectu animæ rationalis
poſſunt dici eſſe voluntas & intellectus:
cum ergo natura exiſtens præſupponatur
ordine rationis ante vnionem cum Verbo,
conſequenter etiam aliqua accidentia de-
bebunt præſupponi in natura, priuſquam
ſit vnita Verbo: quod ſi quædam acciden-
tia poſſint naturâ prius eſſe in ſubſtantia,
quam ipſa ſit ſubſiſtens, cur non etiam
gratia habitualis poterit intelligi naturâ
prius ineſſe animæ Chriſti, quàm anima
in Verbo ſubſiſtat? Secundò & clarius vt
apparet, poteſt id oſtendi in accidentibus
quæ tempore præceſſerunt in materia cor-
poris Chriſti, & in inſtante vnionis per-
manſerunt: v.g. ſupponendo eandem nu-
mero quantitatem, quæ erat in materia
ſanguinis, vnde Chriſti corpus formatum
eſt, manſiſſe in corpore Chriſti ipſo in-
ſtante quo formatum eſt, conſequenter
dicendum erit illam quantitatem pro illo
eodem inſtante ordine naturæ prius ineſſe
materiæ illius, quàm ipſa fuerit ſubſiſten-
tiâ Verbi ſuſtentata: ſi enim tempore
prius infuit, cur non etiam naturâ prius?
Idem argumentum fieri poteſt de cæteris
accidentibus quæ in eadem materia dura-
tione præceſſerunt: non repugnat igitur
accidens aliquod ineſſe corpori, vel ani-
mæ Chriſti naturâ prius, quàm fuerint
Verbo vnita.

Reſpondetur Negando Aſſump. Quod 68
itaque attinet ad accidentia cum quibus
natura habet eiuſmodi neceſſariam con-
nexionem, dicendum eſt, eam connexio-
nem non eſſe connexionem dependentiæ
ipſius

ipſius naturæ à talibus accidentibus tanquam à cauſa, ſed ſolum tanquam à conditione intrinſecè & neceſſariò ſubſequente: plures autem poſſe concurrere tales conditiones ſubſequentes cum quodam ordine inter ſe, inter quas etiam numeratur ſubſiſtentia naturæ ſubſtantialis: & cum hæc ſit immediatior & intimior ipſi ſubſtantiæ, quàm alia quævis conditio accidentalis, imò cũ hęc ſit veluti baſis, ſine qua non poteſt ſubſtantia ſuſtentare exiſtentiam accidentium, vt ex dictis intelligitur, conſequens eſt, ſubſiſtentiam eſſe naturæ ordine priorem omnibus eiuſmodi accidentibus in ipſâ ſubſtantiâ, non obſtante ipſorum neceſſariâ connexione cum naturâ: & proinde in anima Chriſti naturæ ordine præcedere ſubſiſtentiam Verbi ante quodcunque eius accidens: Quod verò attinet ad accidentia, quæ tempore præcedunt in materia, poſſet hic quidem breuiter reſponderi, nos tantum locutos de accidentibus quæ de nouo eſſe incipiunt ſimul cum ſubſiſtentiâ naturæ cui inſunt, de quorum numero eſt gratia habitualis Chriſti reſpectu animæ illius: quia hæc ſupponunt naturam ſubſiſtentem; quæ non poteſt intelligi prius ſuſtentare exiſtentiam aliorum, quàm ipſiusmet exiſtentia ſit terminata & ſuſtentata. Sed tamen quando res conſideratur attentius, deprehenditur etiam in alijs idem habere locum: nam licet quædam tempore præceſſerint, tamẽ quæ in inſtanti vnionis perſeuerant, neceſſe eſt vt pro illo inſtanti conſeruentur propriâ & ſpeciali influentiâ: hæc autem conſeruatio in ſubiecto, & à ſubdito fit; ergo ſupponit ſubiectum ſubſiſtens: non enim poteſt præbere influxum & cauſare conſeruationem accidentium, niſi ſubſiſtat; ergo etiam hæc accidentia pro illo inſtanti ſunt naturâ poſterius in iſta materia, quàm materia hac ſubſiſtentiâ ſubſiſtit: & conſequenter in propoſito, quantitas quæ ſupponitur prius tempore fuiſſe in materiâ Virginei ſanguinis, ex quo Domini corpus formatum eſt, & manſiſſe in materia corporis Chriſti, etiam pro primo inſtanti quo duratione ſimul fuit in materia corporis Chriſti cum ſubſiſtentia Verbi, debet intelligi ineſſe corpori Chriſti poſterius ſecundum naturæ ordinem, quàm corpus ſubſtiterit ſubſiſtentia Verbi: quia quantitas pro illo inſtanti eſt dependens à ſubſiſtentia Verbi, quatenus dependet à materia ſubſiſtente: materia verò non dependet à quantitate, niſi vt à conditione ſubſequente. Nec obſtat quantitatem illo inſtanti non mutare ſuam exiſtentiam, vt ſupponitur: ſufficit enim quod mutet dependentiam, & incipiat à ſubſiſtentia noua materiæ dependere, vt dicatur naturâ poſterius ineſſe materiæ talis ſuppoſiti, quàm iſta ſubſiſtentia eius.

69 Obijcitur Secundò: Humanitas Chriſti, naturâ prius quàm ſubſiſteret in Verbo, capax fuit mutationis vnitiuæ, quam in ſe recepit, & quâ Verbo vnita eſt; ergo etiam capax fuit diſpoſitionis alicuius accidentarię, puta gratiæ habitualis, ad ipſam vnionem.

Reſpondeo Negando Conſequentiã, & ratio diuerſitatis eſt, quòd iſta mutatio ſit mutatio quædam ſubſtantialis cuius intrinſecus terminus eſt vnio, quam ſuprà diximus modum eſſe ſubſtantialem, qui non re, ſed modaliter ab humanitate Chriſti diſtinguitur: & quia dicta mutatio eſt veluti via neceſſaria ad ſubſiſtendum in alieno ſuppoſito, & ad impediendam ſubſiſtentiam propriam, ideò propter hunc ordinem neceſſe eſt, vt vel naturâ vel ratione ſit prior, quàm vnio in facto eſſe, & quàm humanitas in Verbo ſubſiſtat: aliæ autem mutationes, vel qualitates accidentales ſunt, & non habent hunc ordinem ad vnionem vel ſubſiſtentiam, ſed potius ex natura ſua ſupponunt naturam ſubſiſtentem.

70 Obijcitur Tertiò: Potuiſſet Deus creare humanitatem Chriſti in propria perſona, & ordinare vt ſuis actibus tantam vel tantam gratiã obtineret, quâ diſponeretur ad vnionem hypoſtaticam tali tempore vel momento recipiendam, nulla enim in hoc eſt repugnantia, vt omnes facilè admittunt; ergo in vno eodemque inſtanti poteſt Deus ſua voluntate hanc gratiam cum hac habitudine diſpoſitionis animæ Chriſti conferre. Reſpondetur admittendo Antecedens, ſed Negando Conſequentiam, idcirco videl. id fieri potuiſſe, quando anima non præexſtitit propriâ ſubſiſtentiâ. Et ratio patet ex dictis, quia in hoc caſu non poteſt gratia intelligi prior tempore, vel naturâ in anima, quàm ipſa anima in Verbo ſubſiſtat, quod tamen oſtendimus requiri ad rationem cauſalitatis diſpoſitiuæ, ſiue ſermo ſit de diſpoſitione morali, ſiue de phyſica.

71 CONCLVSIO Quarta & vltima: Gratia habitualis Chriſti habet ſe igitur ad vnionem hypoſtaticam tanquam effectus quidam & proprietas, quodammodo naturaliter ab ea dimanans in eius humanitatem. Eſt Diui Th. hic & ſuprà q. 6. art. 6. vbi dicit id ſignificari illis verbis Ioannis: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre:* Idem colligunt nonnulli Doctores ex Iſaia cap. 11. *Flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spi-*

ritus

ritus Domini, & cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me.*

72 Probatur Secundò ratione: Quia ex quo humanitas Chriſti per Vnionem hypoſtaticam effecta eſt natura Filij Dei, debetur illi hoc titulo maxima perfectio & participatio optimorum Donorum Dei, vt ſunt gratia & gloria: item debentur illi præſtantiſſimæ operationes proportionatæ, quantum fieri poteſt, tantæ Perſonæ in qua ſubſiſtit; ergò debentur etiam accõmodatæ facultates & principia operãdi, vt ſunt gratia & virtutes ſupernaturales; & per conſequens hæc omnia poſſunt dici effectus quidã & proprietates quodãmodo naturaliter promanantes in humanitatem Chriſti ab ipſa gratia Vnionis. Dico quodammodo naturaliter promanantes: quia non promanant phyſicâ dimanatione, aut per veram efficientiam ab Vnione vel Perſonalitate Verbi (de hâc formaliter loquendo) quia proprietates relatiuæ vt ſic in diuinis nullam habent operationem ad extra: imò omnis operatio ad extra ſimpliciter eſt toti Trinitati communis: ſed tamen quodammodo naturaliter promanare dicuntur, quia natura Verbo perſonaliter vnita vigore illius vnionis, iure quodam connaturalis proportionis exigit (quemadmodum explicatum eſt) vt cum non poſſit eſſe diuina per eſſentiam, efficiatur ſaltem diuina excellentiſſimo modo per participationem, habeatque principia intrinſeca eliciendi & exercendi operationes, quantum fieri poteſt, excellentiſſimas & maximè diuinas.

QVÆSTIO OCTAVA

De gratia Chriſti ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ.

In octo Articulos diuiſa.

ART. I. II. III. & IV.

Vtrùm Chriſtus ſit caput Eccleſiæ? Vtrùm Chriſtus ſit caput hominum, quantum ad corpora, vel ſolum quantum ad animas? Vtrùm Chriſtus ſit caput omnium hominum? &, Vtrùm Chriſtus ſit caput Angelorum?

1 Notandum Primò cum D. Thoma: Sermonem eſſe de Capite metaphoricè dicto, quam capitis rationem in tribus docet potiſſimum conſiſtere ſecundum quandam ſimilitudinem ad proprietates & functiones capitis naturalis, puta quod is qui caput dicitur, debeat ordine, perfectione, & virtute ſiue vi agendi præcellere illis, quorum reſpectu Capitis dignitatem obtinet, quemadmodum caput naturale ordine primum eſt in membris, item dignius & perfectius, vtpote in quo ſenſus omnes tum exteriores, tum interiores reſident ac vigent, & tertiò virtute quoq; cæteris præſtat, vtpote à quo vires & motus aliorũ, & gubernatio actuum pendent & deriuantur. Secundum hoc itaque quo aliquid perfectiùs, vel minus perfectè, plures aut pauciores habet proprietates capitis naturalis dignitati & functionibus proportionatas, eo magis propriè, vel minus propriè poteſt ei Capitis metaphorici comparatio attribui: neque enim omnes & ſemper perfecto modo concurrunt hæ proportionatæ excellentiæ in eo quod Caput appellatur: nam & viarum principium, caput dicitur Eſechielis cap. 16. *Fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ.* Similiter Iſaiæ 9. dicitur: *Longæuus & honorabilis ipſe eſt caput*, ob maiorem ſcilicet ſapientiæ perfectionem.

Notandum Secundò: Quæſtionem eſſe de Chriſto homine, vt manifeſtè conſtat ex argumentis & reſponſionibus D. Th. quod tamen intellige ſpecificatiuè, id eſt, an in humanitate ſua Chriſtus hanc habeat Capitis dignitatem; non reduplicatiuè, an ex ipſa ratione humanæ naturæ habeat.

Conclusio Prima: Chriſtus eſt Caput totius Eccleſiæ quæ ex hominibus conſtat, tam triumphantis, quàm militantis. Eſt de Fide. Probatur Primò ex Scriptu- 2

Scriptu-

Digitized by Google

Scripturis ad Epheſ. cap. 1. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*, vbi ex antecedentibus conſtat ſermonem eſſe de Chriſto homine: præcedit enim, *Suſcitans illum à mortuis* &c. *Et omnia ſubiecit pedibus eius*: ad Epheſ. cap. 4. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*: ad Epheſ. 5. *Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*: ipſe, *Saluator corporis eius*: ad Coloſenſes cap. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Idem docent communiter Sancti Patres, Chryſoſt. Hieronymus, Theophilactus in loca ad Epheſ. citata, Hilarius lib. 8. de Trinitate circa finem, Aug. in Pſalmum 13. & ſerm. 50. de verbis Domini, & epiſt. 50. & 57. vtrobiq; in fine.

3 Probatur Tertiò ratione ex conditionibus in capite myſtico requiſitis: Chriſtus in ordine primus eſt & præcipuus inter omnes homines, tum viatores, tum patriæ ciues: ad Rom. 8. *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: 1. ad Corinthios 15. *Primitiæ Chriſtus: deinde ij, qui ſunt Chriſti*: neque tantùm gloriâ immortalitatis ipſe primus eſt, ſed etiã gratiâ: vt hîc art. 1. docet D. Th. non quidem tempore, nam & Patres veteris Teſtamenti dona gratiæ habuerunt: ſed naturæ & intentionis ordine: quia omnes homines tam antiqui quam noui Teſtamenti gratiam receperunt per reſpectum ad gratiam & merita Chriſti, quod ſignificat Apoſtolus ad Coloſenſes cap. 1. *Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*, videlicet quia tam in ijs quæ ad gratiam, quam quæ ad gloriam pertinent, ipſe origo & cauſa exiſtit. Secundò excedit omnes perfectione: vt ex dictis q. præcedente de plenitudine gratiæ illius ſatis conſtat.

4 Tertiò præcellit efficaciâ & virtute: quemadmodum enim à capite naturali in cuncta membra diffunditur ſenſus & motus per ſpiritus animales, ita omnis ſpiritualis vita & præuiæ ad illam diſpoſitiones ex Chriſti meritis in homines deriuantur, vt pulchrè oſtendit Apoſt. ad Epheſ. cap. 4. *Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Idem docet Ioannes cap. 1. dum ait *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, & ſignificat Chriſtus apud eundem cap. 4. dum Samaritanæ dicit, *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit: Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam*: & infrà: *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Conuenientiſſimè igitur & proprijſſimè dicitur Chriſtus caput reſpectu corporis myſtici, quod eſt Eccleſia.

5 Sed obijcitur, Non poteſt Chriſtus dici membrum Eccleſiæ; ergò neque caput. Probatur Conſequentia, quia caput eſt ſpecies quædam membri. Reſpondetur, negant nonnulli Antecedens, & exiſtimant Chriſtum poſſe dici membrum Eccleſiæ, quod etiam admittit D. Th. de Veritate qu. 29. art. 4. ad 6. ſed tamen ſermo iſte minus videtur probandus. Vnde idem D. Thomas in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. ad vltimum, negat Chriſtum dicendum eſſe membrum. Ratio eſt, quia hoc nomen membrum importat quandam imperfectionem: ita enim ſignificat partem corporis iuxta vſitatum concipiendi modum, vt inferat animo audientis ſimul apprehenſionem, quod ea pars aliquid ab alijs accipiat, quod imperfectionis eſt: Quare Chriſto attribuendũ nõ eſt, qui neq; ab aliquo Eccleſiæ membro, neque à tota Eccleſia vllam influentiam recipit. Ad formam itaq; argumenti melius Reſpõdetur Neg. Conſ. & ratio eſt, quia vbi ſermo metaphoricus eſt, ſæpius contingit nomen ſpeciei admittere metaphoram, quam non admittit nomen generis, vel quia nomen generis non importat proprietatẽ ſpeciei, vnde metaphora deducitur, ſic Chriſtus dicitur Leo, Agnus, non tamen beſtia: vel quia nomen generis importat aliquam imperfectionẽ, quæ in nomine ſpeciei non attenditur, vt iam explicui in nomine membri. Neque obſtat, quod caput naturale dicatur quoque membrum, quia hoc non tantum in cætera membra influit, ſed etiam ab illis accipit & dependet, licet id in nomine capitis non ſic conſignificetur ſicuti in nomine membri.

6 Petet aliquis, Vtrùm Chriſtus non diceretur conuenientius cor Eccleſiæ, quam caput? Reſpondetur negatiuè. Rationem indicat D. Th. hîc art. 1. ad vltimum: quia caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu cæterorum membrorum; cor autem habet tantum influentiam occultam: & ideo Spiritus Sanctus comparari ſolet cordi, qui Eccleſiam inuiſibiliter viuificat: Chriſtus verò conuenientius comparatur capiti, quia ſecundum viſibilem naturam hominibus viſibiliter præſidet.

7 CONCLVSIO Secunda: Chriſtus non tantum eſt caput hominum qui de Eccleſia ſunt, tum triumphante, tum militante: ſed omnium hominum, qui adhuc capaces exiſtunt influxus & ſpiritus illius, vt ſunt etiam infideles, & infantes in vtero materno adhuc latentes. Eſt D. Th. hîc art. 3. Probat, quia Chriſtus dicitur Saluator omnium, quamuis maximè fidelium: 1. ad

pitiatio,

Digitized by Google

Timotheum cap. 4. & dicitur eſſe propitiatio non pro peccatis noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi: 1. Ioannis cap. 2. Ergò Chriſtus debet dici caput, non tantum fidelium, licet horum præcipuè: ſed etiam omniũ ſalutis adhuc capacium. Probatur conſequentia: quia ſaluare homines, & eſſe propitiationem pro peccatis, competunt Chriſto ſecundum quod Caput eſt.

Probatur Secundò: Quia ad rationem capitis myſtici non requiritur, quòd illi quorum caput dicitur, aſſiduè influxum vitæ ab eo accipiant: ſed ſufficit quòd caput pro parte ſua potens ſit vitam illis influere, eoſque velit mediorum ad vitam, quantum eſt ex parte ſua, eſſe participes: illi autem ſint in ſtatu, quo poſſint eius motiones ad vitam ſuſcipere; atqui ita ſe habet Chriſtus ad viatores omnes, & ipſi viciſſim in tali adhuc ſtatu verſantur, vt ſint motionum eius capaces; ergò &c. Et quamuis non ſemper vitam charitatis, aut ſpiritum fidei actu in illos influat, tamen pro tempore & loco non deſinit adhuc adultis motiones tendentes ad vitam ſupernaturalẽ, etiã infidelibus immittere, vt in 1. 2. latiùs deduximus: nec eos à participatione ſacramentorum, quæ inſtrumenta ſunt vitæ, excludit: quemadmodum neque paruulos priuat, in quorum etiam gratiam aliquando parentes peculiari prouidentiâ gubernat.

8 Conclvsio Tertia: Chriſtus eſt Caput hominum, non tantùm quoad animas, ſed etiam quoad corpora. Eſt Diui Thomæ art. 12. Probatur, quia Chriſtus vt auctor gratiæ, etiam ſuum habet influxum in corpora noſtra: Primò, quia in hac mortali vita præbet auxilium & virtutem, vt corpora noſtra efficiantur organa iuſtitię, tum in operibus ſanctis perficiendis, tum in laboribus & paſſionibus pro iuſtitia ſuſtinendis; imò & corporis quædam bona quatenus ſaluti ſubſeruiunt, dantur propter Chriſtum. Deinde in vita futura faciet illa reſurgere glorioſa & immortalitate donata; ergò etiam quoad corpora hominum caput eſt.

9 Conclvsio Quarta: Chriſtus non tantum Caput eſt hominum, ſed & Angelorum beatorum. Eſt D. Thomæ hic art. 4. ibidem Barthòlom. Medinæ, qui dicit contrarium affirmantes temerariè loqui. Idem docent Richard. in 3. diſt. 13. art. 2. q. 3. Palud. qu. 1. ar. 3. Durand. qu. 2. Alex. Alen. 3. part. quæſt. 12. nu. 2. art. 1. Suarez Diſp. 23. Sect. 1. & commun. recentiores. Probatur Primò ex Scripturis ad Epheſ. c. 1. *Suſcitans illum à mortuis & conſtituens ſupra omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem & Dominationem* &c. vbi conſtat Apoſtolum loqui de Chriſto homine dum ait: *Suſcitans eum à mortuis.* ad Coloſenſes 2. *Et eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis Principatus & Poteſtatis*; vbi ſimiliter loquitur de Chriſto homine: præcedit enim, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Probatur Secundò ex Patribus, Hieronymus in caput 1. Epheſ. exponit verba iam inde citata de Eccleſia ex Angelis & hominibus conſtante: Auguſtinus Concione 3. in Pſalmum 36. caput noſtrum eſt: corpus capitis illius nos ſumus: nunquid nos ſoli, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? omnes qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum &c. Idem indicat Hilarius in Pſalmum 139.

Cæterùm, vt intelligatur in quo conſiſtat ratio capitis in Chriſto homine reſpectu Angelorum: Obſeruandum eſt, non omninò eodẽ modo, nec æquè propriè per omnia Chriſtum dici caput Angelorum ac hominum, vt notârunt Medina in hunc locum: Driedo 3. parte de captiuitate Babilonica & redemptione Tract. 2. c. 2. a. 5. propoſitione 4. & Lenſæus lib. 1. de Eccleſia cap. 5. Nam Chriſtus eſt caput hominũ particularibus modis. Primò, quia cum illis eſt veluti vnum corpus propter eandem carnem, ſiue communem naturam & vnum ſpiritum. Secundò, quia ab ipſo tanquam principio præparante, impetrãte & promerente deriuatur in homines omnis motus ſupernaturalis & influxus gratiæ ac ſpiritualis vitæ: quorum primum abſque controuerſia Chriſto in ordine ad Angelos non competit: nuſquam enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, alterum veroſimiliter ipſi non competere reſpectu Angelorum docent Doctores præfati, vnde nec ſub ratione Saluatoris à quo ſalutem acceperint, volunt Chriſtum eſſe eorundem caput: quod etiam tanquam Scripturis conformius hic ſupponimus, infrà qu. 19. amplius aliquid ea de re dicturi. Vnde alijs conſiderationibus Chriſtus homo caput eſt Angelorum: Primò, quia in tanta hominum & Angelorum ſocietate, quæ vnius Dei & Domini cultui communiter inſiſtit, vinculis charitatis conſtringitur, ac eiuſdem fælicitatis futuro conſortio lætatur, ipſe ſublimiter omni genere gratiarum ſupra omnes præeminet, vt docet Gabriel in 3. diſt. 19 art. 3. dubio 2. Deinde quia Chriſto homini attributa eſt auctoritas quædam etiam in Angelos: nam & Angeli leguntur in Scripturis acceſſiſſe, illique miniſtraſſe: ipſe quoque Angelos mittit in miniſterium ipſorum qui hæreditatem capiunt ſalutis: iudicabit quoque 10

ipſe

ipſe Angelos vt docet D. Th. infrà qu. 59. art. vlt. Tertiò, Chriſtus caput eſt Angelorum, quia etiam ſuum in illos habet influxum, & de bono ſuo eis communicat: Eſto enim quòd gratiam & gloriā ex meritis non acceperint, tamen in multis eos illuminat, vt docet Diuus Dionyſius cap. 7. de cæleſti Hierarchia. Et ratione poteſt probari, quia cum Angeli ſuperiores ex communi ſententia inſtruant inferiores quoad multa, nullo modo poterit id negari Chriſto, qui Deo propinquiſſimus eſt, & longè plura in illo cognoſcit, quàm vllus intellectus creatus, etiam Angelicus cognoſcere poteſt. Deniq; ex eius humanitate multum gaudij accidentalis Angelis accedit.

Hinc etiam Sancti Patres frequenter dicunt homines eſſe aſſumptos ad ſedes Angelorum reparandas, vtpote vnum cum eis regnum & vnum corpus conſtituentes: quibus proinde ob rationes & conſiderationes iam explicatas meritò exiſtimatur Chriſtus tanquam caput communis illius corporis præſidere.

11 Sed contra opponitur primò: Diuus Chryſoſt. quem ſequitur Theophylact. intelligunt locis allegatis ad Epheſ. cap. 1. & ad Coloſſ. 2. ſignificari Chriſtum eſſe caput hominum & Angelorum: hominum ſecundum carnem, Angelorum verò vt eſt Deus Verbum, ergò &c. Reſpondetur Negando Conſeq. quia in primis dici poteſt quod Patres illi explicuerint rationem illam Capitis in Chriſto reſpectu Angelorum, quæ euidentior eſt, non autem negauerint alteram. Deinde poſſunt intelligi illa dixiſſe hoc ſenſu, quod ſcilicet fundamentalis cauſa quare Chriſtus homo ſit Caput Angelorum, obueniat inde, quia ſimul Deus eſt: quia ſcilicet cum homo naturæ ſit inferioris, quam Angeli, tamen eleuatus eſt ad dignitatem Capitis reſpectu Angelorum ratione diuinæ perſonæ in qua ſubſiſtit, & ſic quidem etiam vt homo Caput eſt Angelorum; ſed ratione ſubſiſtentiæ diuinæ ſibi communicatæ.

Obijcitur Secundò: Caput & membra eiuſdem debent eſſe naturæ & rationis; ergò non poteſt Chriſtus dici caput Angelorum.

Reſpondetur in capite metaphoricè dicto non requiri abſolutè identitatem naturæ cum ijs quorum caput dicitur (quamuis hoc ad maiorem proprietatem facere fateamur) vt ex eo ſatis patet, quia etiam caput Chriſti, videlicet ſecundum humanitatem, dicitur Deus, 1. ad Corrinth. cap. 11. qui tamen non eſt eiuſdem naturæ cum humanitate Chriſti. Similiter Deus caput eſt Angelorum. Sufficit ergò ad myſtici capitis rationem, quòd præeminentiam habeat & certas functiones, de quibus initio egimus, circa membra exerceat: quas conditiones iam oſtendimus Chriſto homini competere in ordine ad Angelicos ſpiritus.

12 Conclvsio Quinta: Chriſtus non debet ſimpliciter dici caput damnatorum. Colligitur ex Diuo Thoma articulo 3. in fine Corp. vbi dicit, quòd non prædeſtinati recedentes ex hoc ſæculo totaliter deſinant eſſe membra Chriſti, & proinde deſinit Chriſtus eſſe Caput ipſorum. Ratio eſt, quia vt myſtici capitis ratio alicui conueniat, cum aliquali ſaltem proprietate, videtur ad minus requiri, quod caput pro parte ſuâ velit ſpiritum ſuum eſſe membris communem, ipſaque membra illius ſint capacia; quia Chriſtus non intendit nec vult damnatis ſpiritum gratiæ & vitæ influere, nec ipſi eius ſunt capaces ex ratione ſtatus ſui; ergò &c.

Conclvsio Sexta: Generaliſſimè tamen loquendo, & minus proptiè, poteſt Chriſtus dici caput omnis creaturæ, etiam damnatorum. Declaratur, quia aliquam ſaltem capitis proprietatem, videlicet præeminentiæ, & dominij in ordine ad tes omnes habet: Primò, quia omnia ſubiecit ſub pedibus eius, vt dicitur Pſalm. 8. & ad Epheſeos cap. 1. Vnde ibidem Hieron. expreſsè dicit, Chriſtum eſſe etiam caput Dæmonum, quia illorum Dominus & Princeps eſt; quibus poteſt imperare. Secundò, quia omnibus creaturis poteſt vti ad electorum ſalutem, quorum gloriæ omnia deſeruiunt, iuxta illud Apoſtoli ad Roman. capit. 8. *Nam exſpectatio creaturæ reuelationem Filiorum Dei exſpectat &c. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei*; ergò &c. 13

ARTICVLVS V.

Vtrùm gratia Chriſti ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ ſit eadem cum gratia habituali eius ſecundum quod eſt quidam homo ſingularis?

Conclvsio Diui Thomæ eſt: Eadem eſt ſecundum eſſentiam gratia perſonalis, quâ anima Chriſti eſt iuſtificata, 14

ſtificata, & gratia eius ſecundum quam eſt caput Eccleſię iuſtificans alios. Ita etiam communiter tenent Doctores in 3. Diſtinct. 13. Bonauent. art. 2. quæſt. 2. Richardus art. 3. quæſt. 2. Gabriel quæſt. 3. in fine: Almainus quæſt 1. Marſilius quæſt. 10. art. 1. Dub. 3. Alenſis 3. p. qu. 11. memb. 3.

Probatur Primò: Quia ſecundum eam gratiam eſt caput Eccleſię, ex cuius plenitudine redundat ſimilis gratia in ipſam Eccleſiam: atqui ex perfectione & plenitudine gratię illius perſonalis nos omnes accepimus: vt ex ſuprà dictis patet; ergò gratia eius ſecundum quod eſt caput Eccleſię, eſt re ipſa eadem cum gratia perſonali, ratione duntaxat diſtincta ab illa, vt in Corpore notat Diuus Thomas.

Probatur Secundò: Quia idem eſt actus, quo agens eſt actu, & quo agit ac ſimilem formam alteri imprimit: verbi gratia idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit aliud; ergo eadem eſt gratia quâ Chriſtus ſecundum animam eſt iuſtus, & quà tanquam caput influit gratiam in Eccleſiæ membra, quæ iuſtificat.

15 Notandum Primò, Quando Chriſtus dicitur tanquam caput ſua gratiâ influere iuſtitiam in membra, tunc in ablatiuo illo, Gratiâ, non ſignificari habitudinem cauſæ efficientis phyſicæ, ſed moralis: quia ſcil. illa ſuâ gratiâ habituali, tanquā principio proximo & connaturali ſuis meritis, iuſtitiam & gratiam nobis promeruit, non autem phyſicâ efficientiâ in nobis producit: quod fieri poſſit per modum inſtrumenti in iuſtificatione noſtrâ poſt Chriſti natiuitatem, nullo tamen modo fieri potuit in iuſtificatione Sanctorum veteris Teſtamenti: quia gratia Chriſti, vtpote quę realiter tum non exſtabat, non potuit phyſicâ actione ne inſtrumentali quidem attingere iuſtitiam illis Patribus infuſam.

16 Notandum Secundò: Tria in Chriſto Domino concurrere, vnde gratia eius habitualis obtinet in ipſo dignitatem & perfectam rationem gratiæ Capitis. Primum eſt ſumma huius gratiæ in ſuo proprio eſſe perfectio quoad intenſionem: iuxta ea quæ dicta ſunt ſuprà: Alterum eſt huius gratiæ coniunctio in eâdem animâ cum perſonalitate Verbi, quâ hæc anima ſubſiſtit: vnde infinitam quandam excellentiam accipit & valorem ſiue præſtantiam, vt ſit principium meriti infiniti, non tantum in ordine ad promerendum ipſi humanitati Chriſti, ſed etiam pro alijs: ob quæ duo, hæc gratia fuit ſumma digniſſima, & ſufficientiſſima, vt is qui illa donatus foret, conſtitueretur caput totius Eccleſiæ. Sed præter iſta concurrit tertium, videlicet ordinatio quâ conſtitutum fuit vt Chriſtus homo tantâ & tali gratia ſublimatus Eccleſię præſideret, & in eius membra ſpiritum & vitam gratiæ influeret, ita vt reſpectus iſte huius gratiæ ad talem diuinam ordinationem, compleat eam in perfectâ ratione gratię Capitis.

Ex quibus colligere eſt, quare nullius alterius hominis gratia habitualis, licet eiuſdem ſpeciei ſit cum gratia Chriſti, poſſit eum conſtituere caput cæterorum: tum videlicet, quia neque perfectionem illam extrinſecam participat, quam habet gratia Chriſti ex coniunctione cum Verbo: neque etiam ad intrinſecam vnquam perueniat, quam habet ratione intenſionis: tum potiſſimùm, quia diuinitùs non ordinatur, vt ſit principium influendi iuſtitiam in alios, illiſque pręſidendi & gubernandi, quemadmodum in Chriſto.

17 Quæret aliquis: An gratia vnionis, non potius debeat dici gratia capitis, quàm gratia Chriſti habitualis.

Reſpondetur, Gratiam vnionis poſſe quoque nominari gratiam capitis: quia vnio humanitatis cum perſona Verbi præbuit operationibus & paſſionibus hominis Chriſti dignitatem illam & valorem, vt ſint condigna & proportionata ſatisfactio in ordine ad iniuriam diuinę Majeſtati illatam, compenſandam ad omnimodam æqualitatem & habeant rationem condigni meriti ad gratiam ſanctificantem, & ad vitam æternam hominibus promerendam. Abſque huiuſmodi autem coniunctione cum diuina perſona, nulla alia gratia poterat eſſe omninò ſufficiens ad huiuſmodi præſtantiam & valorem, operibus cuiuſcumque hominis præſtandum, & conſequenter neque ad influendum in alios vitam iuſtitiæ, ſaltem modo perfecto, quo id fit propter gratiam vnionis. Explicat tamen Diuus Thomas identitatem gratiæ Chriſti, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ, & ſecundum quod eſt ſingularis homo de gratia eius habituali, non de gratia vnionis: cuius primò poteſt reddi hæc ratio, quia gratia habitualis eſt principium operatiuum, & quidem proximum omnis illius actionis, quâ mediantę influxus vitæ à Chriſto homine in membra deriuatur; gratia autem vnionis ſiue ſumatur pro modo vnionis, ſiue pro perſonalitate vnitâ, neutro modo vt ſic, eſt forma actiua, vt ex ſuprà dictis patet: ſed coniunctio iſta per ſe tantùm præſtat dignitatem & valorem illis

ipſis

ipſis actionibus, ſiue paſſionibus Chriſti. Deinde, quia gratia Chriſti habitualis eſt forma eiuſdem rationis cum gratia quam ingenerat Eccleſiæ membris; ſecundum illam verò formam magis propriè aliquis dicitur caput, per quam operatur & influit ſimilis rationis formam in membra, quàm ſecundum aliam quamcumque qualitatem aut perfectionem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm eſſe caput Eccleſiæ ſit Chriſto proprium?

18 Conclvsio Prior: Chriſto proprium eſt eſſe Caput Eccleſiæ, ita quòd nullus hominum vel Angelorum cum tanta latitudine, excellentia, & perfectione poſſit eſſe aut dici Eccleſiæ caput.

Probatur primò, quod nullus cum tanta latitudine: quia Chriſtus eſt ſimpliciter caput omnium eorum qui ad Eccleſiam pertinent ſecundùm omnem vbiuis locum: quod nulli competijt tempore Antiquæ legis, quia non erat tunc caput aliquod vnum in terris quod præſideret ſimul Eccleſiæ Iudæorum, & Eccleſiæ diſperſæ per gentes. Deinde Chriſtus eſt caput ſecundum omne tempus: quod ſimiliter nulli competijt antiquitùs: ſed neque modo: quia licet Romanus Pontifex tempore noui Teſtamenti ſit caput Eccleſiæ vniuerſalis per totum terrarum orbem, ſinguli tamen Pontifices tantum ſunt caput pro ſuo tempore. Præterea Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundum omnem eius ſtatum, non ſecundùm ſolum ſtatum quo hic in terris militat, ſed etiam ſecundum ſtatum quo victrix in cælis triumphat; ergò nullus cum ea latitudine poteſt dici Eccleſiæ caput, quâ Chriſtus.

19 Probatur Secundò: quod neque cum pari excellentiâ: quia Chriſtus eſt caput propriâ auctoritate; ſuoque nomine tanquam Paſtor Eccleſiæ principalis regit & paſcit.

Probatur Tertiò: quod etiam nullus poſſit dici caput Eccleſiæ cum tanta perfectione & proprietate quoad conditiones ad capitis rationem requiſitas: quia in primis non tantùm nullus in Eccleſia ita præeminet omni virtutum & ſcientiarum genere, ſed etiam, quia nullus influit ſic in Eccleſiæ membra interiùs ſpiritum vitæ & vitales operationes, quemadmodum ille, qui tanquam vitis palmitibus ſuppeditat Eccleſiæ membris ſuccum vitæ ſpiritualis, ac ſpiritualis motionis. Neque obſtat quod alij aliquando impetrando, aliquando exhortando, aliquando ſacramenta adminiſtrando etiam ſuo modo concurrant ad vitæ ſpiritualis ingenerationem in mentibus ſubditorum: quia id præſtant vel deprecatoriè tantum, non herili auctoritate, vt qui impetrant: vel extrinſecus ſolum rigando vt qui monent & exhortantur, non autem intrinſecus dando incrementum: vel certè id præſtant tantum purè inſtrumentaliter, concurrendo tanquam inſtrumenta ſeparata, virtute non ſuâ, ſed Chriſti, vt qui per ſacramentorum adminiſtrationem ad vitæ ſpiritualis infuſionem cooperantur: nulli autem tanquam cauſa principalis virtute intrinſecæ formæ ſuæ in alijs vitam operantur: quare nullo modo accedunt ad perfectionem, ſiue proprietatem capitis, quę in Chriſto reperitur.

Conclvsio Poſterior: Poteſt tamen alijs competere eſſe caput Eccleſiæ modo inferiori, videlicet ſecundum externam directionem & gubernationem pro aliquo tempore, & ſecundum certum Eccleſiæ ſtatum, dependenter tamen ſemper à Chriſto; cuius neceſſum eſt ipſos eſſe Vicarios. Vide quæ de Rom. Pontifice docentur circa initium Secundæ Secundæ. 20

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Diabolus ſit caput omnium malorum?

Conclvsio Diui Thomæ eſt affirmatiua. Vbi ſub nomine Diaboli ex mente Diui Thomæ videtur intelligi, non quiuis Dæmon, ſed Princeps Dæmoniorum per antonomaſiam Diabolus dictus: in reſponſione enim ad ſecundum ſcribit, Diabolum cauſam fuiſſe peccandi & dæmonibus & hominibus. 21

Probatur Concluſio Primò ex illo Iob cap. 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ:* Rex autem bene appellatur caput ſui regni.

Probatur Secundò & ſimul explicatur, quâ ratione caput ſit: Primò, quia in malitia excellit omnes: Secundò, quia ex quo mali ſe illi ſubijciunt, eo ſe faciunt illius ſeruos, & ſic quandam habet in eos dominandi poteſtatem.

Tertiò: Quia ipſe fons & origo malitiæ eſt quam in ſe ipſo prius excitauit, & poſtea per ſuggeſtionē & alios modos (abſq; coactione tamen) in cæteros deriuauit & de-

riuat eis Spiritum ſuum communicando, quo auertuntur à Deo, ipſumque Deum auerſantur ſub ſpecie & appetitu libertatis: iuxta illud Hieremiæ, 2. *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, &*
22 *dixiſti: Non ſeruiam.*

Neq; obſtat quod ante dictum eſt, Chriſtum quoque caput eſſe Dæmonum iuxta Diuum Hieronymum: is enim hactenus tantum dicitur eorum caput, quia habet in eos abſolutum imperium, & exercet in eos vindicatiuam poteſtatem. Diabolus verò alijs conſiderationibus caput dicitur omnium malorum, vt ex modo dictis patet: quæ duo ſimul non repugnant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Antichriſtus etiam poſſit dici caput omnium malorum?

CONCLVSIO Diui Thomæ eſt af-
firmatiua. Probat, quia Antichri- 23
ſtus præcellit omnes malitiâ: Diabolus enim eminentius illi præ omnibus alijs ſuam malitiam, quibus poterit modis, inſtillabit, in qua ſic excedet Antichriſtus, vt mali omnes qui præceſſerunt, ſolum quaſi figura & imago ipſius reputētur; ergò ſuo modo poteſt vocari caput malorum.

QVÆSTIO NONA

De ſcientia Chriſti in communi,

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam præter diuinam?

Scientia hîc largè accipitur pro quâ-
1 libet cognitione intellectus humani: vt monet Diuus Thomas in Corpore circa finem: item tam pro habitu vel quaſi habitu, quàm pro actu: nam & lumen intellectus quo generaliter principia cognoſcimus, vult hic in Corpore D. Thomas ſub nomine ſcientiæ comprehendi. Nunc pro reſolutione ſit

2 CONCLVSIO Prima: Anima Chriſti habet intellectum creatum. Eſt certa de Fide. Patet ex Concilijs: Epiſtola Agathonis Papæ in Synodo ſexta actione 8. lecta & approbata ſic habet: Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent: duas naturas eius prædicamus, & vnamquamque proprietates naturales habere confitemur: diuinam omnia quæ diuina: humanam omnia quæ humana ſunt abſque peccato. Quænā verò proprietas naturæ humanæ magis naturalis eſt, quàm naturalis vis intelligendi? Item Actione 11. dicitur, Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem animabus noſtris contribulem, & mentem noſtræ menti comparem. Vbi ſub nomine mentis expreſſè videtur Synodus ſignificare intellectum. Item in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Can. 9. definitum habetur, fuiſſe proprietates humanitatis in Chriſto indiminutas & ſine deminoratione. Simile quid habet Concilium Calcedonenſe act. 5. Vide dicta ſuprà q. 6. art. 2. & 3.

CONCLVSIO Secunda: Præter 3
ſcientiam diuinam habuit Chriſtus etiam ſcientiam creatam. Eſt quoque de Fide.

Probatur Primò: Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis*, quod de donis creatis Sancti Patres paſſim interpretantur.

Probatur Secundò ex Concilijs: Synodus 6. definit in Chriſto duas eſſe operationes, diuinam videlicet & humanam; ſed quæ actio magis eſt operatio humana quam ipſum ſcire, ſeu intelligere? ergò in Chriſto eſt humanum intelligere, non minus quam humanum velle, de quo ex propoſito agit quidem Synodus, & cuius occaſione generaliter de humana operatione in Chriſto admittendâ fert ſenten-

Digitized by Google

ſententiam. Idem colligitur ex Concilijs allegatis ad præcedentem Concluſionem: ſi enim in Chtiſto omnia ſint duplicia, quæ ad duas naturas pertinent: Item ſi proprietates humanitatis in Chriſto ſint indiminutę & ſine de minoratione; ergò ſicuti duplex eſt intellectus, ita etiã duplex eſt operatio duplicis intellectus, videlicet diuini diuina, & humani humana.

4 Probatur Secundò ratione: Quia potentia intelligendi creata in Chriſto eſſet ſuperuacanea & fruſtrà, abſque videlicet vſu & fine ſuo, abſq; nimirũ operatione: & conſequenter imperfecta, quia potentiæ prima naturalis perfectio eſt eius operatio: quod vel maximè locum habet in potentijs, quarum operationes ſunt actus immanentes intrinſecè potentias ipſas perficientes; ergò quemadmodum Chriſto competit humanus intellectus, ita & humana, ſiue creata intellectio: neque enim Chriſti perfectioni, aut Incatnationis eius fini repugnat.

5 Sed dicet aliquis: Intellexit quidem Chriſtus per humanum intellectum, veruntamen non actu creato: ſed increato, videlicet diuinâ intellectione: quemadmodum beati per diuinam eſſentiam ſupplentem vices ſpeciei intelligibilis Deum vident. Ita ſenſit Ioannes de Ripa, vt refert hîc Caiet. Idem exiſtimaſſe videtur Hugo de S. Victore Opuſculo de Anima Chriſti & eius Scientia: qui tamen non excludit expreſsè omnem actum intelligendi creatum. Reſpondetur Neg. Aſſump. Ac in primis negare omnem ſcientiam creatam animę Chriſti, Fidei aduerſatur vt ex dictis ſatis conſtat. Sed neque fieri poteſt, quòd anima intelligat intellectione increatâ, tũ quia intellectio eſt actus vitæ, vnde oportet quod ſit actio naturæ ipſius intelligentis, eiuſq; naturalis potentiæ: nã vita actualis ſiue vita ſecunda conſiſtit in actione viuentis; atqui intellectio increata non poteſt eſſe vitalis actio animæ humanæ, neque intellectus creati; ergò &c. Deinde intellectio quâ intellectus dicitur intelligens, eſt actus intrinſecè informans intellectum: quia eſt operatio immanens: vnde per formalem ſui vnionem ad intellectum conſtituit illum intelligentem: intellectio autem diuina non poteſt eſſe forma intrinſecè informans intellectum creatum: tum quia non poteſt ſupplere cauſalitatem formæ in genere cauſæ formalis propter imperfectionem quæ ibi includitur: tum quia intellectio diuina eſt res ſubſtãtialis, cuius non eſt capax intellectus creatus, qui eſt intelligens accidentaliter, non ſubſtantialiter vti intellectus diuinus: Propter ergo hunc duplicem reſpectum, quem actus intelligendi intellectus creati eſſentialiter dicit ad intellectum, quem conſtituit intelligentem, repugnat actui increato per ſe ipſum conſtituere intellectum creatum actu intelligentem.

6 Neque obſtat, quòd diuina eſſentia dicatur per ſe ſupplere vices ſpeciei intelligibilis in beatis: quia id non facit quaſi informet intellectum, ſed ſolum quia intimè præſens eſt intellectui, & cum illo concurrit ad viſionem tam in ratione principij efficientis, quàm obiecti terminantis ipſam viſionem: non enim ſpecies intelligibilis creata ponitur per ſe vt informet, ſed vt efficiat: nam per ſe tantum eſt veluti ſemen obiecti vt ſuppleat eius abſentiam, aut efficacitatem: ad hoc enim vt intellectus intelligat concurſum requirit ſui obiecti, qui non eſt concurſus formæ formaliter informantis, ſed efficientis, aut termini ſpecificantis: quòd verò inhæreat intellectui conuenit ſpeciei intelligibili, quia accidens eſt, non autem quia concurſus eius ad intellectionem requiſitus poſtulat ex ratione ſuâ inhæſionem aut informationẽ. Hinc igitur ratio concurrendi ſpeciei intelligibilis non includit in ſe quidquam repugnans, quo minus eſſentia diuina concurſum illum poſſit ſupplere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſtus habuerit ſciẽtiam quam habent Beati vel comprehenſores?

7 QVæſtio eſt de tempore, quo Chriſtus mortalem duxit vitam: nullus enim Chriſtianus vnquam dubitauit, quin Chriſtus poſt reſurrectionem & aſcenſionem ſuam habuerit ſcientiam beatificam.

CONCLVSIO Vnica: Chriſtus in hac mortali vitâ ab initio conceptionis ſuæ habuit ſcientiam viſionis quam beati habent. Eſt communis DD. tum hic tum in 3. diſt. 14. & omnino certa.

8 Probatur ex Scripturis Ioannis 3. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Hic Chriſtus apertè agit de ſe homine, & proinde de ſcientia & viſione humana; atqui nulla cognitio myſteriorum Dei vocatur viſio præter cognitionem beatificam; ergò Chriſtus habebat ſcientiam beatam, quâ videbat ea quæ teſtabatur. Eòdem poteſt referri illud Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit,* videlicet, quæ vidit: & proinde ſicut per humanitatem dum hic mortaliter viueret nobis enarrauit,

ita etiam ſecundum humanitatem vidit, vt indicat D. Aug. Tract. 3. in Ioannem: & ibidem: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, quod Aug Tract. 2. in Ioan. videtur intelligere de gloria, quam nos ſperamus, quæ in ſcientia ſiue viſione beatificâ conſiſtit. Vbi etiam additur, *Plenum gratiæ, & veritatis*; atqui plenitudo veritatis requirit viſionem beatificam; quia omnis alia cognitio creata tantummodo ex parte eſt. Idem poteſt confirmari ex Transfiguratione Domini in monte Tabor: vbi magnitudo gloriæ Chtiſti, quæ communiter latebat, ſe ad tempus transfudit in corpus ex anima, vt Sancti Patres exponunt, & indicat D. Petrus 2. epiſt. c. 1. vbi de hac transfiguratione agens, dicit: *Speculatores facti illius magnitudinis*: quæ videlicet Chriſto conſtanter inerat, quamuis diuino miraculo propter opus redemptionis noſtræ, non ſemper in corpus ſe transfunderet.

9 Probatur Secundò ratione D. Th. quia conuenit, agens habere formam, ad quam aliud mouet; ſed Chriſtus ab initio conceptionis ſuæ cœpit nos mouere & ducere ad viſionē beatificā; ergò conueniens fuerit, vt ipſe à principio eam habuerit, quandoquidē illa & animam tantæ perſonæ deceret: neq; oeconomiæ, cui Chriſtus deſtinatus erat, præſtaret impedimentū. Deinde caput erat Angelorū; ergò conueniebat illū ſecundum humanam naturam quoq; (quatenus opus redēptionis permittebat) gloriâ & honore eſſe coronatum. Scripturæ verò, quæ ſignificant Chriſtum debuiſſe accipere gloriam aut clarificationem poſt paſſionem & mortem, agunt ſolum de gloria corporis, aut de manifeſtatione nominis Chriſti, quâ factum eſt, vt mundus eius agnoſceret diuinitatem & in ipſum crederet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Chriſtus habuerit ſciētiam infuſam vel inditam?

10 NOtandum eſt, Infuſam ſiue inditam ſciētiam à Doctoribus appellari eam, quæ à Deo ſine intellectus operatione, nobis infunditur, quam duplicem ponunt; Vnā videl. infuſam per ſe, quæ vires naturę ſuperat, & idcirco talem productionis ſeu infuſionis modum ex ratione ſua poſtulat; Alteram infuſam per accidens, quæ licet vires naturæ non ſuperet, ſed noſtro labore, & induſtriâ compatari queat, ex particulari tamen dono Dei nobis ſine operâ noſtrâ infunditur: qualis fuerit ſcientia rerum naturalium, quæ primo Parenti ab initio fuit indita, & illa quæ Salomobi fuit diuinitus conceſſa.

11 Conclvsio Vnica: Præter ſcientiam beatificam, etiam habuit Chriſtus ſcientiam per ſe infuſam quæ ſit ſupernaturalis. Eſt D. Th. hîc, Caiet. Medinæ, & aliorum Sectatorum D. Thomæ, Richardi in 3. diſt. 14. qu. 2. & 3. Palud. qu. 2. Capreuli qu. 1. art. 1. Marſilij qu. 10. art. 2. Suarez Diſp. 25. ſect. 3. Vaſquez Diſp. 52. cap. 1. & paſſim recentiorum: quamuis aliqui antiquiores Scholaſtici, vt Bonauen. in 3. diſt. 14. art. 1. queſt. 1. Scotus q. 3. Durand. qu. 4. Gab. qu. vnica art. 2. ſenſiſſe videntur ſcīētiā Chriſti infusā eiuſdem eſſe rationis cū acquiſita, adeoq; nō per ſe, ſed per accidens infuſam. Probatur autem Concluſio: Primò ex Scripturis Iſaiæ 11. *Et flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini; Spiritus ſapientiæ*, &c. quibus ſignificatur Chriſtum habuiſſe donum Spiritus Sancti, quod eſt Sapientia, & quidem à principio conceptionis ſuæ, dum dicitur, Flos aſcender, & requieſcet ſuper eum, &c. Lucæ 2. cum Chriſtus duodecim tantum eſſet annorum, ſtupebant omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius, videlicet in materia quæ res diuinas concernebat. Ioannis 7. docebat in Templo Iesvs, & mirabantur Iudæi, dicentes: *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit:* quibus ipſe reſpondet & declarat, vnde illam doctrinā baberet, dū ait, *mea doctrina* (id eſt, quam modo profero & doceo) *non eſt mea*, id eſt, à me inuenta, ſed à Patre accepta.

Probatur Secundò ratione D. Th. Quia decebat animā Chriſti eſſe intrinſecè perfectam, quocunque modo perfectibilis erat; ergò decebat illam cognoſcere res, non tantum in Verbo ſcientiâ beatificâ, ſed etiam per proprias rerū ſpecies intellectui eius inditas: quia ad has erat in potentia & aptus ijs perfici, ſiue ad actum reduci: ergò &c. Confirmatur: Quia Angeli præter ſcientiam beatam, habent quoq; ſcientiam infuſam.

12 Obſeruandum verò hic eſt: quandoquidem ſcientia per ſe infuſa ſit ſupernaturalis, hinc quando D. Th. in ſua ratione hic ponit, intellectum Chriſti eſſe in potentia ad ſpecies intelligibiles huius ſcientiæ, ipſum tunc loqui de potentia non naturali, ſed obedientiali: vt manifeſtiùs conſtat infrà ex qu. 12. art. 1.

13 Sed ne quis replicet, obedientialem potentiam non debere ſemper habere actū ſuum, ad hoc vt naturalis facultas ſit ſimpliciter

pliciter perfecta, imò nec poſſe omnino dari actum adæquatum in eſſe completo; idcirco benè hic monet Caiet. non eſſe rationem D. Th. intelligendam de potentia obedientiali in tota ſua latitudine, vt ad omnipotentiam Dei comparatur: ſed de illa vt pertinente ad perfectum ſtatum gratiæ, quatenus ſecundum hunc ſtatum ex diuinâ ordinatione nata eſt ad actum reduci. Vnde cum in Angelis, & etiam in hominibus beatis perficiatur intellectus quoad hanc obedientialem potentiam, ſaltem ſecundum certam menſuram, omnino dicendum venit, intellectum Chriſti quoad eandem potentiam excellentiſſimo modo fuiſſe perfectum, & ad actum reductam. Deinde, Chriſtus vt viator datus fuit nobis Doctor & Magiſter; ergò oportuit vt illi infunderetur quoque ſcientia, quæ ſtatui viatoris congrua eſt, & viſioni non repugnat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Chriſtus habuerit aliquam ſcientiã acquiſitam?

14 Notandum Primò, dupliciter poſſe hanc Quæſtionẽ intelligi: Vno modo, An fuerit in Chriſto ſcientia acquiſita, quam ipſe ſuâ inuentione, aut ſtudio ſibi comparauit: Altero modo, An fuerit in illo ſcientia acquiſita, eiuſdem videlicet rationis cum noſtra ſcientia, quam nobis noſtro labore comparamus, licet eam Chriſtus non ſibi acquiſiuerit, ſed habuerit eam ſibi diuinitus inditam.

Notandum Secundò, Scientiam acquiſitam, quæ lumine intellectus agentis cõparatur, poſſe etiam duplicem conſtitui; alteram ſingularium: quæ ſit notitia quædam euidens & experimentalis de ipſis ſingularibus: alteram verò vniuerſalium per demonſtrationes acquiſitam: quæ hactenus etiam vocari poſſet experimentalis, quatenus per ſpecies ſenſibiles à ſingularibus deſumptas, & deinde per ſpecies intelligibiles, virtute intellectus agentis è phantaſmatibus elicitas comparatur, & ſic pro initio ſuo habet cognitionem & experientiam ſenſûs. His præmiſſis ſit

15 Conclvsio Prima: In Chriſto fuit ſcientia humanâ induſtriâ acquiſibilis, eiuſdemque ordinis cum ea quam in nobis acquiſitam vocamus. Eſt D. Thomæ hîc & communis Scholaſt. in 3. diſt. 13. & 14. Sed variant D D. Vtrùm Chriſtus eam ſibi comparauerit, an verò illam habuerit per accidens infuſam? Pro reſolutione ſit,

Conclvsio Secunda: Habuit Chriſtus ſcientiam illam vniuerſalium, quam vocamus acquiſitam, cum ſpeciebus intelligibilibus ad huius ſcientiæ vſum neceſſarijs, ſibi ab initio ſuæ conceptionis per accidens infuſam. Ita docuit D. Thomas in 3. diſt. 14 qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. & 5. Hic tamen motus certâ ratione, quam paulò poſt proponemus, aliter ſentit & dicit in Chriſto eſſe ſcientiam acquiſitam, non ſolùm ex parte ſubiecti recipientis: ſed etiam ex parte cauſæ agentis, ita ſcilicet vt ipſe eam ſuâ operatione acquiſiuerit: nihilominus Concluſio hæc magis communiter à D D. tenetur, Sumitur ex Richardo in 3. diſt. 14. art. 3. qu. 2. Palud. qu. 2. Durando qu. 4. Gab. quæſt. vnica art. 3. Marſil. qu. 10. ar. 2. Concl. 5. qui poſteriores non aliam infuſam, qua per accidens, in Chriſto agnoſcunt. Docet idẽ expreſſè Suarez diſp. 30. ſect. 2. & plures recẽtiores. Probant, quia naturalis ſcientia, eſt in genere naturalium quædam ſumma animæ perfectio, neque repugnat vnioni hypoſtaticę, aut officio, vel fini Redemptoris; ergo animę Chriſti ab initio ſuæ creationis illa tribuenda eſt.

Confirmatur Primò: Quia hæc ſcientia à principio fuit indita Adæ; ergò Chriſto non eſt neganda. Secundò, quia antiqui Patres docent paſſim Chriſtum aſſumpſiſſe animam in naturalibus perfectiſſimam: vnde & ſuprà dictum eſt, ab initio Chriſti animæ infuſas fuiſſe virtutes morales, non tantum quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, ſed etiam quæ ſunt ordinis naturalis.

Sed obijcitur ratio quæ D. Thomam in alteram partem traxit, videlicet: quod intellectus agens videbitur in Chriſto fuiſſe otioſus & fruſtrà, ſi mediante eius operatione, anima Chriſti non acquiſiuerit ſcientiam aliquam intellectiuam. 16

Reſpondetur breuiter, Intellectum agentem & intellectum poſſibilem, vt loquuntur Philoſophi, non eſſe duas diſtinctas potentias naturales re ipſâ: ſed eſſe vnam & eandem: quæ dicitur intellectus agens, vt abſtrahit ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, & dicitur intellectus poſſibilis vt eaſdẽ recipit & mediantibus illis intelligit: iam verò cõſtat otioſam nõ fuiſſe potentiam illam, quia licet careret priori ſuo munere, eò quòd ab initio haberet ſpecies impreſſas, tamen habuit aliam functionem, quæ eſt intelligere. Præterea potuit ſeruire ad ſcientiam intellectus experimentalem.

Addo, omninò dicendũ eſſe conſequenter, hanc ſcientiam ab initio fuiſſe in Chriſto longè perfectiorem, quàm vllus hominum in hac vita eam aliquando habuerit. 17

Vnde hâc ſcientiâ cognouit in primis ſubſtantias omnes materiales ſecundum proprium & abſolutum ipſarum conceptum, prout in ſe ſunt: quod etiam D. Thomas ſignificat infrà qu. 12. art. 1. ad Secundum: vbi dicit, Chriſtum viſis corporibus cæleſtibus, hâc ſcientiâ cõprehendiſſe virtutes eorum & effectus, quos habent in iſtis inferioribus, qui eius non ſubiacebant ſenſibus: ergò pleniſſimè habuit eorum naturam ſibi perſpectam, cum alioquin non comprehendiſſet omnes virtutes & effectus. Præterea veriſimiliter cognouit anima Chriſti ſeipſam per propriam ſubſtantiam, & alias quoque ſubſtantias immateriales eo modo, quo animæ ſeparatæ lumine naturali eas cognoſcere poſſunt per ſpecies ſcilicet infuſas, quas ſimul ac à corpore ſoluuntur recipiunt.

Probatur: Quia anima Chriſti etiam in corpore corruptibili erat beata; ergò non dependebat in intelligendo etiam per naturalem ſcientiam, à corpore; habuit ergò quoq; in ſtatu viæ vim operandi actus naturales ipſius intellectus& voluntatis abſq; corporis dependentia aut concurſu. Vnde neque fuit neceſſitata ad phantaſmata recurrere, vt ſcientiæ naturalis actus exerceret, licet ad illa recurrere, iiſque vti potuerit.

18 Obſeruandũ verò hîc eſt, Quantũuis D. Th. ſentiat hîc vt dictum eſt, Chriſtum ſibi hanc comparaſſe ſcientiam, eum tamen negare Chriſtum aliquid didiciſſe ab homine vel Angelo, eo quod non decuerit ſupremũ Doctorẽ ab inferioribus inſtrui: & proinde eum ſuâ adinuentione ſibi illam acquiſiuiſſe. Vide dicenda infrà q. 12 art. 3. & 4.

19 Concluſio Tertia: Anima Chriſti nõ habuit ab initio humanã illam cognitionem, quę propriè dicitur experimẽtalis: ſed illã ſuis actionibus comparauit, & temporis ſucceſſu in ea profecit. Eſt communis ſententia Doctorum. Probatur, quia ad experimentalem cognitionem nõ ſufficit habere ſpecies rerum quæ ſub experientiam cadunt: ſed oportet illas ſpecies ſic habere, vt repræſentent ipſas res quatenus aliquando ſub ſenſum ceciderunt, ſiue eo modo vt ſint principium cognoſcẽdi ipſas res, aliquando fuiſſe ſenſu perceptas, de humana videl. experiẽtia agendo; ergò &c. Notandũ eſt Chriſtũ ſuperaſſe longè alios homines in modo acquirendi hanc experimentalem cognitionem: nam in alijs fit experiẽtia veluti inductione ex repetitâ memoriâ rerum ſenſu perceptarum, quatenus perceptæ ſunt, & poteſt eſſe fallax: ſed Chriſtus ex vno ſingulari actu poterat perfectam ſcientiam acquirere, & quidem euidentem & accuratam, tum propter ingenij acumen, tum propter comitantiã & directionem ex parte ſcientiæ infuſæ. De hac autem experimentali notitiâ rectè intelligitur illud Apoſtoli ad Hebræos cap. 5. *Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt: obedientiam* (quamuis id D. Thomas ad ſcientiam acquiſitam ſimpliciter dictam accommodet) quia videlicet nouis & varijs modis obedientiam exercuit, & ſic quid obedire ſit, & qui obedientiæ labores ac difficultates, per vniuerſos eius effectus expertus fuit, quod Apoſtolus ſuggerit, vt ſic eum nobis compati, facilius habeamus perſuaſum: præmiſerat enim cap. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

QVÆSTIO X.

De ſcientia beata animæ Chriſti,

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrùm anima Chriſti diuinam eſſentiam comprehenderit?

Vtrùm anima Chriſti in Verbo cognouerit omnia?

1 CONCLVSIO Prima: Anima Chriſti non comprehendit diuinam eſſentiam. Vbi notandum comprehendere dupliciter accipi: aliquando vt generaliter ſignificet vltimi finis noſtri conſecutionem: ita loquitur Apoſtolus dum ait: *Sic currite, vt comprehendatis*, & hoc ſenſu omnes beati Deum comprehendunt: aliàs verò nomine comprehenſionis intelligunt Scholaſtici exactam & adęquatam rei cognitionem, quã tantũ cognoſcitur, quan-

tur quantum res cognoſcibilis eſt, iuxta illud D. Auguſtini, Aliud eſt videre, aliud totum videndo comprehendere: quandoquidē id omne videtur, quod præſens vtcumque ſentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem: & hoc ſenſu de comprehenſione hic eſt ſermo.

2 Probatur Concluſio Primò: Hieremiæ 32. de Deo dicitur, *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*: ad Rom. 11. *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*: quod ſi in conſilijs & iudicijs ſuis eſt in cōprehenſibilis, erit & ſubſtantia eius incomprehenſibilis Deus, omni ſcilicet creaturæ; atqui anima Chriſti, licet propter vnionem cum Verbo, ſummam aſſecuta ſit dignitatem, tamen non egreditur limites creaturæ intellectualis; ergò non comprehendit diuinam eſſentiam.

3 Probatur Secundò: Quia Sancti Patres paſſim docent, diuinitatem à nulla creatura poſſe comprehendi, Cyrillus 11. Theſauri cap. 1. Chryſoſtomus Homilia 5. de incomprehenſibili Dei natura, Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 36. Cyrillus Hieroſolymit. Catheche ſi 6. Auguſtinus epiſt. 112. & ſerm. 109. Gregorius lib. 10. moral. cap. 10. vbi ſic ſcribit, In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt: & paulo infrà: Angelica vel humana mens, cum ad incircumſcriptum lumen inhiat, eo ipſo ſe quo eſt creatura coanguſtat: & ſuper ſe quidem tendit, ſed tamen eius fulgorem comprehendere nec dilatata ſufficit.

Vbi conſiderandum in primis, quod agat de ſtatu beatitudinis, vt patet ex eo, In retributionis culmine. Ponderandum Secundò, quod dicit, Eo ipſo quo eſt creatura, eſſe coanguſtatam, &c. Tertiò quod addat, Nec dilatata ſufficit: quaſi diceret, quantumuis in virtute intelligēdi creſcat, ac eleuetur.

4 Probatur Tertiò ratione ductâ à proprietate Dei & ipſius creaturæ: Deus immenſus eſt & infinitus ſimpliciter & abſolutè; anima verò Chriſti, intellectus eius, lumen gloriæ, & ipſe actus quo Deum videt omnia creata ſunt & finita; ergo ab his non poteſt Deus comprehendi.

Circa ſolutionem primi argumenti D. Thomæ petiti ex Iſidoro, notat Suarez in Comment. ſuper hunc art. verba Iſidori ſic habere, Sola Trinitas ſibi integrè nota eſt, & humanitas à Chriſto ſuſcepta, quæ tertia eſt in Trinitate perſona. Quibus ait; non doceri Trinitatem ſibi, & humanitati aſſumptæ eſſe integrè notam: ſed potius tam Trinitatem ipſam, quam humanitatem aſſumptam ſoli Trinitati eſſe integrè notam: quaſi diceret: Non ſolum myſterium Trinitatis, ſed etiam Incarnationis eſſe ſoli Deo comprehenſiuè cognitum: quia Chriſtus eſt tertia in Trinitate perſona, atque ita myſterium Incarnationis ratione termini ſiue perſonæ, ad quam terminatur, ab intellectu creato non comprehendi: vnde exiſtimat relatiuum illud *Quæ* legendum eſſe in maſculino, Qui vt referat Chriſtum, non autem humanitatem ſuſceptam.

5 Concluſio Secunda: Anima Chriſti non videt omnia in Verbo, quæ in omnipotentia Dei eminenter continentur. Eſt D. Thomæ hîc & 1. p. q. 12. art. 8. & communior Scholaſt. in 3. diſt. 14. Palud. q. 1. Bonauent. art. 1, q. 2. & art. 2. q. 3. Richardi art. 1. qu. 4. Suarez diſp. 26. ſect. 2. contra Magiſtrū, & alios nonnullos. Probatur, quia id fieri non poteſt niſi anima Chriſti diuinam eſſentiam omnimodè cōprehendat: atqui iam oſtenſum eſt ex Scripturis & Patribus, diuinam eſſentiam à nulla mente creata poſſe comprehendi; ergò &c.

Probatur Maior, quia cognoſceret omnia, quæ in Deo ſunt tam eminenter, quàm formaliter, ſed comprehendere Deum: quia eſt penetrare eum quocunque modo cognoſcibilis eſt. Diuus Fulgentius quidem reſponſione ad quæſtionem tertiam Ferrandi ſcribit, Non numero rerum cognitarum ſcientiam Chriſti à diuina ſciētiâ diſtingui, vt refert Magiſter, ſed cognoſcendi tantummodo: verum poteſt Fulgentius intelligi de ſcientia diuina viſionis loqui, vt ſignificet Chriſtum ſcire omnia in Verbo, quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis, quod hîc non negamus.

6 Concluſio Tertia: Anima Chriſti ea omnia in Verbo cognoſcit, quæ in Deo formaliter reperiuntur: hoc enim cum cæteris beatis commune habet, qui licet ſinguli plus aut minus penetreut, prout plus aut minus de lumine gloriæ habent, tamen omnia quæ in Deo formaliter ſunt, vident quoad id quod reale in Deo dicunt, non autem quoad habitudines omnes rationis, quas ad creaturas in particulari habēt: hoc enim poſtular comprehenſionem ipſorum, quam diximus creaturæ eſſe impoſſibilem.

7 Concluſio Quarta: Anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia quæcunque Deus nouit ſcientiâ viſionis, ſiue omnia quæ in qualibet temporis differentia extant, etiam cordis cogitationes. Eſt Diui Thomæ hic art. 2. & communis Doctorum. Probatur, quia beati ſinguli in Deo vident ea, quæ ad ſuum cuiuſque ſtatum

ſtatum pertinent; atqui ad Chriſtum omnia pertinebant in vniuerſum, quia ipſe vniuerſorum eſt conſtitutus iudex. Deinde
8 omnia illi ſubiecta ſunt; ergò &c.

Sed obijcitur, Marci 13. dicit Chriſtus de die & hora Iudicij, neminem ſcire, neque Angelos, neque Filium hominis, niſi ſolum Patrē; ergò Chriſtus vt homo nullâ ſcientiâ diem illum cognouit.

Reſpondetur Primò, Diem Iudicij ſe ſcire declarauit ſatis Chriſtus, dum eius circumſtantias vſque adeo definitè deſcripſit, vt notat Nazianzenus Oratione 1.

Reſpondetur itaque Secundò, ſatis eſſe commune apud eos qui in Legatione deueniunt, vt ſi ab illis ad quos veniunt, interrogentur de rebus domini ſui, de quibus loquendi vel exponendi non habent mandatum, vel forſitan habent inhibitionem, reſpondeant, aut dicant, ſe neſcire illa, ſcilicet in qualitate Legati, ſed dominos ſuos iſta ſcire. Quo reſpondendi, aut ſermonis genere intelligunt mox prudentiores ſignificari, quod commiſſio ipſorum non ſe extendat ad illas materias, vt de illis loquantur, ſiue interim priuatim ſciant, ſiue ignorent, atque ita tali formula reſpondendi intendant ſolum declinare reſponſionem ad quæſtiones ad quas non conuenit eis reſpondere: Sic itaq; Chriſtus miſſus Legatus à Patre, reſpondet quoque ſe ſiue Filium hominis neſcire diem illum, ſed Patrem, quia excedebat mandatum aut commiſſionem eius manifeſtare diem illum. Ita hęc verba Chriſti accipiunt D. Aug. lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 22. & lib. 1. de Trinitate c. 12. & D. Gregorius lib. 8. Regiſtri epiſt. 42. quemadmodum è contra tum Deus dicitur in Scriptura aliquando ſpecialiter cognoſcere quippiā, quando illud alios coguoſcere facit, vt dum Abrahæ Gen. 22. diceret, *Nunc cognoui, quod times Deum.*

9 Sed replicabit aliquis: Hoc ſenſu, neque Pater videbitur dicendus ſcire diem illum, quia neque ipſe ſcit ad reuelandum alijs. Reſpondetur Neg. Aſſum: Primò, quia Pater reuelat Chriſto homini, Chriſtus verò nulli alteri. Deinde Pater eſt qui nouit & poteſt, ſi ita ei placuerit alijs manifeſtare, Non ſic Chriſtus vt homo. Alij verò exiſtimāt Chriſtum dixiſſe quod Filius hominis non ſciret diem illum, quia non ex virtute naturę humanę ſcit, ſed ſcientia diuinitus ſibi data: ſic videntur intelligere Baſilius epiſt. 1. ad Amphiloc. Cyrillus lib. 8. Theſauri c. 4. Gregor. Nazianzenus orat. 35 & 36. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos, & Ambroſius ſuper caput 17. Lucæ.

10 Conclvsio Quinta: Cognoſcit anima Chriſti in Verbo, non tantum ea quę Deus nouit ſcientia viſionis, ſed etiam multa, quæ Deus nouit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Colligitur ex illis Chriſti verbis, Matth. 11. *Si in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent,* quibus ſatis indicat, ſe nouiſſe quid illi in Tyro & Sydone facturi fuiſſent, poſitâ conditione, quod Chriſtus illis cum tantis virtutibus & miraculis prædicaſſet, quod tamen factum non fuit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita?

Conclvsio Prima: Anima Chriſti non ſcit infinita ſcientiâ viſionis. 11
Eſt Diui Thomę hîc. Probatur: quia ſcientiâ viſionis non cognoſcuntur niſi quæ in aliqua temporis differentia actualem habent exiſtentiam; atqui ea ſunt numero finita; ergò non videt ſcientiâ viſionis anima Chriſti infinita. Probatur Minor, quia ſtatus generationis & corruptionis rerum aliquando incœpit, & aliquando ceſſabit; ergò res actualiter exiſtentes ſecundum quamcumque temporis differentiam, ſunt numero finitæ.

Notandum, Concluſionem D. Thomæ intelligendam eſſe de ſubſtantijs numero finitis, vt ex ratione adiuncta ſatis patet, quæ ſolum probat nunquam futuras ſubſtantias infinitas: non autem id probat de accidentibus propter operationes vitales creaturæ intellectualis. Vnde ſit

Conclvsio Secunda: Generaliter de quibuſlibet entibus loquēdo ſcit anima 12
Chriſti infinita ſcientiâ viſionis. Probatur, quia creaturæ intellectuales, vt Angelus & homo in æternum durabunt, quarum cogitationes, & affectiones cordium in infinitum ſucceſſiuè multiplicabuntur: vt expreſsè docet D. Thom. 1. Parte q. 14. art. 12. vnde ibi concludit, Deum cognoſcere infinita ſcientiâ viſionis; atqui anima Chriſti, vt dictum eſt ex Thoma art. præcedente, cognoſcit omnia, quæ Deus ſciētiâ viſionis cognoſcit; ergò &c. Quomodo autem infinita ſub cognitionem cadere poſſint, ſolet explicari primâ Parte loco citato: ſimul enim actu cognoſci poſſunt infinita vt exiſtentia, non quidem ſimul (quemadmodum neque ſimul exiſtunt) ſed vt exiſtentia ſucceſſiuè, ſic tamen, vt non cognoſcantur cum ordine, videlicet pars poſt partem: ſic enim infinitum non cadit ſub ſcientiam, quia tunc daretur in infinito primum cognitum & vltimum

Digitized by Google

mum cognitum, & innumerabilia eſſent numerata, quæ infiniti rationi repugnant: quia vbi primum & vltimum aſſignatur, ibi infinitum non eſt: ſed omnia ſimul ſine ordine vnius poſt alterum, ſic vt nihil eorum tamen ſit, quod cognitum non ſit.

13 CONCLVSIO Tertia: Anima Chriſti in Verbo cognoſcit quoq; ſubſtátias infinitas quâdam ſciẽtiâ, quaſi ſimplicis intelligentiæ. Eſt Diui Thomæ hîc: quamuis enim expreſsè non nominet ſubſtantias, tamen contextus & particula aduerſatiua Verò, quâ opponit hanc Concluſionem Concluſioni primo loco poſitæ, id ſatis ſignificant.

Probatur, quia hâc ſcientiâ ſcit omnia quæ ſunt in potentia creaturæ; atqui in potentia creaturæ ſunt infinita; ergò &c. Minorem propoſitionem quidam exponunt de infinita multitudine ſpecierum ſubſtantialium, quatenus videlicet mixtio ſimplicium corporum videtur poſſe fieri modis infinitis, interueniente præſertim influxu cælorum, qui cum ſint altioris rationis, videntur poſſe inducere generationes multiplices inferioris ordinis in infinitum, potiſſimum quando alijs & alijs modis applicãtur. Alij verò id non exiſtimantes credibile, intelligunt de multitudine infinita indiuiduorum, quæ haud dubiè in creaturę potentia continetur.

14 Obijciet aliquis, Id fieri non poſſe, quod anima Chriſti cognoſcat infinita abſque lumine infinito, & viſione infinita, ſiue infinito actu ſcientiæ. Reſpondetur Neg. Aſſump. quia hæc infinita continentur intra terminum finitum: quia ſolùm ſunt vel plura indiuidua ſub eadem ſpecie finitâ contenta, vel certè plures ſpecies ſub aliquo inferiori genere: vt v. g. plures ſpecies corporum mixtorum, quæ omnes non tranſcendunt perfectionem & eminentem continentiam cælorum, ſic vt viſis omnibus iſtis in Verbo, adhuc videatur Verbum finitè & limitatè, neque comprehendatur totum obiectum potentiæ illius. Quare, nec lumen, nec viſio debent eſſe infinita, quia horum perfectio ex primario obiecto, & ex modo quo ipſum cognoſcitur, æſtimanda eſt potius, quam ex obiecto ſecundario. Vnâ itaque viſione indiuiſibili entitatis indiuidualis perfectiſſimæ, finitæ tamen, omnia illa ſimul in Verbo anima Chriſti intelligit.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Chriſti videat Verbum, ſiue diuinam eſſentiam clarius aliâ quâlibet creaturâ?

CONCLVSIO Vnica: Anima Chriſti clarius videt diuinam eſſentiam ab initio ſuo, quam vlla alia creatura. Eſt D. Thomæ & communis. Probatur, quia viſio diuinæ eſſentiæ conuenit omnibus beatis ſecundum participationem luminis deriuati ad eos à fonte Verbi diuini; ergò vbi eſt maior illius participatio, ibi clarior eſt viſio; atqui maior eſt coniunctio animæ Chriſti cum Verbo, vtpote, quæ hypoſtaticè Verbo vnita eſt, quàm alterius cuiuſuis creaturæ cum Verbo; ergò &c. 15

Vbi notandum eſt, clariorem eſſe beatificam viſionem, non quia potentia intellectiuâ eſt perfectior, ſed quia lumen glorię maius eſt: vt ratio Diui Thomę ſupponit: Vnde quãdo in Reſp. ad Secundum dicit, Gradus in diuina viſione magis attendi ſecundum ordinem gratię, quam ſecundum ordinem naturę ibi vocabulũ, Magis, non debet intelligi comparatiuè propriè loquendo, ſed vt ſit idem quod, Potius, ſic vt vnum extremum affirmet D. Thomas & alterum neget. 16

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

De ſcientia indita, ſiue infuſa animæ Chriſti,

In ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſecundum ſcientiam inditam vel infuſam Chriſtus omnia ſciat?

1 CONCLVSIO Primà: Anima Chriſti hâc ſcientiâ infusâ cognouit omnes res naturales corporeas & incorporeas, quas cognoſcunt Angeli per ſpecies inditas. Eſt D. Thomę hîc, vt patet partim ex Corpore, partim ex Reſp. ad Tertium. Probatur, quia decebat vt anima Chriſti non tantum in Verbo, ſed etiam in proprio genere resillas modo altiori cognoſceret, quàm cognoſcantur ab Angelis: atqui cognouiſſet eas modo inferiori, ſi tantummodo eas ſciuiſſet ſcientiâ acquiſitâ aut infusa ſibi per accidens, cum ſcientia humani ingenij viribus comparabilis ſit inferior naturali ſcientiâ Angelorum; ergò &c.

2 CONCLVSIO Secunda: Per hanc ſcientiam cognouit ſingularia, tum materialia, tum ſpiritualia, intuendo non tantum eorum naturas, ſed etiam exiſtentias. Colligitur ex D. Thoma ad Tertium. Probatur, quia Angeli hęc omnia cognoſcunt ſcientiâ ſibi inditâ; atqui anima Chriſti non eſt inferior illis in vlla perfectione ad infuſam pertinente. Deinde habuit plenitudinem ſcientię ſecundum donum conſilij, vt notat D. Thomas tum in Argumento articuli, tum in Reſp. ad Tertium; ſed cognoſcere ſingularia pertinet ad perfectionem Conſilij & prudentię; ergò habuit cognitionem ſingularium omnium.

Confirmatur, quia non habuit tantùm prudentiam perfectam, commenſuratam humanę poteſtati & facultati naturali: ſed commenſuratam poteſtati excellentię, & ſupremo Dominio quod habuit ſuper res omnes quę in mundo ſunt, iuxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*; ergò &c.

CONCLVSIO Tertia: Cognouit etiam anima Chriſti hâc ſcientiâ actus liberos voluntatis & intellectus actualiter exiſtentes. Colligitur ex D. Thomà in Corpore, vbi dicit: quòd Chriſtus ſecundum hanc ſcientiam cognouerit omnia quæ per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt. Eſt communis Doctorum in Tertiũ diſt. 14. Probatur, quia quando hi actus exiſtunt, habent de ſe fundamentum ſufficiens, vt videri poſſint, ſi ex parte cognoſcentis ſit ſufficiens principium; atqui potuit dari animæ Chriſti principium ſufficiens per lumen intellectuale diuinitùs infuſum, & per ſpecies intelligibiles repręſentantes hos actus, vt in ſe ſunt; ergò dubitandum non eſt, quin huiuſmodi ſcientia Chriſto conceſſa ſit. Probatur Conſequentia, quia id maximè pertinuit tum ad Chriſti dignitatem, tum ad munus Magiſtri fidei, qui vſu huius ſcientiæ, v.g. reuelando cogitationes cordis, quàm maximè fidem confirmare poterat. Præterea pertinuit ad munus ſupremi Iudicis, qui de internis illis quoque iudicaturus eſt; ergò &c.

CONCLVSIO Quarta: Cognouit inſuper per hanc ſcientiam futura contingentia, ſiue actus futuros liberos, imò & præteritos. Indicat D. Thomas hic ad Tertium. Probatur vt prius: quia huiuſmodi ſcientia poſſibilis eſt & neceſſaria ad perfectiſſimã prudentiam & prouidentiã: Item pertinet ad completum docendi munus, illudq; perfectiſſimo modo exercendum. 4

CONCLVSIO Quinta: Cognouit quoque hac ſcientia res creatas ſupernaturales quidditatiuè, & intuitiuè per proprias videlicet earum ſpecies. Eſt communis ſententia Doctorum. Probatur, quia ob huiuſmodi res intelligẽdas potiſſimum hæc ſcientia fuit Chriſto conceſſa: decebat enim vt illas cognoſceret, non tantùm in Verbo, ſed etiam in proprio genere: quod cum fieri potuit, ſic factum eſſe omnino exiſtimandum eſt. Fieri potuiſſe probatur, quia res iſtæ quantumuis ſupernaturales ſint, tamen ſunt finitæ perfectionis; ergò repræſentari poſſunt, prout in ſe ſunt per ſpecies creatas eiuſdem ordinis, ſcilicet ſupernaturalis, & ſic quidditatiuè cognoſci lumine finito & creato. Secundò, Chriſtus auctor fuit iſtarum rerum; ergò perfectã debuit habere ipſarũ cognitionẽ. 5

Obijci-

6 Obijcitur, Gratia eſt quædam diuinæ naturæ participatio; ergò non videtur quidditatiuè poſſe cognoſci aliquâ ſcientiâ, niſi hâc ipsâ ſcientiâ cognoſcatur quoque eſſentia diuina; ſed hæc cognoſci non poteſt ſcientiâ infusâ; ergò &c. Reſpondetur Neg. priorem Conſ. quia pari ratione colligeretur, nullum ens cognoſci poſſe quidditatiuè abſque ſimili cognitione primi entis, cuius quædam eſt participatio: item nullum intellectum cognoſci poſſe, niſi cognito ſimul intellectu increato. Ratio antem negatæ conſequentiæ eſt, quia gratia non eſt participatio diuinæ naturæ, quaſi eſſet particula illius, quæ eiuſdem ſit ſubſtantiæ & rationis cum ipſa natura diuina: ſed generali quâdam ratione, licet ſpeciali magis, quã communiter omnia alia entia dicuntur quædam participatio primi entis, quatenus maiorem ſimilitudinẽ & ſingularem quandam conuenientiam cum natura diuina habet, vtpote, quæ ſit qualitas ſuperioris & diuini ordinis, & nos ſupra noſtram naturalem conditionem eleuet. Similiter actus quoque charitatis, licet in Deum tendat, vt in ſe eſt, tamen ſupernaturali lumine videri poteſt non viſo Deo: imò & ipſa viſio beatifica cognoſci poteſt hâc ſcientiâ, cum ſit qualitas creata diſtincta à Deo, & in ſe finita.

7 Sed dicet aliquis: Beatifica viſio eſt quædam ſimilitudo Dei, Deum ipſum repræſentans; ergò hæc non poterit videri hâc ſcientiâ, niſi videatur Deus ipſe. Reſpondetur Neg. Conſ. quia viſio beatifica non eſt ſimilitudo Dei obiectiua, ſed tantummodo ratio quædam, ſeu actus cognoſcendi informans intellectum: vnde licet hæc cognoſcatur obiectiuè ab alio, ſi tamen ipſa non informet intellectum à quo cognoſcitur, nõn conſtituet intellectũ hunc videntem Deum. Quod itaq; de viſione beatifica dicitur, videlicet quod ipſa cognoſcatur ſcientiâ infusâ, idem potiori ratione de lumine gloriæ dici poteſt.

8. Conclvsio Sexta: Quod ad myſterium Incarnationis attinet, ſi de eo agatur, vt includit integrum terminum, ſic non cadit ſub hanc ſcientiam, quia includit perſonam Verbi, quæ non niſi per viſionem beatificam videri poteſt; ſi autem agatur de modo vnionis qui ponitur quid creatum in humanitate Chriſti, probabile eſt eum contineri ſub obiecto huius ſcientiæ: quia eſt quid creatum, & ſic non repugnat cognoſci in proprio genere.

9 Conclvsio Vltima: Quod attinet ad Deum Trinum & vnum, docet hîc D. Thomas Chriſtum hâc ſcientiâ infusâ cognouiſſe omnia præter Dei eſſentiam: quod tamen ſic intellige, eum non cognouiſſe hâc ſcientiâ Dei eſſentiam quidditatiuè: alioquin dubium non eſt, quin etiam modo imperfecto, quo videlicet Deus cognoſcitur quoad vnitatem ſuam & eſſentialia attributa quâdam ſcientiâ, vt loquuntur, quia eſt, ſiue à poſteriori, quatenus ſcil. *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas:* ſic etiã Chriſtum hâc ſcientiâ Deum vnum ac attributa eius eſſentialia cognouiſſe: quia hâc ſcientiâ, vt ex dictis conſtat, cognouit perfectiſſimos Dei effectus clarè & quidditatiuè: per effectus autem cognoſcitur ipſe creator tanto perfectius, quanto ipſi effectus perfectiores fuerint & perfectius cogniti: nouit quoque Chriſtus hac ſcientia myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quantum attinet ad quæſtionem an ſit, idque clarius, quàm per fidem nos cognoſcimus. Non enim dicendum eſt, nos per fidem aliqua myſteria Dei cognoſcere, quæ per nullam ſcientiam viatoris Chriſtus agnouiſſet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſtus hâc ſcientiâ vti potuerit non conuertendo ſe ad phantaſmata?

Conclvsio Vnica: Potuit Chriſtus vti hac ſcientia abſque conuerſione intellectus ad phantaſmata. Eſt Diui Thomæ & communis DD. contra Durandum. 10

Probatur, quia anima Chriſti etiam in via, erat beata, non ſubiecta aut dependens à corpore in actionibus ſuis ſupernaturalibus: hæc enim poteſtas & perfectio ſpectant ad rationem beatitudinis animæ; ergò &c.

Probatur Secundò: Quia ſcientia per ſe infuſa eſt ſuperioris ordinis, & ita à ſenſibilibus abſtracta, vt ab eis nullatenus per ſe pendeat.

Sed obijciet Durandus, Perfectio recipitur ſecundum modum & capacitatem receptiui; atqui hæc ſcientia eſt perfectio animæ Chriſti ſecundum quod viator eſt: conditio autem intellectus humani pro ſtatu viæ eſt, nihil cognoſcere niſi per conuerſionem ad phantaſmata, non ſolum quoad res naturales, ſed etiam quoad ſupernaturales. Reſp. eſſe conditionem humani intellectus nihil cognoſcere, niſi per cõuerſationẽ ad phantaſmata in puro viatore, non autẽ in eo qui ſimul eſt cõprehenſor, quẽadmodum erat Chriſtus, quia cõue- 11

niens non eſt quod animâ beata in proprijs ſuis operationibus, & potiſſimum ſupernaturalibus à corpore ſit dependens. Imò verò interdum contingit per diuinam gratiam ſingularem, etiam putum viatorem eleuari ad intelligendum aliqua ſine phantaſmatibus, vt Sanctis aliquot accidiſſe creditur.

12 Notandum tamen eſt, Chriſtum potuiſſe vti hâc ſcientiâ cū conuerſione ad phantaſmata, non quidem in cognitione rerum ſupernaturalium quas clarè & intuitiuè vt in ſe ſunt, cognoſcebat, quæq; ſpecies ſenſibiles non habent: ſed in cognitione rerum ſenſibilium, quarū habebat phantaſmata: vnde poterat anima mouere & applicare phātaſiam ad imaginandum ſiue cogitandum de hiſce rebus; modo rebus ipſis accommodato.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc ſcientia fuerit collatiua?

13 CONCLVSIO Prima: Scientia hæc non fuit collatiua, quaſi per collationem ſiue diſcurſum acquiſita. Ita D. Th. hîc. Pater, quia fuit diuinitùs indita, non autem per rationis inueſtigationem comparata.

14 CONCLVSIO Secunda: Hæc ſcientia ex natura ſua non eſt diſcurſiua, neque indiget compoſitione vel diuiſione: ſed proprius eius actus eſt per modum ſimplicis intelligentiæ cognoſcere prædicatum videl. in ſubiecto, concluſionem in principijs, effectum in cauſis, & cauſas in effectu.

Probatur, quia lumen huius ſcientiæ longè excedit lumen Angelicum: item ſpecies eius repræſentant perfectè res ipſas prout in ſe ſunt, ſuntq; vniuerſaliores; ergò natura ſua præbent intellectui vim ad perfectè cognoſcendum res repræſentatas intuendo proprietates in ſubiecto, effectus in ſuis principijs, vel etiam cauſam in ſuis effectibus.

15 Vbi notandum, quantumuis interdum eliciantur fortaſſis diuerſi actus, quorum vno cognoſcatur effectus, & altero cauſa, vt quando Deus ſuo modo cognoſcitur hâc ſcientiâ in creaturis, non tamen idcirco fieri tunc propriè dictum & perfectum diſcurſum: partim quia duo illi actus ſimul habentur, partim verò & maximè quia connexio quæ eſt inter effectum & cauſam, cognoſcitur eodem actu, quo effectus vel cauſa: diſcurſus autē in eo potiſſimum videtur conſiſtere, quod diſtincto actu cognoſcatur principium, & diſtincto actu ipſa connexio quam habet cum alia re, quæ per ipſum principium cognoſcitur.

CONCLVSIO Tertia: Potuit tamen Chriſtus hâc ſcientiâ vti diſcurrendo. Eſt Diui Thomæ hîc. 16

Probatur Primò: quia poterat, inquit D. Th. Anima Chriſti ex vno aliud concludere ſicut ſibi placebat, vt ex eo quod Reges accipiant tributum ab alienis & non à filijs, cōcluſit Math. 17. *ergo liberi ſunt filij.*

Probatur Secundò ratione: quia non repugnat intellectum hâc ſcientiâ diſtinctè cognoſcere principium & diſtinctè conſiderare connexionem alicuius effectus cum tali principio, licet non ex neceſſitate vt clarius vel certius tali modo cognoſcat; ſed ſolum pro libera ſua voluntate, maximè cum neceſſarium non ſit, intellectum ſemper conſiderare omnia ſimul, quæ per eandem ſpeciem repræſentantur, ſed poſſit modo ad hæc, modo ad illa attendere.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hæc ſcientia in Chriſto fuerit maior ſcientiâ Angelicâ?

CONCLVSIO eſt: Hæc ſcientia in Chriſto maior & excellentior eſt ſciētiâ Angelicâ quoad obiectum, claritatē & certitudinē. Primò declaratur de obiecto, quia hæc verſatur circa ſupernaturalia, circa cordium ſecreta & futura contingentia quæ à cauſa libera dependunt, ad quæ omnia nō pertingit ſciētia naturalis Angeli. Secundò declaratur quoq; de claritate & perfectione, quia non tantum habet ſpecies quæ repræſentent res vt in ſe ſunt, ſed etiam habet lumen ſupernaturale multò perfectius, quàm ſit lumen pertinens ad naturam Angelicam: vnde Chriſtus hâc ſcientiâ multò perfectius quoque cognouit res omnes naturales, quàm eas cognouerit primus Parens ſcientiâ ſibi inditâ: non enim ille cognoſcebat perfectè ſubſtātias immateriales, quas Chriſtus perfectiſſimè hâc ſcientiâ intellexit: vt hîc notat D. Thomas. 17

Sed difficultas eſt: cum hæc ſcientia non requirat ex neceſſitate recurſum ad phantaſmata, neque ſit naturâ ſuâ collatiua, vt prioribus articulis dictum eſt, Quomodo D. Thom. hîc dicat, hanc ſcientiam ſecundùm id quod habuit ex ſubiecto recipiente, eſſe infra ſcientiam Angelicam: quantum ſcilicet ad modum cognoſcendi, &c. 18

Reſpon-

.eſpondetur, Id ideo videri dictum à .homa, quia intellectus humanus vt in ıtâ ſuâ, ita & in natutali modo cognoſ- di ſecundum ſe eſt inferior intellectu ;elico: & proinde quoad omnia quæ : ſcientia à ſubiecto habere potuit, eſt a ſcientiam Angelicam: nam ſi in to- ı applicanda foret ſecundũ naturalem :lligendi modum ſui ſubiecti, omnimo urrendũ foret ad phantaſmata: & faciē- eſſent diſcurſus: quæ licet ſuo modo n repugnent huic ſcientiæ vt diximus, nime tamen ſunt ei neceſſaria. Quod au- neceſſaria non ſint, nõ prouenit ex parte iecti, ſed ex parte & perfectione cau- influentis in hanc ſcientiam, & ex ipſa rfectione huius ſcientiæ, quæ lumen eſt perioris ordinis, & modo non intellectui ımano, ſed rationem ſiue actum ſuum ercet ſibi connaturali.

ARTICVLVS V. & VI.

Vtrùm hæc ſcientia fuerit habitualis? &,

Vtrùm hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus?

19 RESponſio D. Thomæ eſt affirmatiua ad vtrumque articulum. Vbi hoc obſeruandum eſt, His articulis nomen habitus à D. Thoma ſumi generaliter, tam pro lumine ſcientiæ quo intellectus eleuatur, & redditur potens ac promptus ad res intelligendas, quàm etiam pro ipſis ſpeciebus, quæ pro parte obiecti concurrunt ad intellectionem producendam. Vnde Concluſionem articuli 6. per ſolas ſpecies intelligibiles explicat, quas oſtendit plures debere poni in anima Chriſti. De lumine autem ſcientiæ, quod ex parte potentiæ ſe tenet, dicit reſponſione ad Tertium, quod lumen diuinitùs infuſum ſit communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitùs reuelantur, ſicuti & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoſcuntur. Vnde de habitu propriè dicto loquendo, videtur hic D. Thomas hanc ſcientiam ſtatuere vnum ſimplicem habitum.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm ſpecies intelligibiles ſcientiæ Chriſti infuſæ reſpondentes ſint vniuerſaliores ſpeciebus Angelicis?

20 EX communi Theologorum & Phyloſophorum ſententia ſupponēdum hic eſt, Ad intellectualem cognitionem neceſſarias eſſe ſpecies intelligibiles, quando obiectum per ſe non vnitur potentiæ intellectiuæ, neque in Verbo cognoſcitur: ſed cognoſcitur in proprio genere extra Verbum. Vnde cùm hoc modo fiat cognitio per ſcientiam infuſam, de qua agimus, conſequens eſt, eam requirere quoque ſpecies infuſas. Hoc poſito ſit

21 CONCLVSIO Prima: Species intelligibiles huius ſcientiæ ſunt plures, & non vna tantum. Eſt Diui Thomæ articulo 6. huius Quæſtionis, & communis aliorum contra Marſilium in Tertium quæſt. 10. art. 2. vbi docet, vnam tantum ſpeciem vniuerſaliſſimam inditam fuiſſe animæ Chriſti, quâ mediante omnia intelligeret quæ ſub ſcientiam infuſam cadunt: ſed quamuis hæc opinio non videatur omnino impoſſibilis, minùs tamen amplectanda eſt, quia ſingularis.

Probatur Concluſio, quia ſcientia infuſa Chriſti minus eſt perfecta, quàm beatifica, & proinde quoque minus ſimplex & vnita; ergò non per vnicam ſpeciem, ſed per plures debet obiecta ſua omnia cognoſcere.

22 CONCLVSIO Secunda: Non eſt omnino improbabile, potiſſimum propter auctoritatem Diui Thomæ & aliorum quorundam qui eum in hoc ſequuntur, quòd ſpecies intelligibiles huic ſcientiæ Chriſti deſeruientes ſint minus vniuerſales ſpeciebus Angelicis. Probatur, quia hæc ſcientia videtur dicenda fuiſſe Chriſto data modo proportionato & connaturali animæ humanæ; atqui connaturale eſt animæ vt intelligat per ſpecies minus vniuerſales, quàm Angeli; ergò &c.

23 CONCLVSIO Tertia: Longè tamen probabilius eſt, ſpecies prædictas vniuerſaliores eſſe in repræſentando, quàm ſint ſpecies Angelicæ. Ita ſenſit aliquando Diuus Thomas in Tertium diſt. 14. art. 3. Richardus ibidem art. 4. Marſilius loco cit. Suarez tomo 1. in tertiam Partem diſp. 29. ſect. 1. & pleriqne recentiores.

Probatur Primò, quia in omnibus alijs perfectionibus tum gratiæ, tum ſcientiæ ſuperauit anima Chriſti Angelos: non videtur ergò negandum, quin etiam in hâc.

Probatur Secundò, quia Chriſtus per hanc ſcientiam format conceptum longè perfectiorem de rebus, non tantùm ſupernaturalibus, ſed etiã de naturalibus, quàm Angeli formare poſſint, vt ex antè dictis conſtat, perfectiorem, inquam, & in claritate, & in certitudine, quæ à lumine habitus proueniunt, & ſimul in altiori & ex-

preſſiori repræſentatione, quæ à ſpecie ipſâ per ſe procedit; ergò ſpecies huiuſmodi obiectorũ non tantum ſupernaturaliũ, ſed etiam naturalium inditæ ſunt animæ Chriſti perfectiores & altioris ordinis, quàm habeãt Angeli, & conſequenter etiam vniuerſaliores: quia eadem videtur omnium ratio.

24 Vnde ad rationem Diui Thomæ pro parte oppoſita reſponderi poteſt, hanc ſcientiam non eſſe inditam animæ Chriſti iuxta naturalem eius capacitatem, ſed iuxta capacitatem obedientalem, vt Diuus Thomas expreſsè docet art. 1. huius quæſtionis, ita vt per hanc ſcientiam plura ſciuerit anima Chriſti, quàm vlla alia creatura cognoſcat. Quare conueniens fuit, vt conſequenter cætera quæ diuinitùs animæ Chriſti erant conferenda ad exercitium actus huius ſcientiæ, infunderentur non commenſurata vi intellectiuæ ſecundum ſe, ſed proportionata illi vt ſublimatæ hoc ſupernaturali lumine: quod cum ſuperioris ſit ordinis & vniuerſalioris obiecti, quàm ſit naturale lumen Angelicum, debuerunt quoque ſpecies ſublimiores & vniuerſaliores infundi ad actum huius ſcientiæ, quam ſunt ſpecies per quas naturaliter intelligunt Angeli.

Neque hic facienda eſt diſtinctio inter ſpecies quæ ſeruiunt huic ſcientiæ in cognoſcendis rebus ſupernaturalibus, & inter eas, quæ ſeruiunt illi in naturalibus, quia cum tam vt verſatur circa naturalia: quàm vt verſatur circa ſupernaturalia; ſit ipſa ſupra vires naturę & ſupernaturalis ordinis, ac ſimiliter vterque actus ſit quoque talis, debent etiam ſpecies tam ad naturalia cognoſcenda hâc ſcientiâ, quàm ad ſupernaturalia eſſe ſupernaturales, & proportionatæ ipſi ſcientiæ & actibus eius. Et hinc earum perfectio & vniuerſalitas deſumẽda ſunt, non ex connaturali modo intelligendi animæ humanæ, neque ex conditione partialis obiecti quod eſt quid naturale: ſed ex proportione ad lumen talis ſcientiæ, & ad intellectum hoc lumine illuſtratum, eiuſque obiectum primarium, quod ſunt res ſupernaturales.

25 Sed dicet aliquis, Etiam actus Fidei eſt ſupernaturalis, & procedit à lumine ſupernaturali, & tamen ſpecies naturales ad illum deſeruiunt? Reſpondetur cum Suarez loco ſuprà citato, non eſſe hîc ſimile: quia per actum fidei nõn cognoſcitur obiectum creditum prout in ſe eſt, quemadmodum cognoſcitur per hanc ſcientiam infuſam. Vnde, inquit, probabile eſt, ſpecies non concurrere immediatè ad iudicium fidei quod ſupernaturale eſt: ſed tantum ad apprehenſionem quæ antecedit, & naturalis eſt; in ſcientiâ verò infuſâ ſpecies concurrunt ad perfectam rei cognitionem, quæ ſimul eſt perfecta apprehenſio & obiecti cognitio.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrùm præter ſpecies intelligibiles inditas inſuper agnoſcendus ſit habitus per ſe infuſus?

26 RESpondetur affirmatiuè. Colligitur ex D. Thoma hic art. 6. vbi dicit Lumen diuinitùs infuſum eſſe communem rationem cognoſcendi, ſpecies verò eſſe diuerſas & puras. Idem docet Bonauent. in Tertium diſt. 14 art. 3. qu. 2. Ibidem Richardus art. 3. qu. 4. & plerique alij. Probatur, quia naturalis vis intellectiua animæ Chriſti de ſe erat inſufficiens ad eliciendos actus huius ſcientiæ, qui ſunt ſupernaturales; ergò debuit eleuari virtute aliquâ ſupernaturali ſibi intrinſecâ & permanente, quam Doctores vocant habitum. Dico virtute ſupernaturali & permanente: quia licet intellectus animæ Chriſti potuiſſet eleuari auxilio aliquo ſupernaturali tranſeunte, quo mediante fuiſſet potens ad huiuſmodi actus cognitionis eliciendos, tamen magis conueniebat dignitati Chriſti, vt permanenter & intrinſecè intellectus eius lumine ſupernaturali eſſet informatus & ſublimatus. Neq; dici poteſt ſufficienter eleuari per ſpecies intelligibiles infuſas, quia actiuitas potentiæ & actiuitas ſpeciei ſunt diſtinctæ & diuerſarum rationum: nam ſpecies confert cauſalitatem requiſitam ex parte obiecti, quam videlicet obiectum præſtaret ſi per ſe vniretur potentiæ: vnde huius tantùm ſupplet efficientiam: debet autem vtrumque principium eſſe completum & ſufficiens. Quare defectus qui eſt ex parte potẽtiæ cui deeſt virtus proportionata ad eiuſmodi actus, debet ſuppleri aliâ aliquâ virtute quæ ſe teneat ex parte ipſius potentiæ. Et hinc neceſſariò ponendus eſt habitus in intellectiua potentia animæ Chriſti.

27 Confirmatur exemplo voluntatis: hæc enim indiget virtute aliquâ ſupernaturali eam eleuante ad operandum actum proportionatum obiecto ſupernaturali ſupernaturaliter cognito, quia non habet vim naturalem ſufficientem ad actum tali obiecto proportionatum eliciendum; ergò ſimiliter intellectus egebit huiuſmodi habituali virtute: quia poſitâ duntaxat ſpecie infuſâ per quam veluti applicatur obiectum, manet ipſe adhuc in ſuo ordine videlicet principij elicientis actum, omninò inſufficiens.

Obijciet

28 Objiciet aliquis, In ſcientia Angelorum non datur habitus diſtinctus à ſpeciebus; ergò nec videtur ponendus in anima Chriſti. Reſpondetur Negando Conſequentiam: quia in Angelis virtus potentiæ eſt in ſuo ordine ſufficiens & accommodata ad actus ſcientiæ ſibi connaturalis, ad quos naturalem habet proportionem abſque omni impedimento: intellectus autem naturalis animæ Chriſti non eſt proportionatus per ſe actibus huius ſcientiæ infuſæ, vt dictum eſt: vnde & in Angelis ponendus eſt habitus ſcientiæ ſupernaturalis, quâ eliciunt ſiue cognoſcunt res ſupernaturales in ſe ipſis, quia illorum intellectus nudè conſideratus, non eſt quoque proportionatus rebus illis intelligendis.

DVBIVM TERTIVM.

An hic habitus ſit vna ſimplex qualitas?

29 RESpondetur: Quidam exiſtimant non vnam ſimplicem eſſe qualitatem, vt Bonauentura loco ſuprà citato, & Caietanus in Prima Secundæ quæſt. 34. art. 4. Sed probabilior videtur ſententia eorum, qui docent hunc habitum eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Ita indicat D. Thomas hîc art. 6. ad Tertium, & expreſsè docet in Tertium diſtinct. 14. Richardus & Marſilius locis ſuprà citatis, & alij plures.

Probatur, quia hic habitus ſcientiæ infuſæ eſt altioris ordinis quam lumen Angelicum; ergò videtur etiam eſſe principium vnum vniuerſalius: & per conſequens ſub obiecto ſuo comprehendere omnia illa quæ lumen Angelicum attingere poteſt, & inſuper ea quæ lumen hoc excedunt tanquam quæ ad ordinem ſupernaturalem pertinent, ad quem habitus ſcientiæ infuſæ per ſe quoque pertinet: quemadmodum lumen naturale intellectus noſtri in ſe vnum & ſuperioris ordinis complectitur ſub obiecto ſuo omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, & inſuper res alias intelligibiles ſui ordinis, & ſibi proportionatas. Neque obſtat quod Diuus Thomas art. 6. admittat plures habitus huius ſcientiæ, quia vt antea præmonuimus, ibi ſub nomine habituum intelligit ſpecies intelligibiles infuſas, vt textus per ſe ſatis manifeſtat: neque ex pluralitate ſpecierum inferri poteſt pluralitas habituum ipſius ſcientiæ, quia cum habitus ſe teneat ex parte potentiæ illam perficiens, ex genere ſuo eſt principium vniuerſalius, quàm ſit ſpecies quæ ſupplet vicem obiecti, à quo potentia vel habitus ſolet ad talem, vel talem actum determinari, cum alioquin ex ſe indifferentia & indeterminata ſint.

QVÆSTIO XII.

De ſcientia animæ Chriſti acquiſita.

QVæ Diuus Thomas hac Quæſtione duodecimâ per quatuor Articulos tractat: *Vtrùm* ſcilicet, *ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus cognouerit omnia?* &, *Vtrùm in ea profecerit?* deinde, *Vtrùm aliquid ab homine didicerit?* &, *Vtrùm* denique *ab Angelis aliquid acceperit?* Habentur explicata ſufficienter ſuprà Quæſt. 9. Art. vltimo.

Digitized by Google

QVÆSTIO XIII.

De Potentia animæ Chriſti,

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter?

1 Conclvsio Diui Thomæ eſt: Impoſſibile eſt animam Chriſti habere omnipotentiam, videl. ſimpliciter, vt Articulus proponitur.

Probatur Primò: quia Scripturæ ſignificant omnipotentiam eſſe Deo abſolutè propriam, quâ omnem creaturam excellit: Exodi 15. *Iſte Deus meus*, &c. *omnipotens nomen eius*: Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt: Ipſe mandauit, & creata ſunt*: & alibi, *Quæcumque voluit fecit*; atqui per vnionem hypoſtaticam non eſt facta naturarum & naturalium proprietatum aut facultatum confuſio, ſed vtraq; natura ſeruauit ſuum eſſe eſſentiæ & ſuas naturales proprietates; ergò omnipotentia non poteſt ſimpliciter dici competere animæ Chriſti.

Confirmatur, quia potentia cuiuſque rei ſequitur formam eius: ergò infinita potentia ſequitur formam infinitam; ſed anima Chriſti finita eſt; ergò non poteſt infinitam habere potentiam.

2 Probatur Secundò: Omnipotentia duo includit, Vnum quod extendat ſe ad omne factibile, ſiue ad omne id quod entis rationem poteſt habere: Alterum eſt, quod ſit in agendo virtus principalis, & independens à concurſu ſuperioris cauſæ; atqui neutrum horum poteſt competere animæ Chriſti: Non prius, quia euidens eſt quod non poſſit attingere aliquâ cauſalitate efficiendi ſui ipſius creationem, quidquid ſit de alterâ quæſtione, an creatura poſſit inſtrumentaliter attingere creationem alterius creaturæ.

3 Non etiam poſterius, quia hoc ipſo quo creatura eſt, dependet neceſſariò vti in ſuo eſſe, ita & in ſuo operari à prima cauſa Deo.

Quare dum Sancti Patres aliquando Chriſto homini attribuunt omnipotentiam, id intelligendum eſt vel per communicationem idiomatum, vt quod Diuus Ambroſius ſuper caput 1. Lucæ, ad illa verba, *Hic erit Magnus*, ſcribit, Potentiam, inquit, quam Dei Filius naturaliter habet, homo ex tempore erat accepturus: Quemadmodum id interpretatur hîc D. Thomas: quia videlicet ratione vnionis hypoſtaticæ factum eſt, vt hic homo verè omnipotens dici poſſit, ſicuti verè dicitur Deus: vel intelligendum eſt, non de omnipotentia ſimpliciter, ſed de quâdam omnipotentiâ ſecundum quid, quatenus videlicet ipſi humanitati propter hypoſtaticam vnionem communicata eſt ſpecialis virtus operandi opera Deo propria, tanquam inſtrumento & organo diuinitatis. Quo autem ſenſu, an priori, an poſteriori verba Patrum intelligenda ſint, ex circumſtantijs textus dijudicandum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum?

Conclvsio Prima Diui Thomæ eſt: Anima Chriſti habuit potentiam ad omnes effectus, qui vel ſecundum vires naturales, vel ſecundum virtutem gratuitam ſiue infuſam, animæ humanæ poſſunt aliquo modo eſſe connaturales. 4

Probatur Primò prior pars: quia habuit Chriſtus humanam naturam integerrimam, & perfectiſſimam quoad omnes vires naturales, & naturales earum functiones; ergò &c.

Probatur pars poſterior, quia habuit Chriſtus plenitudinem gratiæ & veritatis: & proinde omnia gratiæ & ſcientiæ dona, quibus anima intrinſecè poteſt perfici, vt ſit principium ſupernaturale ad effectus ſupernaturales operandos, ſiue circa ſe, ſiue circa alios: vnde etiam alias intellectuales creaturas poteſt illuminare vt hîc Diuus 5

Digitized by Google

Diuus Thomas ſpecialiter notat: nam inter alios humani ingenij effectus etiam vnus eſt aliorum inſtructio & illuminatio, non quidem per luminis infuſionem, ſed per obiecti conuenientem propoſitionem. Quo etiam ſenſu intelligendum eſt, quod anima Chriſti Angelos illuminet, per ſpiritualem videlicet locutionem & obiecti propoſitionem. Quod ſi verò dicatur etiam illuminare, lumen infundendo, id cenſebitur facere tantum vt inſtrumentum diuinitatis, non per modum virtutis alicuius principalis.

6 CONCLVSIO Secunda: Habuit inſuper anima Chriſti, vt inſtumentum Verbi, virtutem ad omnes immutationes miraculoſas conducibiles ad Incarnationis finem, qui eſt inſtaurare omnia, quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terris: vt hic Diuus Thomas adiungit. Differentia inter hanc Concluſionem & præcedentem eſt, quòd in præcedente agatur de ijs effectibus, quos poteſt anima Chriſti operari tāquam cauſa principalis ſiue per vires naturæ, ſiue per formam ſupernaturalem ſibi ſuperadditam & proportionatam eiuſmodi effectibus; in hac verò de ijs, quos potuit operari vt merum inſtrumentum diuinitatis.

7 Ponit autem D. Thomas hanc Concluſionem abſque probatione, tanquam ſatis certam ex ipſo fine Incarnationis, non enim debuit deeſſe virtus adhibendi media opportuna, quibus homines ad fidem & ad ſalutem adducantur illi, quem Deus miſit vt mundus ſaluetur in illo. Et patet idem ex innumeris miraculis, quę per humanitatem ſuam operatus eſt Chriſtus: neque dę veritate illorum dubitari poteſt: duo enim requiruntur ad miraculi veritatem: Vnum vt extraordinarium, inſolitumque ſit: Alterum, vt per cauſas naturales fieri nequeat ſiue quoad ſubſtantiam effectus, ſiue ſaltem quoad modum quo fit: conſtat autem vtrumque in mirabilibus Chriſti operibus concurriſſe: nam & cæci à natiuitate illuminatio, & mortuorum ſuſcitatio, & alia ſimilia inſolita ſuut, & per vires naturæ fieri non poſſunt.

8 Idem confirmari poteſt ex modo ea faciendi: quia fecit illa ſubitò, ſolo imperio, abſque reſiſtentia & mora: neque loci diſtātia repediri aut retardari potuit. Vnde tam euidentia hæc fuerunt, vt ne capitales quidem hoſtes eius negare potuerint operum & effectuum veritatem, licet per calumniam conati fuerint ea dæmonio aliquando adſcribere. Adfuit verò hæc virtus animæ Chriſti, non quaſi in tranſitu, ſed permanenter ad inſtar habitus: hoc enim modo decebat hanc poteſtatem concedi naturæ illi, quæ in diuinā ſubſiſtebat perſonā; atq; adeò quæ erat natura diuinæ perſonæ per vnionem. Vnde in hoc alios omnes qui miraculorum dono claruerunt, longè ſuperauit: quia iſti ſolum per modum actionis tranſeuntis, non ita conſtanter habebant diuinam virtutem ſibi aſſiſtentem, vt quouis momento quamcumque miraculoſam operationem poſſent efficere, quęadmodum Chriſtus Dominus qui tanquam vniuerſalis auctor ſalutis & Caput totius vniuerſi omni occaſione operabatur diuina concurrente virtute, quæcumque volebat. Vide Diuum Gregorium lib. 2. Dialogorum cap. 33. Et quoniam hæc gratia animæ illi conceſſa fuit tanquam proprietas quædam quaſi naturaliter debita ratione hypoſtaticæ Vnionis, hinc facilè intelligitur ei competiiſſe quaſi in actu primo ab initio ſuæ creationis, vt docet Anſel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 13. Quando autem primò fuerit hac poteſtate vſus Chriſtus non ita certum eſt.

CONCLVSIO Tertia: Non habuit anima Chriſti potentiam in creaturas vt eas poſſet in nihilum redigere. Eſt quoq; D. Thom: quia hæc potentia correſpondet potentiæ creandi: ſed Deus ſolus poteſt creare; ergò etiam annullare. Hinc infert conſequenter animam Chriſti non habuiſſe reſpectu immutationis creaturarū omnipotentiam: quia non quamlibet immutationem, puta non annullationē creaturę potuit attingere. Quòd intellige ex mente D. Thomæ, ne quidem vt diuinitatis inſtrumentum: Quòd enim hoc ſenſu Concluſio intelligenda ſit, ſatis conſtat ex oppoſitione huius ad Secundam Concluſionem. 9

Solet hoc loco diſputari de modo quo humanitas Chriſti ad effectus ſupernaturales & opera miraculoſa concurrat, an vt cauſa moralis tantū, an verò etiā vt cauſa phyſica: & ſi tanquam phyſica, an vt principalis, an vt inſtrumentaria. Item qua virtute, & quid illa virtus ſit. Sed quia infrà quæſt. 62. art. 4. vbi inquiritur, An in Sacramentis ſit virtus gratiæ cauſatiua, eędem ferè difficultates recurrunt, ideò totam hanc diſputationem in locum illum reijcimus, ne vel eadem ſæpius veniant repetenda, vel doctrina vtrobique ſit incompleta. 10

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis?

11 NOn inquirit hic Diuus Thomas: Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam ad omnem corporis ſui immutationem tam generaliter vt immutatio etiam annullationem comprehẽdat: quia articulo præcedente generaliter determinauit animam Chriſti non habere potentiam ad creaturæ annullationem. Sed inquirit, an habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis, id eſt, ad quamlibet corporis ſui diſpoſitionem introducẽdam. Hoc poſito. Reſpondet Diuus Thomas duabus Concluſionibus.

12 CONCLVSIO Prima eſt: Anima Chriſti propriâ naturali virtute non habuit omnipotentiam circa proprium corpus. Probatur, quia ſicuti non poterat ſolis viribus naturę humanę corpora extrinſeca immutare ab ordine & curſu ſuo, ita neq; viribus illis ſolis poterat in corpus ſuum quamcumque diſpoſitionem aut formam introducere: anima enim ſecundum propriam naturam habet determinatam & virtutem, & proportionem ad corpus: vnde neque ſub quantalibet magna qualitate, neque ſub quantalibet minima naturaliter poteſt in corpore ſubſiſtere. Neque obſtat quod Chriſtus ſecundum animam ab initio conceptionis fuerit beatus: nam animę beatorum quamuis habituræ ſint magnam poteſtatem & imperium in corpus, non tamen omnipotentiam habebunt in illud, vt poſſint quomodolibet de eo diſponere: neque enim ſuâ virtute poſſunt introducere vel quamlibet magnitudinem, vel quamlibet etiam figuram, potiſſimum in organa ſenſuum: neque rurſum ea deſtruere, & deſtructa reparare. Demùm quamuis anima Chriſti eſſet beata, tamen ex diuina diſpenſatione corpus eius erat paſſibile & mortale: non poteſt autem anima glorioſa virtute ſuâ naturali omnia circa corpus paſſibile, quod poteſt circa corpus glorioſum: quia in paſſibili plures ſunt conditiones repugnantes certis operationibus & motibus quàm in glorioſo.

13 CONCLVSIO Secunda: Anima Chriſti tamen vt inſtrumentum Verbo vnitum in perſona, habuit omnimodam poteſtatem in corpus ſuum quoad omnem eius diſpoſitionem. Vbi nota quod D. Thomas non dicat, Quoad omnem immutationem, ſed tantum quoad omnem proprij corporis diſpoſitionem: quia cum Articulo præcedente docuerit generaliter (vt diximus) animam Chriſti non habere virtutem ad creaturarũ annullationem, quemadmodũ habet ad operationes miraculoſas, virtutẽ inſtrumentalẽ videlicet, hic ſibi contradiceret, ſi hanc Concluſionem etiam ad corporis ſui annullationem extenderet.

Probatur nunc Concluſio: quia anima Chriſti, vt inſtrumentum Verbi potuit immutare diſpoſitiones corporum extrinſecorum, vt ex eius miraculis paſſim conſtat; ergò idem quoq; potuit circa corpus proprium. Quod etiam ex factis confirmari poteſt: quia ambulauit ſupra aquas, reddidit corpus ſuum inuiſibile, exhibuit illud ſplendidum inſtar Solis: quæ licet nata eſſent conſequi in corpore ad gloriam animæ, tamen præſuppoſito quod per diuinã diſpenſationem corpus remanſerit paſſibile, non poterunt ea per ſolas vires animę in corpore produci abſque peculiari diuina virtute.

Obſeruandum hic eſt cum D. Thoma: quandoquidem virtus actionis non ſoleat propriè tribui inſtrumento, ſed agenti principali, ideo quoq; huiuſmodi omnimodam poteſtatem in corpus magis attribuendam eſſe Verbo, quam animæ Chriſti.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis?

CONCLVSIO eſt affirmatiua: Quæcumque voluit anima Chriſti volun- 14
tate ſimpliciter abſolutâ, ea potuit: quæ voluit vt per ſe implenda, potuit ſuâ virtute, quæ voluit vt adimplenda virtute diuinâ, potuit vt inſtrumentum Verbi. Probatur, quia repugnat ſapientiæ animæ Chriſti, vt aliquid abſolutâ voluntate vellit, quod nullo modo ad ſuæ voluntatis arbitrium facere poterat, neque alius ad eius voluntatem erat facturus. Vnde D. Aug. in quæſtionibus noui & veteris Teſtamenti quæſt. 77. Impoſſibile eſt, inquit, vt Saluatoris voluntas non impleatur: nec enim poteſt velle, quod ſic fieri non deberet.

Obijcitur, Marci cap. 7. dicitur, quod 15
Chriſtus ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere; ergò non habuit omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis. Quod autem ibi ſermo fit de voluntate abſoluta, & non de aliqua ineffaci

Digitized by Google

ineffaci aut velleitate. Probatur, quia Agato Papa epiſt, ad ſextam ſynodum, ex hoc loco probat in Chriſto fuiſſe humanam voluntatem, eo quod diuina voluntas ſemper impleatur: vnde de voluntate abſoluta intelligi debet, quia etiam voluntas diuina antecedens, vel aliàs non abſoluta, non quoque ſemper impletur. Reſpondetur Neg. Conſ. & ratio eſt: quia agitur quidem de voluntate abſoluta, ſed aliquo modo reſtrictâ, vt ſenſus ſit, quod abſolutè voluerit neminem ſcire, quantum per ſe ſeu viribus illius voluntatis, & potentijs ac medijs illi naturaliter ſubiectis humano more curare potuit: vt indicat Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 7. & per hæc tamen non potuit latere. Hoc verò de voluntate diuinâ dici non poteſt, quia quod Deus vult abſolutè, etiam cum tali reſtrictione, quantum poteſt id præſtare viribus ſuæ voluntatis, id ſemper adimpletur. Voluit itaque Chriſtus latere modo explicato, non tamen voluntate abſolutâ ſimpliciter, quia non deerāt voluntati eius humanę diuina aſſiſtētia, & virtus, quibus potuiſſet efficere vt lateret, ſi ſimpliciter abſolutâ voluntate voluiſſet.

QVÆSTIO XIV.

De defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei,

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Filius Dei in humana natura aſſumere debuerit defectus corporis?

1 Corporis defectus hîc intelliguntur illi ſoli, qui corpori conueniunt vt corpus merè naturaliter agit aut patitur; non ex cognitione ſenſus aut intellectus. Qui enim ſequūtur cognitionem, tametſi in corpore recipiantur, cenſentur tamen Quæſtione ſequente inter defectus animæ. Hic itaque agitur de paſſibilitate, mortalitate, fame, ſiti, incaleſactione, frigefactione, & ſimilibus.

2 Conclvsio D. Thomæ eſt: Conueniens fuit corpus aſſumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus ſubiacere. Probatur Primò, quia id conueniens fuit ad finem Incarnationis; ad hoc enim Filius Dei carnem aſſumpſit, vt pro debitis humani generis ſatisfaceret; atqui conuenientiſſimus modus ſatisfaciendi pro altero eſt, vt ſatisfaciens non tantùm ſecundum rationem merendi promereatur alijs veniam, ſed etiam quantum abſque incommodis fieri poteſt, ipſe luat & exoluat debitum quaſi in ſpecie, cui alter obſtrictus eſt; ergò cum abſque indecentiâ & ſine impedimento maioris boni potuerit Filius Dei in corpore aſſumpto admittere hos defectus & infirmitates, conueniens fuit ipſum tale corpus aſſumere, vt ſic etiam pœnas humani generis in ſpecie poſſet luere & exoluere.

Dico, Quantum ſine incommodis fieri poteſt: nam ideo Chriſtus non admiſit noſtram ignorantiam & procliuitatem ad peccatum, quia hæc dedecent perſonam Filij Dei, & magis nata ſunt impedire finem Incarnationis, quàm promouere, vt infrà oſtenditur.

Sed objiciet aliquis: Videbitur ſaltem ſimili argumento probari, conueniens fuiſſe, quod Chriſtus pateretur pœnas inferni. Reſpondetur Neg. Aſſump. quia pænæ inferni conuenienter ſuſtineri non poſſunt, niſi ab ijs qui finaliter impænitentes in peccatis mortui & obſtinati incapaces ſunt omnis ſatisfactionis voluntariæ ex charitate, aut amore iuſtitiæ, Deo exhibēdæ: Vnde neque viatoribus conſtitutæ ſunt, quamdiu viatores ſunt; minimè ergò decebat Chriſtum has pœnas ſubire: ſed eas tantum quæ ex bono affectu condignæ ſatisfactionis præſtandæ pro iniurijs illatis voluntariè ſuſcipiuntur aut tolerantur. 3

Probatur Concluſio Secundò: quia id etiam conueniens fuit, vt magis confirmaretur veritas Incarnationis, & clarè demonſtraretur Chriſtum verum hominem eſſe; non enim agnouerant homines naturam humanam, niſi paſſibilem, mortalem, fami, ſiti, & cæteris defectibus obnoxiam, 4

quibus

quibus ſi Chriſti corpus ſubiectum non fuiſſet, magna fuiſſet data occaſio dubitandi de veritate humanæ naturæ Chriſti.

Probatur Tertiò: Quia conducebat etiam vt nobis Chriſtus daret exemplum patientiæ, fortiter videlicet & patienter ſuſtinendi has infirmitates corporis ſiue ab intrinſeco prouenientes, ſiue ab extrinſeco illatas, vt verbera, & vulnera, & mortem, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 12. *Suſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.*

4 Obſeruandum tamen hîc eſt contra Durandum in Tertium diſt. 15. q. 1. nu. 6. quòd licet corpus Chriſti infirmitatibus prædictis ſubiaceret, fuerit conuenientiſſimum ad ſatisfaciendum pro nobis, tamen non fuiſſe hos defectus ad id abſolutè neceſſarios: quia in primis potuiſſet vno actu amoris ſolo ſufficienter nos redimere per modum meriti. Deinde potuiſſet etiam pro culpa, & iniuria Deo illata ſatisfacere per actum reuerentiæ & obſequij, ac humiliationis erga Deum: quandoquidē hic modus admodum conueniens ſit ad recompenſandam iniuriam honori alterius illatam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſtus neceſſitatem his defectibus ſubiacendi aſſumpſerit?

5 SEnſus Articuli eſt: Vtrùm Chriſtus aſſumpſerit corpus in ea diſpoſitione, ex quâ neceſſariò conſequebatur vt defectibus illis, quaſi in actu ſecundo ſubiaceret.

Priuſquam D. Thomas reſpondeat, præmittit diſtinctionem neceſſitatis. Nam alia eſt neceſſitas quæ prouenit ab intrinſeco, conſequens videl. rei principia ſcil. materiam vel formam; alia eſt neceſſitas coactionis, quæ ab extrinſeco infertur voluntati. Hac diſtinctione poſita, Sit

6 Conclvsio Prima: Chriſtus aſſumpſit naturalem neceſſitatem his defectibus ſubiacendi. Probatur, quia aſſumpſit corpus conſtans elementis contrarijs, quemadmodū noſtrum conſtat: neq; eorū in ſe inuicē actiones, paſſioneſq; in eo erant impeditæ per altiorem cauſam; ergò naturali neceſſitate ſubiacebat corpus eius legibus mortalitatis. Rurſum: Corpus eius ſuo etiā conſtabat naturali calore, qui ibi operationem ſuam exercebat, ſicuti in nobis: & proinde cibo, potuque naturaliter indigebat: quibus deficientibus, fames & ſitis ſubſequebantur, & niſi tandem ſubminiſtrarentur, etiam calor ipſe naturaliter defecturus erat.

Conclvsio Secunda: Non tamen Chriſtus paſſus eſt illos defectus in corpore ſuo ex neceſſitate coactionis. Probatur, quia non eſt illos paſſus volūtate ſuâ repugnante: In primis non repugnante diuina, vt per ſe manifeſtum eſt, quia voluntate diuinâ factum eſt, quod Verbum aſſumpſerit corpus paſſibile. non repugnante etiam voluntate eius humanâ, quia licet ſolis viribus naturalibus huius voluntatis non poſſet omnes infirmitates excludere, potuiſſet tamen excludere vt erat inſtrumentū Verbi: ſed etiam hâc voluntate magis elegit eas admittere, vt per ipſarum tolerantiā, & corporis pœnalitates Deo pro nobis ſatisfaceret & ſatiſpateretur. 7

Sed objiciet aliquis: Quamuis non repugnaret his appetitus rationalis humanitatis Chriſti, tamen repugnabat appetitus eius naturalis, quatenus cuiuſlibet rei natura naturaliter refugit ſibi noxia, & ſui corruptiua; ergò etiam ex neceſſitate coactionis ſuſtinuit Chriſtus illos defectus. 8

Reſpondetur Neg. Conſ. Quia neceſſitas coactionis propriè loquendò dicit reſpectum ad voluntatem rationalem; quatenus hæc aliquid inuita & repugnans patitur, videlicet in ijs quæ eius imperio ſolent ſubiacere. Vnde naturalis reluctatio naturæ non dat illi neceſſitati neque nomen, neque rationem neceſſitatis coactionis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Chriſtus defectus illos corporales contraxerit?

COnclvsio Diui Thomæ eſt negatiua. Probatur, quia in Verbo contrahere intelligitur ordo quidā effectus ad ſuam cauſam, vt videl. quis dicatur illud contrahere, cui ex quadam neceſſitate fit obnoxius ob eius admiſſam cauſam; atqui in Chriſto non habet locum cauſa horum defectuum, ad quam neceſſitate aliquâ conſequuntur; ergò eos non contraxit. Probatur Subſumptum, quia ſpectatâ primâ hominis conditione, cauſa horum in humano corpore eſt peccatū, quod omnes in Adamo commiſerunt; atqui Chriſtus in Adamo non peccauit; ergò &c. 9

Objicitur Primò, Originalis cauſa horum defectuum eſt naturalis conſtitutio humani corporis ex principijs contrarijs, vnde etiam in ſtatu nudæ naturæ corpus illis 10

ills fuiſſet ſubiectum; ſed Chriſtus admiſit in ſe hanc cauſã; ergò videtur propriè & verè illos contraxiſſe. Reſpondetur Neg. Conſ. Primò, quia ordo ille effectus ad cauſam, quem dicit D. Thu. ſignificari in verbo Contrahere, non eſt ad quamlibet cauſam, ſed propriè ad cauſam aliquam acceſſoriam ad naturam: non autem ad ipſammet naturam. Deinde ipſa natura corporis humani per originalem iuſtitiam fuit ab illa neceſſitate liberata, ſed per peccatum rurſum eſt defectibus illis facta obnoxia: & propterea dixi, quod ſpectatâ primâ hominis conditione, cauſa iſtorum defectuuũ humani corporis ſit peccatum: Chriſtus autem conſideratur aſſumpſiſſe naturam humanam in illa puritate in qua erat in ſtatu innocentiæ, à qua natura defectus illi erant excluſi per originalem iuſtitiam: vnde defectus illos potius dicendus eſt Chriſtus voluntate admiſiſſe, quàm etiam ex naturæ conſtitutione quomodolibet contraxiſſe.

11 Obijcitur Secundò: Beata Virgo concepta fuit ſine peccato originali, & tamen verè ac propriè dicitur contraxiſſe hos defectus; ergò videtur idem dicendum de Chriſtio.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia licet probabiliter & piè teneatur Beatam Virginem in conceptione ſua non fuiſſe actu infectam labe quaſi habituali peccati originalis, tamen omnino certum eſt, quod ipſa quoque in Adamo peccauerit, quemadmodum cæteri homines: iuxta illud B. Pauli Apoſtoli ad Romanos capite 5. *In quo omnes peccauerunt*: & quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Potuit itaque diuinitùs & per merita filij ſui præſeruari à contractione illius labis, cui alioquin contrahendæ ob peccatum in primo parente admiſſum, ex neceſſitate ſubiacebat: & non præſeruari ac liberari à contractione aliorum defectuum, qui ex eodem peccato, neceſſitate quâdam in totam naturam humanam promanant, atq; ita propriè eos contraxit: Chriſtus verò, non ſolum non eſt conceptus in peccato originali, ſed neque in Adamo peccauit, quia ab eo ſecundum ſeminalem rationem non deſcendit, ſicuti Beata Virgo: vnde neque habuit neceſſitatem ſubiacendi maculæ peccati originalis, neque alijs defectibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Chriſtus omnes defectus corporales aſſumere debuerit?

12 CONCLVSIO Prima: Generaliter loquendo de corporalibus hominum defectibus, non debuit eos Chriſtus aſſumere. Eſt D. Thomæ. Probatur, quia illos tantum defectus debuit aſſumere, qui ex communi peccato totius naturæ ſequuntur, & non impediunt plenitudinem gratiæ & ſcientiæ: vnde neque omnes defectus animæ aſſumpſit, vt Quæſtione ſequente explicabitur, quia non illos qui aduerſantur plenitudini ſcientiæ & gratiæ, vt ſunt ignorantia & procliuitas ad malum; ergò neque debuit generaliter omnes infirmitates humani corporis aſſumere. Quia licet omnes non contrarientur dictis perfectionibus, alia tamẽ ſubeſt ratio: quia non omnes ſequuntur ex communi peccato tutius naturæ, ſed quædã ex particularibus cauſis, vt ſunt lepra, morbus caducus, & ſimilia: aliquando quidem, vt ait D. Tho. ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: aliquando ex defectu virtutis formatiuæ: quorum neutrum habuit locum in Chriſto, quia ipſe nihil inordinati in vitæ regimine exercuit, & caro eius de Spiritu Sanctu concepta eſt, qui infinitæ eſt ſapientiæ & virtutis. Vnde & totus corporis Chriſti habitus fuit maximè compoſitus, & decentiſſimæ formæ ſecundum exigentiam humani virilis corporis, vt in illud Pſalm. 44. *Speciosus formâ præ filijs hominum* docuit Aug. & Bernard. ſerm. 1. de omnibus ſanctis, & alij communiter Patres: Quare quod Iſaiæ 53. dicitur, *Non eſt ſpecies ei, neque decor*, intelligitur de tempore paſſionis, quando ſputis horridus, flagris liuidus, verberibus conſciſſus, & vulnerum cruore ſanguinolentus, omnino deformatus apparebat.

13 Sed obijcitur: Chriſtus, niſi iuuenis fuiſſet occiſus, aliquando naturaliter erat moriturus, vt indicat D. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29 vbi ſic ſcribit, Quia in Chriſto erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, vt ad mortem videatur etiam ſeneſcendo illa caro peruenire potuiſſe; ergò Chriſtus aſſumpſit etiam neceſſitatem ſubiacendi particulari alicui morbo, qui non cauſatur ex communi peccato naturæ. Reſpondetur Neg. Conſ. vbi in primis obſeruandum in verbis D. Auguſtini, nullam fieri morbi alicuius mentionem. Ratio itaq; negatæ cõſequentiæ eſt, quia poteſt dici, Chriſtum moriturum fuiſſe, non vi alicuius morbi propriè dicti, ſed ſine morbo, tantummodò calore naturali & humido radicali ſenſim factis remiſſioribus & debilitatis, ac tandem omnino deficientibus: quæ defectio in tali ætate obueniens non haberet morbi ratio-

Dominum, ſiue perſonam diuinam per humanitatem ſibi hypoſtaticè vnitam, vel per aliam intellectualem naturam ſic ſibi coniunctam committere aliquod peccatū. Eſt contra Durandum in 3. diſt. 12. q. 2. Gabrielem diſtinct. 2. & diſtinct. 12. qu. 1. & quantum apparet contra Scotum ijſdem diſtinctionibus videlicet 2. & 12. quia docet Chriſtum ratione beatitudinis non potuiſſe peccare, non tamen ex vi ſolius vnionis. Vnde cum iuxta eundem aſſumi poſſit natura humana ſine beatitudine, videtur conſequenter ſentire non eſſe abſolutè impoſſibile, Chriſtum peccare per humanam naturam. Sed Concluſionem alij Theologi communiter tenent, & vt apparet, tanquam doctrinam certam: Magiſter in 3. diſt. 12. Ibidem D. Thomas quæſt. 1. art. 2. Bonauent. & Richard. art. 2. qu. 1. & 2. Palud. qu. 2. Capreol. qu. 1. Almain. Diſt. 1. qu. 2. Dionyſ. in 3. qu. 3. art. 2. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. parte 1. cap. 7. Medina hîc. Vaſquez Diſp. 61. cap. 3. Suarez Diſp. 33. Sect. qui hanc ſententiam adeo exiſtimat veram, vt putet contrariam neque ſine temeritate, neque ſine quadam impietatis ſpecie poſſe defendi: pro eadem poſſunt etiam allegari Alexand. Alenſis qu. 7. memb. 2. item qu. 11. & 12. memb. 1. Henr. à Gādauo Quodlib. 6. q. 6. & Marſil. in 3. q. 3. a. 2. & q. 9. a. 3. quatenus dicunt de potentia abſoluta non potuiſſe humanitatem ſine gratia habituali & beatitudine animę: quamquā enim hoc falsū ſit, inquit Suarez loco cit. tamen ex illo principio conſequenter in præſenti quæſtione ſentire debent, Deum hominem abſolutè non poſſe peccare.

5 Probatur itaq; Concluſio Primò: Quia Sancti Patres paſſim docent Chriſtum impeccabilem fuiſſe, nec peccare potuiſſe: & cauſam potiſſimùm referunt in vnionem naturæ humanæ cum perſona diuina, ſic vt ſignificent ex vi hypoſtaticæ vnionis hanc impeccabilitatem ſequi & naſci: Athanaſius de ſalutari Chriſti aduentu aduerſus Apollinarium, paulùm ante medium, Quod ſi in peccatrice natura, inquit, impeccabilitas non apparuiſſet, quomodo peccatum in carne damnari potuiſſet: neque in carne præuaricationem habēte, neq; in diuinitate peccatum ſciente, videlicet damnari potuiſſet peccatū. Vbi planè ſupponit per Incarnationis myſterium, factū eſſe, quòd homo Chriſtus fuerit impeccabilis: imò dum addit, Quod neque caro prænaricationem habens, neque diuinitas peccatum ſciens (videlicet per experientiam) potuiſſent damnare peccatum, indicat ſi Chriſtus homo peccaſſet, illud ipſum peccatum futurum fuiſſe peccatum diuinitatis: Cyrillus Dialogo 6. de Trinitate non longè ab initio: Non enim manſit in nobis propter præuaricationem (videlicet ſpiritus ſanctificationis, quem ibidem dicit Chriſtum ſecundum humanitatem accepiſſe) manſit autem in Chriſto: naturæ enim erat non ferentis vllam ex peccatis maculam: quibus ſignificat omnino repugnaſſe Chriſto ferre maculam peccati, quo ſpiritum ſanctificationis poſſet amittere. Chryſoſthomus in caput 7. Iſaiæ. Qui aliorum tollit peccata immunis eſt omnis peccati, nec poteſt peccare. Epiphanius in Anchorato ante medium ſimiliter docet Chriſtum fuiſſe perfectum ſupernè, id eſt, ſecundum diuinitatem, & infernè, id eſt, ſecundum humanitatem, addens, Quod ſi infernè imperfectus eſſet, etiam ſupernè imperfectum fore. Tertullianus lib. de Carne Chriſti ita ſibi obijcit, Si noſtram induit carnem, peccatrix fuit caro Chriſti: Deinde reſpondet, Si noſtram induit carnem, ſuam fecit, & ſuam faciens non peccatricem fecit. Vbi ex eo quod fuerit caro perſonæ diuinæ, vult eam non eſſe peccatricem, ſiue peccabilem. Cyprianus de cardinalibus Chriſti operibus, Capite de ieiunio & tentatione: Inſaniſſimè Sathan, inquit, quâ fronte auſus es dicere Saluatori, vt ante te qui ſtat inflexibilis & immobilis, caderet? quid deſperate ſperaſti? an Filium Dei putabas, poſſe tecum Apoſtatam fieri? Auguſtinus Enchridij cap. 40. Ac ſic in naturæ humanæ ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum poſſet admittere: & lib 2. de peccatorum meritis cap. 11. Mente conſpiciens Chriſti iuſtitiam, in cuius non tantum diuinitate, ſed neque in anima, neque in carne vllum potuit eſſe peccatum. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo, Primus Adam, inquit, peccare potuit, quia purus homo; ſecundus Adam peccare non potuit, quia Deus. Gregorius Homilia 16. in Euangelia dicit, Chriſti mentem diuinitati ſuæ ita fuiſſe conſunctam, vt non ſolum peccare non potuerit, verùm neque interius concuti aut perturbari.

Probatur Secundò ratione: Quia ſi Chriſtus peccaret humanâ volūtate, Deus ipſe peccaret; atqui hoc dicere eſt abſurdiſſimum; ergò &c. 6

Reſpondet Durandus, verum fore, quod Deus diceretur peccare, ſed per communicationem idiomatum tantum: quemadmodum etiam Deus dicitur paſſus, mortuus, cum tamen non minùs mors repugnet

pugnet vitę per eſſentiam, quàm malitia bonitati per eſſentiam.

7 Sed contra facit in primis, quod longè diuerſa ſit ratio mali culpæ & mali pœnæ: quia malum pœnæ ſimpliciter bonum eſt, & in Deũ ordinabile: vnde & à Deo amari, & conuenienter ab ipſo in natura creata aſſumi poteſt; malũ verò culpæ ſimpliciter malum eſt, neq; in Deum ordinari poteſt, cum ſit auerſio intellectualis creaturæ à Deo, & contra Deum; ergò illud in natura à ſe aſſumpta, nullâ ratione admittere aut tolerare debuit. Vnde etiam omnium piorum aures hic ſermo offenderet, Deus peccatum committit; non ſic iſte, Deus patitur aut Deus moritur. Quamuis enim hæc in perſonam diuinam ſecundum diuinitatem non cadant, tamen non dedecent perſonam diuinam ſecundũ naturam humanam, quam per aſſumptionem fecit ſuam, quemadmodũ peccatum committere perſonã illam dedeceret, etiam ſecundum humanitatem. Deinde, ſi Chriſtus peccaret humanâ ſuâ voluntate, non tantum ſequeretur, quod Deus deberet dici peccare per communicationem idiomatum: ſed etiam, quod ipſe peccaret voluntate diuinâ: vt indicant in primis Athanaſius, Epiphanius, Anſelmus ſuprà citati.

8 Et cõfirmatur præterea: Quia quando plures naturæ & voluntates in vna perſona concurrunt, neceſſe eſt quod in tali compoſito ſit vnum primum & principale mouens, ad quod ſimpliciter pertineat motus & operationes illius perſonæ dirigere & gubernare: alioquin hæc perſona non erit in ſe bene inſtituta, neque operationes eius conuenienti modo erunt ſubordinatæ aut coordinatæ. Sic in homine in quo duplex quodammodo natura reperitur, & duplex appetitus, tenetur ſuperior moderari & dirigere inferiorem: vnde ſi inferior inordinatè moueatur in obiectum contra rationis dictamen, culpabitur ſuperior, ſi modo in eius fuerit poteſtate motum illum inordinatum inferioris cohibere aut impedire. Cum itaque natura diuina & natura humana in vnam conueniant perſonam, ſitque eadem perſona habens voluntatẽ diuinam & voluntatem humanam, debebit hæc perſona per voluntatẽ diuinam, vtpote ſuperiorem & potentiorem, regere voluntatem humanam tanquam inferiorem, eamque intra limites rationis continere, ita vt perſona culpabilis fieret, ſi permitteret humanam ſuam naturam & voluntatem à rectę rationis regula recedere, quandoquidem poſſit idipſum impedire voluntate ſuperiore.

9 Dicet aliquis: Deus nullâ lege poteſt obligari, & proinde non videtur teneri, vt voluntate ſuâ diuinâ contineat in officio voluntatem naturæ creatæ, quam ad ſuam perſonam aſſumpſit: quemadmodum licet abſolutè poſſit omnes creatas voluntates ſic dirigere & adiuuare, vt nunquam à recto deflectant, non tamen ad id obligatur, neque imputatur illi ſi deflectant.

Reſpondetur: Deus quidem non obligatur propriè aliquâ lege, ſed tamen naturæ ſuæ conditione tenetur, neque ſe ipſum poteſt negare: & inde naſcitur, quod non poſſit tanquam particulare principium quod, peccatum facere per qualemcumque voluntatem ſuam, quæ ipſius tanquã ſuppoſiti ſit. Quod verò ad alias voluntates attinet, longè diſpar eſt ratio: nam ad illas non ſe habet vt ſuppoſitum, & quaſi principium particulare quod operans in illis, ſiue per illas tanquam formas & principia quibus, quo modo ſe habet ad voluntatem humanitatis aſſumptæ; ſed ad eas tantùm ſe habet vt cauſa prima & vniuerſalis, neque peculiari aliquo titulo tenetur eas certò dirigere, & intra honeſtatem continere. Vnde poteſt tanquam ſupremus omnium dominus & prouiſor vniuerſalis, legitimâ ex cauſâ exponere illas quaſi examini & probationi, vt ſuppoſita quorum ſunt voluntates, bonum vel malum eligant, & ad alterum extremum ſeſe determinent, quæ determinatio ſi ad malum fiat, primę cauſæ adſcribi non debet, neque illi imputari.

10 Ex dictis itaque patet Primò: Quod hoc ipſo quo natura creata ſit natura Dei, tanquam perſonæ ſuſtentantis, debeat illam Deus à peccato ſeruare immunem: debeat, inquam, eo modo quo diceremus Deum debere à peccato abſtinere: quia debet hoc naturæ ſic aſſumptæ ad vnitatem perſonæ, & oppoſitum naturæ diuinæ repugnat. Quamuis verò natura creata aſſumatur ab vna perſona, & ſic quaſi primò incumbat huic talis cuſtodia, tamen quia omnium trium perſonarum eſt vna voluntas, & cuſtodia iſta perficiatur per opus ad extra, ideo ex conſequenti ſpectat ſimpliciter ad omnes tres perſonas, præſertim cũ ex communi voluntate, natura creata diuinæ perſonę vniatur.

Patet Secundò, etiam futurum quod Chriſtus in humana natura peccare non poſſet, tametſi poneremus eum aſſumere humanitatẽ abſq; beatitudine, ſiue nõ beatam: imò etiã abſq; omnibus donis intrinſecis ſupernaturalibus tum gratiæ, tũ ſcientiæ, ſed in ipſis puris naturalibus: eadem enim

enim ſemper militat ratio, quia ex quo diuina perſona eſt principium quod operans per naturam aſſumptam, fieri non poteſt, vt per illam eliciantur actiones rectæ rationi contrariæ. Sed contra Concluſionem

11 Obijcitur: Humanitas Chriſti ex vi formalis vnionis ſolius non redditur in ſe ſapientior aut potentior, quemadmodũ ex dictis in Quæſtionibus ſuperioribus cõſtat; ergò in caſu, quo aſſumeretur abſque omni dono create ſuperaddito (quod per abſolutã Dei potentiam poteſt fieri) poterit ipſa exiſtens perſonæ diuinæ vnita, vel ex incõſideratione, vel ex fragilitate, aut paſſione à regula rectæ rationis deficere & peccare: non eſt igitur abſolutè impoſſibile Chriſtum per naturam aſſumptam peccare.

Reſpondetur Negando primam Conſequentiam: quamuis enim per ſolam formalem vnionem non reddatur humanitas in ſe intrinſecè ſapientior aut fortior, tamen per ſolam formalem vnionem induit habitudinem talem ad Deum, vt omnes actiones eius, quarum ipſa eſt principium quo, ſint actiones ipſius Dei, ſiue perſonæ diuinę, tanquam principij quod, modo ſuprà explicato, ita vt laus bonarũ eius actionum in diuinam perſonam, non ſolum tanquam in cauſam vniuerſalem, ſed etiam quaſi in cauſam particularem referenda ſit, ipſique vt auctori & determinanti principio adſcribenda: & è contra, ſi ab illa humanitate in diuina perſona ſubſiſtente procederent actiones inhoneſtæ, etiam harum vituperium & culpa ſimiliter in diuinam perſonam, tanquam principium quod per modum particularis cauſæ & principij determinantis redundarèt. Propter hanc vero habitudinem vlterius ſit, quod Deus neceſſariò ita regat & gubernet, auxilietur & confortet naturam aſſumptam, ſiue per extrinſeca dona habitualia, ſiue per intrinſecam aſſiſtentiam & actualia auxilia, vt ipſa in nullo poſſit vnquam deficere, ita quod ſicut Deus ſua voluntate peccare non poteſt, ſic neque permittere voluntatem illius humanitatis peccare.

Quamuis igitur, vt in obiectione aſſumitur, humanitas iſta non reddatur in ſe ſapientior aut potentior per ſolam formalem vnionem, redditur tamen ſimpliciter impeccabilis, quia per illam ſolam incipit ita ſe habere ad diuinam ſapientiam & virtutem, vt hæ neceſſariò illam naturam ab omni peccato cuſtodiant & præſeruent, nec poſſint permittere illam labi, quemadmodum neq; ratio illam ſinit vllo modo, vt Deus in aliquo labatur, aut deficiat: quæ habitudo naturæ creatæ ad Deum pluſquam ſufficientiſſima eſt, vt dicatur ipſa peccare non poſſe, continens in ſe maiorem certitudinem contra omne peccatum, quàm aliud quodcumque medium continere poſſit.

CONCLVSIO Tertia: Non poteſt quoque in humanitate hypoſtaticè aſſumpta à perſona diuina eſſe peccatum vllum habituale ſiue peccati macula. Vbi in primis ex modo dictis conſtat, in ea non poſſe maculam eſſe ex peccato actuali talis perſonæ relictam, cum oſtenſum ſit, perſonam diuinam per naturam aſſumptam peccare non poſſe. Probatur ergò quod neque macula peccati originalis in ea eſſe poſſit, neque macula ex peccato actuali illius naturæ relicta, ſi ponatur caſus quod perſona diuina aſſumeret naturam quæ prius habuiſſet creatam perſonalitatem ſuam, & ſic peccaſſet: quod licet minus deceat, non tamen contradictionem inuoluit: Primò, quia macula iſta eſt malum culpæ quod nullâ ratione poteſt honeſtè amari, neque ordinari poteſt in Deum; ergò non debet perſona diuina illud permittere, aut tolerare in natura, quam ſibi hypoſtaticè vnit. 12

Secundò, quia perſonalitas ſuſtentans naturam, ſanctificat & quodammodo deificat ipſam naturam, & quidquid naturæ ineſt aut coniunctũ eſt, prout Sancti Patres ſæpius loquuntur; atqui labes, ſiue macula peccati non eſt capax talis ſanctitatis; ergò nullo modo potuit eſſe in natura ſic ſanctificatâ & deificatâ.

Tertiò, quia ſuppoſitum ex natura humana & perſonalitate Verbi reſultans ex vi talis coniunctionis eſt Filius Dei naturalis; ergò non poteſt hoc ſuppoſitum ſiue hic homo eſſe Deo ingratus & exoſus, & conſequenter neque in natura eius eſſe peccatum, quod eum formaliter ingratum reddat: neque videtur poſſe habere locum hic, quod dum admittitur non implicare gratiam habitualem, & peccatum mortale ſimul eſſe in eodem, dici ſolet, videlicet talem hominem ſimpliciter fore Deo ingratum & inuiſum, & ſecundum quid ſolum fore gratum, quantum videlicet eſt ex parte ipſius gratiæ, nimis enim abſurdum eſt dicere, hunc hominem, qui eſt Filius Dei naturalis, ſimpliciter à Deo haberi odio.

DVBIVM SECVNDVM.

An in humanitate Chriſti potuerint eſſe habitus vitioſi?

13 RESpondetur negatiuè. Probatur: quia in primis humanitatem iam aſſumptam non potuit Chriſtus vitioſis habitibus imbuere aut inficere: hoc enim non poſſet facere ſine actibus vitioſis, & proinde neque ſine peccato, quod diximus in eum cadere non poſſe. Deinde nec decuit diuinam bonitatem & puritatem, vt diuina perſona naturã iam ante vitioſam aſſumeret, & aſſumendo ſaltem non purgaret.

Confirmatur, quia habitus humanitatis Chriſti vitioſi nec per ſe amabiles eſſe poſſunt nec ad honeſtum finem per ſe poſſunt conferre: Vnde quilibet bonus, & prudens quantum eos poteſt in ſua natura vitare debet: multo igitur magis Chriſtus Dominus debuit habere naturam humanã mundam, & ab omni vitio liberam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto fuerit fomes peccati?

14 FOmes peccati euidentius ſedem ſuam habet, & ſeſe prodit in appetitu inferiori, vnde Diuus Thomas hic ad Primum dicit, fomitis rationem conſiſtere in reſiſtentia ſenſualis appetitus contra rationem: & in reſponſione ad Secundum dicit, eſſe concupiſcentiam delectabilium præter ordinem rationis, Concilium Trid. quoque Seſſ. 5. cap. de peccato originali, fomitem concupiſcentiam nominat. Diuus Auguſtinus etiam in libris ſuis contra Iulianum & contra Pelagianos videtur ſemper accipere fomitem pro vitio partis inferioris, quæ ſuperiori rebellis eſt & reluctatur.

Habet nihilominus etiam locum ſuum in parte ſuperiori: nam & intellectus inconſideratior eſt, & minus attentus ad honeſtatem: & voluntas procliuior ad vitia ſpiritualia, vt ad ambitionem, inuidiam, odia, & ſimilia, ſic vt horum motus in nobis exurgant, vel ſine rationis iudicio, vel etiam contra rationis iudicium. Quare fomes peccati generaliter poteſt dici inordinatio quædam, non tantum appetitus ſenſitiui, ſed omnium animæ virium quæ libertatem aliquam participant, vt ſecundum rationem moueri debeant & aptæ ſint: neque tamen ei plenè ſubijciuntur, vt intellectus, voluntas, potentiæ imaginatiuæ & appetitus ſenſitiui, quatenus præter vel contra legem rationis mouentur.

Dupliciter autem poteſt fomes conſiderari, vno modo quaſi in actu primo, & veluti in habitu, & ſic nihil videtur eſſe aliud, quàm inclinatio & procliuitas dictarum potentiarum, ſecundum quam ſunt quaſi expeditæ & proximè diſpoſitæ, vt contra vel præter dictamen rationis ſeſe moueant: Alio modo conſiderari poteſt, vt in actu ſecundo: & ſic eſt vitalis motio ſiue affectio appetitus rationalis vel ſenſibilis, aut apprehenſio intellectus vel phantaſiæ circa obiecta ſua reſpectiuè contra vel præter dictamen rationis. Diſputatio verò, Vtrùm hæ procliuitates & inordinati motus virium naturalium ſequantur naturaliter naturam humanam, vt conditam abſque donis ſupernaturalibus, eique ſint naturales, ſepoſitã conſideratione originalis peccati, ad alium locum pertinet. His præmiſſis ſit 15

CONCLVSIO Prima: In Chriſto Domino non fuit actualis fomes peccati. 16

Probatur Primò ratione Diui Thomæ; quia Chriſtus habuit omnes virtutes morales omni ex parte perfectas; atqui per eas ſubijcitur appetitus inferior ſuperiori, & fomes refrænatur, & quo hæ virtutes in aliquo ſunt perfectiores, eo hæc ſubiectio perfectior eſt; ergò in Chriſto, in quo virtutes iſtæ perfectiſſimæ fuerunt, perfectiſſima quoque fuit partis inferioris ad ſuperiorem ſubiectio: Accedente itaque eo, quod in Chriſto Domino ratio ſemper fuerit vigilans, in omnibus prouida (quod Diuus Thomas ex antè dictis etiam ſupponere videtur) facile intelligitur, quomodo appetitus ſenſitiuus, ne quidem ex improuiſo ab obiecto ſenſibili excitatus, potuerit in aliquem motum exire contra, vel ſine rationis dictamine.

Probatur Secundò, quia actuales motus concupiſcentiæ rationi aduerſantur, & per ſe indecentes ſunt ac turpes; ergò non conueniebat Chriſtum illos pati: imò quandoquidem ſemper in poteſtate eius erat præcauere & impedire, ne exurgerent, non potuiſſet eos pati, niſi voluntate rationali conſentiente & approbante; atqui dum voluntas conſentit aut approbat, tunc vera & propriè dicta ſunt peccata. Quòd enim in nobis aliquando peccata non ſunt, id defectu voluntarij contingit, quia non ſemper poſſumus eos excludere: ergò cum Chriſtus peccare non potuerit, conſequenter neque motus fomitis potuit habere. Vnde Diuus Auguſtinus de correptione & gratia cap.

11. Ipſa,

21. Ipſa, inquit, ſuſceptio (qua videlicet verbum carnem aſſumpſit) talis erat, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret: & Leo epiſt. 11. Nihil carni ſuæ habebat aduerſum, ſenſus corporei vigebant ſine lege peccati.

CONCLVSIO Secunda: Non fuit etiam in Chriſto Domino habitualis fomes peccati. Eſt Diui Thomæ hic art. 4. ad 3. & communis Scholaſticorum in 3. diſt. 15. qui etiam in beatiſſima Virgine dicunt fuiſſe extinctum fomitem, ſaltem à tempore Conceptionis Filij Dei: & haud dubiè loquuntur de fomite in actu primo ſeu quaſi in habitu: nam actum ſecundum, ſeu motum fomitis nunquam omninò habuit. Colligitur concluſio ex verbis Diui Auguſtini citatis, quibus indicatur per ipſam ſuſceptionem fuiſſe naturam humanam Chriſti ſic quaſi habitualiter diſpoſitam, vt motum malę voluntatis non admitteret.

17 Et probatur Primò, quia in eo non fuit origo fomitis, videlicet peccatum originale; ſed neque in ipſo Adamo peccauit; ergò &c. Secundò, quia habitualis fomes inclinat ad peccatum; ergò non decuit Chriſtum illi ſubiacere. Tertiò, Chriſtus venit vt legem & corpus peccati, ſiue fomitem deſtrueret; non debuit igitur huic legi ſe ſubijcere, potiſſimum cum ad ſui ipſius deſtructionem fomes ordinem conuenientem non habeat: ſed magis decuit Chriſtum à peccatoribus, etiam quoad prauas inclinationes habituales, eſſe ſegregatum.

18 Sed obijcitur: Fomes peccati nihil aliud eſſe videtur, quàm naturalis inclinatio appetitus ſenſitiui ad ſuum obiectum, videlicet ad bonū ſenſibile; ſed in Chriſto fuit appetitus ſenſitiuus, vtpote naturalis potentia ad perfectionem humanę naturę pertinens, & conſequenter inclinatio eius naturalis in obiectum ſuum; ergò fuit in eo habitualis fomes peccati.

Probatur Maior, quia fomes peccati neque eſt habitus aliquis ſiue morbida qualitas, vt quidam non rectè exiſtimarunt, quorum opinio in Tractatu de peccato originali referri ſolet & refutari, neque aliquis actus, quia etiam in infante & in dormiente fomes peccati eſt; ergò videtur non poſſe eſſe aliud, quam naturalis inclinatio appetitus ſenſitiui in bonum ſenſibile tanquam ſuum obiectum.

Quidam referunt Durandum in Tertium diſt. 3. quęſt. 3. ob hoc argumentum exiſtimaſſe, quod non poſſit in aliquo remanere appetitus inferior, & non ſimul eſſe in eo peccati fomes. Veruntamen non aſſerit id Durandus abſolutè, ſed cum addito, videlicet ſecundum potentiam remotam, vnde non ſolum fomitem ligari, ſed etiam in aliquibus tolli admittit reſponſione ad Primum. Neque vllo modo id ſimpliciter dicendum eſt, quia multa inde inconuenientia ſequuntur: vt quod in Adamo in ſtatu innocentiæ fuerit peccati fomes, ſimiliter in Chriſto Domino, item in beatis poſt reſurrectionem: cum tamen & Scripturæ & Concilia doceant legem peccati concupiſcentiam ſiue fomitem ex peccato originem ſuam trahere. Conc. Trid. Seſſ. 5. in decreto de peccato originali dicit, Concupiſcentiam ab Apoſtolo vocari peccatum, quia ex peccato orta & ad peccatum inclinat. Similiter docent Chriſtum veniſſe vt legem, & corpus peccati deſtrueret: quod inchoatiuè fit in iuſtis in hac vita, complebitur autem perfectè in beatis in vitâ futura: nullo itaq; modo admittendum eſt, quod peccati fomes vel fuerit in ſtatu innocentiæ, vel remanſurus ſit in ſtatu gloriæ.

Ad obiectionem ergo Reſpōdetur Negando Maiorem. Ad probationem verò Negando eius Conſequentiam, quia licet fomes peccati neque ſit habitus, vel alia praua qualitas, neque actus aliquis, non tamen inde ſequitur aliud nihil eſſe, quàm naturalem inclinationem appetitus ſenſitiui, loquendo de illo iuxta naturæ integritatem ſiue ſecundum ſtatum quem vocant Doctores naturæ integræ, & diſtinguunt contra ſtatum Innocentiæ, Caiet. 1. 2. quæſt. 109. art. 2. & Soto lib. 1. De natura & gratia c. 1. & ſequentibus: quamuis enim non ſuperaddat appetitui, eiuſque naturali inclinationi aliquid poſitiui, addit tamen aliquid priuatiui, quia eſt habitualis inclinatio appetitus in bonum ſenſibile, quatenus hic appetitus priuatus eſt conuenienti ſubiectione, quam naturaliter debet voluntati rationali, & vt ſolutus ligamine quo naturaliter ſiue ſecundum naturæ humanæ exigentiam aſtringi eum conuenit, ſiue aſtringi natus eſt, ne contra, vel præter rationis dictamē, ſcil. in obiectū ſuum ſeu ſenſibile bonū, ſeſe moueat aut feratur. Ita enim priuatus & ſolutus iam, indifferenter fertur in bona ſenſibilia tum præter, tum contra rationem. Eiuſmodi verò ſubordinationem & dependentiam inferioris appetitus à ſuperiori, vbi hi duo in vno ſuppoſito naturaliter concurrunt, vti in homine, videtur omnino recta naturæ inſtitutio per ſe poſtulare. 19

Vnde non exiſtimo in ſtatu naturæ integræ, qui eſſet ſine culpâ & in ratione 20

conuenientiæ naturalis perfectus & ſine donis ſupernaturalibus, eam futuram inferioris partis contra ſuperiorem, repugnantiam, tantamque virium naturalium deordinationem, aut ita omnem hominis ſenſum in malum fore procliuem, quemadmodum modo in ſtatu naturæ lapſæ: quin potius quemadmodum in ſtatu innocentiæ donis & prouidentiâ ſupernaturalibus inprimis, tum etiam naturalibus, erant optimâ & quietiſſimâ quâdam harmoniâ omnes hominis vires inter ſe compoſitæ, ita quoque in ſtatu naturæ modo dicto integræ, non quidem ſupernaturalibus, ſed naturalibus medijs tum intrinſecis, tum extrinſecis ſuo modo naturæ humanæ debitis, vt peculiari corporum complexione, certâ potentiarũ affectione, externâq; prouidentia futurum eſſet, quod ſimiliter, quamuis modo longè imperfectiori, appetitus inferior faciliter ſuperiori iuxta naturalis rationis dictamen obtemperaſſet, neque in obiecta ſenſibilia, niſi ex rationis iudicio fuiſſet commotus. Quemadmodum modo membra nõ ſe mouent, etiamſi proponantur obiecta quæ peculiariter bono aut conſeruationi ipſorum conducunt, abſque voluntatis imperio, exceptis ſolis genitalibus. Hoc vel ex ipſis brutis animantibus licebit conijcere, quorum motus videmus naturaliter magis temperatos, quàm hominis lapſi tam nobili formâ animâ ſcilicet immateriali & intellectuali præditi: qui etiam vel inuitus patitur concupiſcentiæ motus incircumſcripto etiam tempore, nec per rationẽ poteſt omnino compeſcere & moderari.

21 Vnde nec ſufficiens videtur ſimilitudo, quâ quidã ſolẽt explicare differentiã inter hominem in ſtatu naturæ lapſæ, & inter hominem in ſtatu naturæ integræ, qui tantũ ſit abſq; donis ſupernaturalibus, quod homo in priori iſto ſe habeat ad hominem in hoc poſteriori, quemadmodum ſe habet homo ſpoliatus ad hominem nudum: quaſi nullum omnino aliud eſſet diſcrimen, quàm quòd id, quod in ſtatu naturæ integræ foret pura negatio, habeat rationem priuationis in ſtatu naturæ lapſæ. Non, inquam, videtur ſimilitudo ſufficiens, quia licet homo in tali ſtatu naturæ integræ nudus foret ſupernaturalibus virtutibus & donis, quibus homo lapſus propriè eſt priuatus, non tamen eſſet nudatus debitâ illâ & naturali harmoniâ & ſubordinatione, ac ſubiectione naturalium virium inter ſe, quibus etiam eſt priuatus homò lapſus: qui totus, iuxta Concil. Trid. Seſſ. 5. de peccato originali, in deterius mutatus eſt ſecundum corpus & animam: non quod per peccatum aliqua hominis pars ſiue eſſentialis ſiue integralis ſit ſublata, vel aliquæ eius naturales potentiæ extinctę ſint, aut operationes omnino impeditæ: ſed quod naturalis virium inter ſe harmonia quoad actum ſubiectionis & imperij ſecundum potentias inferiores & ſuperiores, diſſoluta ſit, atq; ita vires potiſſimũ ſuperiores attenuatæ ſint & inclinatæ, vt loquitur Conc. Trid. de libero arbitrio, Seſſ. 6. cap. 1. Potuit autem Deus iuſto ſuo iudicio naturam lapſam etiam iſtis priuare, tum in vindictam peccati, præſertim quia naturalia iſta auxilia veriſimiliter per ſupernaturalia ſupplebantur, tum etiam in teſtimonium naturæ peccatricis. Vnde D. Auguſtinus in ſuis libris contra Iulianum ex morbo concupiſcentiæ, quem ipſe vocat vulnus naturæ, perpetuò conatur oſtẽdere peccatum ipſius naturæ, ipſamque naturam eſſe vitiatam per hominis culpam: quæ probatio nulla videretur eſſe, ſi diximus, modò nihil mali eſſe, ne quidem priuatiui in homine lapſo, quod non eſſet in homine ſaltem negatiuè, in caſu quo Deus condidiſſet hominem ſolummodo ad finem naturalem ſecundum exigentiam huius finis rectum, abſque ſupernaturalibus donis. Relinquitur verò hoc malum in hominibus renatis, omnibus quidem ad agonem, vincentibus autem ad coronam, vt habet Conc. Trid. Seſſ. 5. citata in Decreto de Peccato originali.

Quamuis igitur in Chriſto Domino ſit naturalis appetitus ſenſitiuus cum ſua naturali inclinatione, non tamen eſt, nec fuit in eo peccati fomes: quia appetitus iſte fuit in eo pleniſſimè ſubiectus rationali voluntati, & ſic ſubordinatus & dependens, vt abſq; eius imperio aut permiſſione in nullũ poſſet actum exire: fomes verò peccati conſiſtit in appetitu ſenſitiuo, vt iam rationis imperio ſolutus indifferenter contra & præter rationis dictamen vel aduertentiam, in bona ſenſibilia fertur aut ferri poteſt. 22

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Chriſto fuerit ignorantia?

CONCLVSIO Diui Thomæ eſt negatiua, & ſatis conſtat ex dictis ſuprà quæſt. 9. & 10. 23

Solum hoc loco notandum eſt, Ignorantiam propriè eſſe carentiam alicuius cognitionis, quam quis ſecundum naturam, ſtatum, vel conditionẽ debet habere. Vnde licet anima Chriſti non nouerit omnia, quę diuina Sapientia comprehendit, non

dit, non tamen propterea dicenda eſt laborare aliquâ ignorantiâ: quia non ſpectat ad animam Chriſti habere ſcientiam æqualem cum Deo; omnem verò cognitionem, quomodolibet ad naturâ eius, ſtatum, aut conditionem pertinentem, pleniſſimè habuit.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Chriſti fuerit paſſibilis?

24 CONCLVSIO Prior Diui Thomæ eſt: Anima Chriſti corpori mortali vnita fuit paſſibilis paſſione corporali. Declaratur, quia paſſione corporali patitur anima per corporis læſionem: ex quo namque anima eſt forma corporis, fit vt corpore per paſſionem corpoream perturbato, etiam anima per accidens perturbetur ſecundum eſſe quod habet in corpore. Vnde cum propter delicta noſtra vulneratum fuerit corpus eius, & attritum propter ſcelera noſtra, conſtat animam eius corporali paſſione quoque paſſam fuiſſe.

25 CONCLVSIO Poſterior: Fuit anima Chriſti etiam paſſibilis paſſione animali. Vbi D. Thomas paſſionem animalem vocat, quæ vel propria eſt animæ, aut ſaltem principalius animæ, quàm corporis: Vnde licet generaliter loquẽdo, etiam ſecundum intelligere dicatur anima aliquid pati, quatenus videlicet ex cognitione quâ intellectus obiectum apprehendit, ſequitur ſubinde affectio aliqua in voluntate rationali, tamen propriiſſimè, vt hic D. Th. notat, dicitur anima pati ſecundum appetitũ ſenſitiuum, quando ex imaginatione mutatur: cuiuſmodi mutationes & affectiones vſitatiſſimè vocantur paſſiones animæ, quia fiunt cum quadam corporis cõmotione ſiue alteratione, quantũuis etiã eas moderatas eſſe contigerit. Recenſet autem D. Th. Prima Secundæ Quæſt 22. & ſequentibus eiuſmodi affectiones vſque ad vndecim, puta, amorem, concupiſcentiam, delectationem, odium, fugam, triſtitiam, ſpem, audaciam, deſperationem, timorem, & iram.

26 Probat hic itaque in communi animam Chriſti fuiſſe hoc paſſionum genere paſſibilem ex D. Aug. lib. 14. de ciuit. c. 9. vbi dicit, Chriſtum dum in forma ſerui vitam agere dignatur humanam, adhibuiſſe has affectiones ſiue paſſiones, vbi eas adhibendas eſſe iudicauit: adiungens ad probationem; Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus; cum ergo eius in Euangelio iſta referuntur, quod contriſtatus ſit ſuper duritia cordis Iudæorum cum ira; quod dixerit, Gaudeo propter vos: quod ſuſcitaturus Lazarum etiam lachrymas fuderit: quod concupiuerit cum diſcipulis paſcha manducare; quod propinquante paſſione triſtis fuerit anima eius vſque ad mortem, non falſò vtique referuntur.

In particulari autem tractat ſequenti- 27
bus articulis D. Th. de tribus, de quibus maior poterat eſſe dubitatio, An in Chriſto locũ habuerint. Quare hic breuiter de reliquis ita declarari poteſt: Ac in primis de amore ſenſibili, quia hic actus eſt maximè connaturalis appetitui, & poteſt verſari & exerceri circa obiectum ſenſibile ſecundum rectam rationem amabile huiuſmodi amore: neque enim hæc potentia in homine fruſtra eſt, nec actus hic imperfectionem aliquam per ſe requirit, vnde & in ſtatu beatitudinis reperietur.

Quare dubitari non poteſt, quin Chriſtus in terra, & etiam modò in cælo, affectu magno ſenſibili matrem ſuam dilexerit, & viciſſim ab illa dilectus ſit. Et hinc, quia contrariorũ eadem eſt ratio, facilè apparet etiam actum odij huic amori oppoſitum, circa ſenſibile obiectum quod ſecundum rectã rationẽ, naturæ vel appetitui odibile eſt, potuiſſe in ipſo locum habere, quandoquidẽ neq; hic actus neceſſariò defectum aliquẽ importat. Tertiò fuit etiam in Chriſto actus deſiderij ſiue concupiſcentiæ honeſtæ & ſanctæ: ſicut enim obiectum aliquod poteſt honeſtè amari amore ſenſibili, ita & concupiſci ſi abſens ſit. Nec obſtat quod deſiderium ſupponit boni amati abſentiam, quia potuit Chriſtus carere bonis 28
ſenſibilibus, quibus poſtmodũ fuerit gauiſus: prout & de facto in proprio corpore in ſtatu vitæ paſſibilis pluribus caruit. Hinc quartò etiã fuga mali bono amato cõtrarij in appetitu eius potuit locum habere propter eandem rationem. Quintò, fuit in appetitu eius etiam delectatio: hæc enim per ſe nata eſt ſequi ex præſentia obiecti amati: quandoquidem igitur in illo fuerit amor ſenſibilis, & obiectum amoris habuerit præſens, conſequenter inde reſultauit honeſta ſuauitas & delectatio, quæ nec in ſtatu beatitudinis deerit, & in ſtatu viæ ſæpius etiam ex rebus ſpiritualibus in appetitu inferiori ſuboritur per redundantiam ex viribus ſuperioribus, iuxta illud Pſaltis Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.* Sextò, potuit etiam eſſe in illo affectio ſpei: quia reſpectu naturalium virium humanitatis ſuæ, potuit illi eſſe ardua; & difficilis conſecutio alicuius boni corporalis aut ſenſibilis, vt

conſtat de ipſa gloria corporis, quam per labores & paſſiones erat conſecuturus: & quamuis eam per ſolas vires humanitatis aſſequi non poſſet, tamen etiam hæc cooperari debebant: quæ cooperatio humanitati erat difficilis, & ſic conſecutio illius boni ardua. Vnde apparet quod etiam circa malum aliquod vitandum potuerit eſſe quædã deſperatio, quia potuit apprehendi malum, vt inſuperabile per vires naturæ, & ſimul attendi, quod potentia maior ob ſubliniores rationes non ſuccurreret naturę. Denique de actu audaciæ nulla videtur difficultas, quia hoc actu aggrediuntur pericula ad euitandum malum, vel conſequendum bonum: Chriſtus autem in maximis periculis vitæ & honoris verſatus eſt, & ideo hoc ſtatu ſuppoſito actus hic audaciæ prudenter elicitus ad perfectionem & fortitudinem eius pertinuit.

28 Notandum tamen cum D. Thomæ eſt, longè aliter in Chriſto Domino affectiones has fuiſſe, quàm ſint in nobis: idque quoad tria.

Primò, quia nunquam verſabantur circa illicita, circa quæ plerumque in nobis verſantur.

Secundò, quia in illo nunquam exoriebantur, niſi ex iudicio rationis, quod in nobis frequentius præueniunt. Hinc Aug. loco cit. Verùm ille hos motus, inquit, certæ diſpenſationis gratia ita cum voluit, animo ſuſcepit humano, ſicuti cum voluit factus eſt homo.

Tertiò, quia non perturbabant rationem, ſic vt ab illis nullo modo impediretur agere, quæcumque conueniebat illum facere: quia ratio illis perfectè prædominabatur. Hinc D. Hieron. Eas propaſſiones potius, quàm paſſiones appellandas cẽſuit, quia fuerint quaſi inchoatæ paſſiones, non autem perfectæ: vbi perfectas intelligit, quibus non ratio, ſed quæ rationi dominãtur, nõ quod in genere affectionis bonæ ſint perfectiores, ſed quod ſecundum nomen & ethymologiam paſſionis perfectiores ſint.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis?

29 CONCLVSIO eſt: Fuit verus dolor ſenſibilis in Chriſto. Probatur primò ex Scripturis Iſaiæ 53. *Vidimus eum* &c. *Virum dolorum & ſcientem infirmitatem:* Pſalm. 87. *Repleta eſt malis anima mea*, non vitijs, ſed humanis malis, id eſt, doloribus: vt illa verba tanquàm ſub perſona Chriſti dicta interpretatur ibidem D. Auguſt.

Probatur Secundò ratione D. Thomæ: Ad dolorem ſenſibilem duo requiruntur; videlicet corporis læſio, & ſenſus læſionis; atqui corpus Chriſti vt paſſibile lædi potuit & de facto læſum ac vulneratum fuit: neque defuit ſenſus læſionis, quia anima Chriſti habuit perfectè omnes potentias naturales, etiam ſenſus exteriores; ergò in illo fuit dolor ſenſibilis. Vide Athanaſium de Incarnatione Chriſti non ita longè à fine.

Obſeruari autem hîc poteſt, dolorem non eſſe formaliter hæc duo, corporis læſionem & ſenſum læſionis: ſed cauſaliter, quia ad illa poſita ſequitur. Quemadmodum enim triſtitia non eſt formaliter malum propoſitum per imaginationem vt præſens, ſed ex malo ſic apprehenſo oboritur in appetitu ſenſitiuo, ita quoque dolor ſequitur ex malo ſenſibili corpori realiter illato, & ſenſu exteriori percepto, tanquam certa animæ ſenſitiuę affectio. 30

Probatur Tertiò, quia ſenſibilis dolor fuit affectio quædã fini Incarnationis maximè accommoda: eſt namq; pœnalis & aliena à culpa & vitio, & ſic maximè conueniens ad ſatisfaciendũ pro nobis. Vnde & languores noſtros ipſe tuliſſe, & dolores noſtros portaſſe legitur, quia pœnas quas debebamus, in ſe ſuſcipiendo ipſe luit & exoluit.

Sed difficultatem hic mouent ea quæ habet Hilarius lib. 10. de Trinitate circa medium, vbi videtur dolorem omnem, metum, & triſtitiam à Chriſto amouere, cuius aliqua verba hic allegat D. Thomas in prima Obiectione: & verè totus diſcurſus eius admodum obſcurus eſt: vnde Bonau. in Tertium diſt. 16. qu. 1. ad Secundum ſcribit quoſdam exiſtimare Hilarium eam ſententiam retractaſſe: & addit, ſe audiuiſſe Epiſcopum quendam Pariſienſem aſſerentem, quod librum illius retractationis vidiſſet & perlegiſſet: ipſe tamen Bonauent. ſicut & D. Thomas hîc in ſanum ſenſum interpretantur ea, quæ loco citato Hilarius ſcribit, non exiſtimantes virum doctiſſimum in re tanti momenti, & ad fidei fundamenta ſpectante lapſum fuiſſe, potiſſimum, quia alijs locis contrariũ omnino ſignificet: vt in fine libri 9. de Trinitate, vbi ſic habet; Non ergò, quia neſcire ſe diem & momentum dicit Filius, neſcire credendus eſt: ſicuti neque cum ſecundum hominem aut flet aut triſtis eſt, Deus obnoxius eſſe aut lachrymis, aut ſomno, aut timori eſt confitendus; ſed ſaluâ vnigeniti in ſe veritate, ſecundum carnis infirmitatem, fletum, ſomnum, inediam, ſitim, laſſitudinem, metum pati neceſſe eſt ſecundum hominem &c. Et in Pſalm. 31

Digitized by Google

Pſalm. 68. Vniuerſarum, inquit, humanarum paſſionum ſorte perfunctus ſecundum ſuſceptas infirmitates noſtras, loquitur & dolet, ipſe quidem extra neceſſitatem & doloris potiusr & timoris.

32 Quare eorum opinioni inſiſtendo qui Diuum Hilarium ab errore excuſare conatur, conuenientiſſimè videtur ſumi poſſe ſanus ſenſus illius diſcuſſus, quem lib. 10. de Trinitate facit ex argumento eiuſdem libri, quod præmittit in lib. 1. operis eiuſdem, vbi docet decimum librum verſari in hoc, vt refellantur illi qui ex paſſionis genere & profeſſione, quædam per ſtultæ intelligentiæ ſenſum ad contumeliam diuinæ in Domino noſtro IESV Chriſto naturæ, virtutiſq; rapuerunt, ſic quòd propter verba illa Chriſti, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, aſſererent eum longè eſſe à beatitudine & incorruptione Dei, in cuius animam dominans metus triſtitiæ imminentis inciderit, qui etiam conſternatus fuerit paſſionis neceſſitate eò vſque, vt oraret, *Pater, ſi poſſibile eſt*, &c qui etiam vſque ad quærelam deſolationis acerbitate paſſionis ſuæ commotus, auxilij inops paterni, ſpiritum in hac voce emiſerit, cum dixit, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Dicendum igitur eſt, iuxta ea quæ ex argumento citauimus, quod Hilarius iam lib. 10. loco citato voluerit docere ex timore, triſtitia, dolore Chriſti, nihil debere colligi contra eius diuinitatem, & proprietatem naturalis Filij Dei: quia hæc non inciderunt, neque affecerunt ipſam perſonam Chriſti formaliter ratione perſonalitatis, vel ſubſtantiæ huic connaturalis, videlicet diuinæ, quia vt ſic, illorum fuit planè incapax: quod clarius exprimit cap. 31. in Math. vbi ſic contra Arrianos ſcribit, Volunt tamen ex infirmitate corporis, ærumnam ſpiritui (videlicet diuino) adhærere, ac ſi virtutem illam incorruptæ ſubſtantiæ imbicillitatis ſuæ ſorte aſſumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit: ſi ad metum triſtis eſt, ſi ad dolorem infirma, ſi ad mortem trepida, iam & corruptioni ſubdita erit. Hanc itaque hæreſim primò & principaliter refellere intendit, & docere ex Chriſti verbis, quibus infirmitates corporis expoſuit bene intellectis, non poſſe eam ſtabiliri.

33 Hinc Secundò docet, quod in Chriſto nō fuerit timor ſiue metus triſtitiæ, videl. dominans, vt loquitur in argumento libri, neque fuerit ipſe conſternatus ſiue contriſtatus, paſſionis neceſſitate, vt heretici illi volebant, quam per abſolutam ſuam potētiam non poſſe euadere, & proinde ſuſtineret inuitus. Rurſum, quòd non auxilij inops ad quærelam deſolationis fuerit cōmotus propter paſſionis acerbitatem, quemadmodum in citato argumento dicit aduerſarios ex Scripturis malè intellectis colligere, quia infirmitates prædictas non naturali & ineuitabili neceſſitate, quaſi impotens ad eas repellendas, ſuſtinuit, ſed voluntaria tantummodo perpeſſione aſſumpſit: ſicuti & c. 31. in Mat. ait, quod eūctę noſtrę quę in eo fuerūt infirmitates nō naturales ſunt, ſed aſſumptę: vbi vocat eas, non naturales, tum quia perſonæ eius vt ſic ſiue tanquam diuinæ, non ſunt naturales, tum etiam quia ſuppoſitâ vnione hypoſtaticâ humanitatis cum perſona Verbi, iure quodam naturalis proportionis debebatur iſti humanitati beatitudo, & libertas ab omnibus infirmitatibus, non tantum ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus, quamuis per diuinam diſpenſationem ad Incarnationis finem adimplendum, factum ſit, quod corpus maneret paſſionibus obnoxium: & ideo infirmitates illæ dicuntur potius aſſumptæ quàm naturales, etiam reſpectu humanitatis Chriſti.

Quod verò ſcribit lib. 10. in hæc verba, In corpus Domini irruens paſſio, & paſſio fuit, & tamen naturam paſſionis non exercuit, cum & pænali miniſterio illa deſæuit, & virtus corporis ſine ſenſu pænæ vim pænæ in ſe deſeuientis excepit: quamuis obſcurum valde ſit, videtur tamen in hanc poſſe capi ſententiam: videlicet, quod corpori ſit illata vera corporalis paſſio, eiuſque ſenſus in corpore ſecundum inferiorem partem animæ: ſed naturam paſſionis non exercuerit, quia paſſio iſta non perturbauit ſuperiorem partem animæ aliquâ irruente affectione, quæ eam à ſtatu rectitudinis, aut ſaltem tranquillitatis debitæ aliquo modo deturbauerit, quemadmodum corporales paſſiones nos perturbare ſolent, etiam ſecundum appetitum rationalem, vt indignatione, irâ, triſtitiâ, quibus ſentit ſe anima etiam in ſuperiori parte exagitari & quaſi vulnerari, quando corporales paſſiones ſubterfugere nititur, nec euadere poteſt. Et ideo: quia corporalis Chriſti paſſio huiuſmodi affectiones in Chriſto non cauſauit, videtur ab Hilario dictum, quod non exercuerit naturam paſſionis, & quod virtus corporis eius, ſine anima (vt paulò infrà videtur exponere, dum ait, quod corpus eius ſuâ virtute, ſuâ animâ feratur &c.) ſine ſenſu pænæ exceperit vim pænæ in ſe deſeuientis. Quæ expoſitio poteſt confirmari ex eo quod infrà poſt duo folia habet, vbi cum ex Apoſtolo ad Coloſſenſes 2. docuiſſet, quomodo Chriſtus 34

Chyro-

Chyrographum, quod aduerſum nos erat, affixiſſet cruci, ſpolians principatus & poteſtates cum fiducia: ſubiungit, Succumbere ergo tibi videtur virtus illa vulneris clauo, & ad ictum compungentis exterritam demutaſſe ſe in naturam dolendi, ſic videlicet, vt Chriſti virtus ipsá paſſione & dolore commota ac perterrita, fuerit perpeſſa & inuita ſenſerit paſſiones ex vulneribus & ictibus, in ſuperiori etiam animæ parte, quæ in nobis ex corporis doloribus ſequi ſolent.

35 Hoc etiam ſenſu accipi poſſunt verba quæ præcedunt, & hîc à D. Th. allegantur cõpendiosè: videlicet, Chriſtũ, quamuis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet, aut nodi concurrerent, afferrent quidem hæc impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent, ſcilicet talem, quo virtus animæ ſuperior perculſa & vulnerata paſſionem refugeret quam non poſſet euadere: iuxta id quod ibidẽ ſcribit, Omne enim quod timetur vitari neceſſe eſt, dum timetur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit triſtitia?

36 CONCLVSIO eſt affirmatiua & certa de Fide: Patet ex Scripturis: Math. 26. *Cœpit contriſtari & mæſtus eſſe*, Marci 14. *Cœpit pauere & tædere. Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Circa quæ notat Ianſenius cap. 27. ſuæ Concordiæ, idem eſſe vocabulum Græcum quod interpres apud Matthæum vertit, *Mæſtus eſſe*, & apud Marcum *Tædere*: illudque propriè ſignificare grauiter angi ac penè exanimari & deficere: cui congruunt ea quæ ſcribit Lucas de Chriſti agonia.

Idem docent Sancti Patres, quamuis in cauſis huius triſtitiæ aſſignandis nonnihil videantur variare: Amb. lib. 10. in Lucam cap. 9. Sequeſtratâ delectatione diuinitatis æternæ, inquit, affectibus ſuis naturalibus hic motus ſuos indulſit: vt in ipſo paſſionis tempore, ait Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 3. ſe hominem eſſe etiam hac in parte monſtraret, & vnà cum mortalitatis noſtræ languoribus dolores noſtros, quos non ſolum præſente afflictione ſentimus, verùm etiã ea aduentante metu, & auerſatione experimur, ipſe portaret: neque enim habent fortitudinis laudem iuxta Ambroſium, qui ſtuporem magis vulnerum tulerunt, quàm dolorem. Vbi quod ſuprà dixit Ambroſium, Sequeſtratâ delectatione diuinitatis æternæ, intellige iuxta doctrinam, quam hic tradit D. Th. quia videlicet beatificæ viſionis & contemplationis delectatio, ita per diſpenſationem diuinæ virtutis retenta fuit in mente Chriſti, vt nullo modo fuerit deriuata ad vires ſenſitiuas: quibus etiam peculiariter hoc paſſionis tempore ſubſtracta fuit omnis recreatio & fortitudo, quæ aliàs quoq; ſolent à parte ſuperiori ad inferiorem deriuari: vnde tunc cæpit contriſtari & mæſtus eſſe.

37 Probatur Secundò ratione, in primis quia obiectum triſtitiæ eſt malum aliquod vel ratione, vel imaginatione apprehenſum vt nociuum; ſed Chriſtus potuit apprehendere paſſionem ſuam vt naturæ nociuam: item peccata hominum tanquam ſecundum rationem & virtutem noxia & deteſtanda; ergò potuit contriſtari, cum in eiuſmodi actibus non ſit culpa.

Accedit, quod admittendo triſtitiam ſe verum hominem demonſtrauit iuxta Cyrillum ſuprà.

Tertiò, quia ſic magis commendauit ſuam erga Patrem obedientiam, & erga nos charitatem, dum tam voluntariè & alacriter mortem ſubiuit, quam natura & inferior appetitus tantoperè abhorrebant.

Quartò, quia ſic nos inſtruxit, vt non exiſtimemus mox nobis in peccatum imputandum, ſi mortis horrorem in nobis ſentiamus, nec deſperemus ſi non tantâ cum alacritate mortem excipiamus, cum quantâ eam exceperunt plerique Martyres. Denique vt ipſe has infirmitates in ſe tolerando, in nobis eas minueret, iuxta illud B. Leonis ſerm. 3. de Paſſione, Chriſtus noſtræ infirmitatis affectus participando curabat, & pænalis experientiæ metum ſubeundo pellebat: neque hæ paſſiones diuinitati eius derogant magis, quã mors & aliæ pleræque infirmitates, quas noſtri cauſa cum humanâ naturâ ſuſcepit: vt ſunt eſuries, ſitis, laſſitudo, fletus, & ſimiles: nec eius aduerſantur doctrinæ, quâ à ſuis metum mortis excludit, quatenus hortatur vt non timeant eos, qui corpus occidunt: non enim vetat naturalem mortis reformidationem, ſed timorem illum, quo mens percuſſa abducatur à recto, & ad ea pertrahatur quæ diuinæ ſunt voluntati contraria.

DVBIVM

DVBIVM VNICVM.

An etiam ſecundum voluntatem rationalem in anima Chriſti fuerint dolor & triſtitia? An verò ſecundum partem ſenſitiuam tantum?

38 Dico Primò: Certum eſt Chriſtum voluntate rationali doluiſſe, & fuiſſe contriſtatum. Eſt communis & certa doctrina.

Probatur Primò: Quia Chriſtus doluit de peccato Iudæ quoad proditionem: de ſcandalis diſcipulorum, de cæcitate & obſtinatione Iudæorum, & de aliorum hominum peccatis, vt patet ex illis eius verbis, Luc. 13. *Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis*, &c. *quoties volui congregare filios tuos*, &c. *& noluiſti*, Item ex fletu eius ſuper Hieruſalem. Ruiſum ex verbis eius ad Iudam, *Amice, ad quid veniſti?* atqui hæc mala ſunt obiecta doloris & triſtitiæ, non appetitus ſenſitiui per ſe, vtpote qui circa malum inhoneſtum, aut circa malum futurum proximi per ſe non verſatur: ſed ſunt mala quæ mens conſiderat & proponit voluntati rationali vt noxia & fugienda. Quare de his neque triſtatur, neque dolet appetitus inferior per ſe proximè, quamuis benè commoueatur concomitanter, & dolere ſoleat per quandam redundantiam affectionis, quæ in ſuperiori voluntate exiſtit, & ad inferiores vires propter naturalium potentiarum ſympathiam deriuatur. Vnde & veræ pænitentiæ ac contritionis de peccatis noſtris magnum nobis eſt teſtimonium, quando perſentimus etiam inferiorem hominem triſtitiâ & dolore confectũ, ac non in ſola contemplatione abſque ſenſu, pænitentiam peragi.

39 Probatur Secundò: Quia cum in hoſtia pro peccatis, contritio cordis, voluntatiſque triſtitia potiſſimum deſiderêtur (ſacrificium quippe Deo ſpiritus contribulatus) conſentaneum omnino fuit vt Dei Filius hoſtiam pro peccatis ſe exhibiturus, non ſolum corporis & animæ ſenſitiuæ dolores, ſed mœrorem quoque ſpiritus & voluntatis triſtitiam ſuſciperet, quibus pro culpis noſtris omnibus, hoſtia illa Deo gratiſſima modis omnino omnibus conteretur. An verò hic dolor & hæc triſtitia fuerint in voluntate Chriſti rationali ſecundum rationem inferiorem tantum: an etiam ſecundum rationem ſuperiorem, diſputant Scholaſtici.

Diuus Thomas Opuſculo de Chriſti humanitate cap. 12. de paſſione, videtur tantum ſecundum rationem inferiorem in voluntate rationali ponere triſtitiam. Sed poteſt cum diſtinctione reſponderi, quod dolor & triſtitia, de quibus vti modo egimus, quatenus ſcilicet fuerunt de malis prædictis in quantũ cauſabant ſuis auctoribus reatum culpæ, & reatum pœnæ æternæ, ſic fuiſſe in Chriſti voluntate ſecundũ rationem inferiorem: ſed quatenus erant de peccatis in quantum hæc ſunt iniurioſa & contumelioſa diuinæ majeſtati, ſic in eius fuiſſe voluntate ſecundum rationem ſuperiorem: quia dolor & triſtitia vt ſic regulantur & diriguntur ſecundum altiſſimas & planè diuinas rationes.

Sed obijcitur: Anima Chriſti ab initio fuit beata, neque vnquam caruit beatificæ 40
viſionis gaudio; ergò nunquam doluit aut contriſtata fuit ſecundum rationalem voluntatem.

Probatur Conſequentia, quia triſtitia & gaudium ſunt actus omnino contrarij: contraria autem eidem ineſſe non poſſunt. Ob hoc argumentum dicit Canus lib. 12. de locis cap. 14. animam Chriſti in cruce non habuiſſe gaudium de viſione diuinitatis. Sed hæc opinio, vt refert Medina in tertiam Partem qu. 46. art. 8. noua eſt: & ab alijs tanquam temeraria & periculoſa meritò reijcitur.

Reſpondetur itaque breuiter Negando Conſeq. & ad probationem dicendum eſt, gaudium & triſtitiam ſecundum rationes ſuas genericas & modum quo verſantur circa obiecta ſua, habere quandam diuerſitatem & repugnantiam, ſed tamen non talem, vt contradictionem inuoluant reſpectu eiuſdem ſubiecti inhæſionis, niſi accipiantur in ordine ad idem obiectum eodem omnino modo conſideratum: quia alioquin vnum non deſtruit formaliter rationem alterius in eodem ſubiecto: Contraria verò, licet generaliter loquendo non poſſint naturaliter eidem ſubiecto ineſſe in gradu ſaltem intenſo, poſſunt tamen per abſolutam potentiam ſimul eidem conuenire, quando non habent rationes ita repugnantes, vt vna formaliter alteram deſtruat, quemadmodum contrariari videntur aſſenſus & diſſenſus eiuſdem propoſitionis in eodem intellectu, amor & odium eiuſdem ſecundum idem in eadem voluntate, quod gaudio & triſtitiæ generaliter loquendo non competit, quin & vnum poſſit eſſe obiectum alterius, & ſimul in eadem eſſe voluntate: vt dum voluntas de peccatis dolet, de quo dolore ſimul gaudet, quod notauit D. Th. Opuſculo ſuprà citato c. 12. de paſſione Chriſti. Non itaque eam habent abſolutam repugnantiam, niſi quatenus verſantur circa idem obiectum eodem omnino modo cõſideratum, quod in propoſito locum non habet

habet: gaudium namque animæ Chriſti erat de Deo clarè viſo, triſtitia verò eius de hominum peccatis, vt diuinam majeſtatem offendunt, & ſuis auctoribus interitum æternum adferunt.

41 Dico Secundò: Præterea rationalis Chriſti voluntas, vt natura refugit etiam paſſionem & mortem tanquam naturæ contraria & noxia. Probatur: quia hoc omnibus rebus ab auctore naturæ inſitum eſt, vt naturaliter appetant tum ſui, tum maximè compoſiti ſui conſeruationem, & refugiant ea quæ huic repugnant aut aduerſantur. Vbi tamen notandum, quod hæc fuga videatur ſolùm fuiſſe in rationali voluntate per modum naturalis inclinationis, quæ per modum actus eliciti ſe oſtendit in appetitu ſenſitiuo, cui permiſit naturales ſuos motus exercere & pati. Vnde

42 Dico Tertiò: Voluntas Chriſti rationalis, quatenus voluntas, ne quidem ſecundum rationem inferiorem ita fuit timore conſternata ob mala paſſionis imminentia, vt actu elicito vel ſub conditione quidem, v. g. Si poſſibile eſſet, aut ſi ita Deus vellet, deſiderauerit ac orauerit paſſionem in ſe euadere aut declinare. Colligitur ex D. Thoma qui timorem, dolorem & triſtitiam Chriſti ob paſſionis cruciatus ac mortem, ſemper videtur referre ad appetitum inferiorem, quamuis admittat triſtitiam in voluntate eius rationali de peccatis hominum: Eſtque Ianſenij in ſua Concordia cap. 27. vbi ſic ſcribit, Quia in nobis huiuſmodi motus quandoque non ſiſtunt in appetitu ſenſitiuo, ſed ad ſe trahunt rationem, quod in Chriſto non accidit: & infrà: Cæterùm hæc oratio Chriſti fuit tanquam veri hominis & naturaliter abhorrentis mortem profecta, non ab ipſo ſpiritu, ſed à deſiderio carnis & partis inferioris: & rurſum: Chriſtus ſecundum ſpiritum & rationem non habuit voluntatem diuerſam à Dei voluntate, vt quatenus talis dicere potuerit, *Non mea voluntas, ſed tua fiat*, ſed iuxta carnem deſiderium quoddam habuit diuerſum à Dei voluntate.

43 Probatur Primò ex Patribus: D. Hilarius lib. 10. de Trinit. circa medium multa adducit ad probandum, Chriſtum neque doluiſſe, neque contriſtatum fuiſſe de paſſione aut morte imminente, vtpote qui iam prius ſollicitè deſiderauerat tempus paſſionis ſuæ, qui ſciebat ſe in hoc veniſſe, qui ſuos mortem contemnere docuerat, qui tam alacriter hoſtibus ſuis obuiam iuerit, tam amicum oſculum Iudæ præbuerit, & ſimilia præſtiterit: quæ D. Hilarij doctrina conuenienter de paſſionibus ſiue affectionibus iſtis vt in ſuperiori voluntate ſunt, poteſt accipi, idque ad minus eum voluiſſe dicendum eſt: Hieronymus in cap. 27. Matthæi ſic ſcribit: Contriſtabatur autem (videlicet Chriſtus) non timore patiendi, qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat: quod rurſum de timore voluntatis rationalis conuenienter intelligitur dictum. Idem videtur dicere D. Aug. enarrat. 2. in Pſalm. 21.

Probatur Secundo: Quia actu elicito per voluntatem rationalem refugere paſſionem, ad quam ſubeundam Chriſtus in mundum venerat, eiuſque euaſionem precari, quantumuis ſub conditione ſi poſſibile eſſet, videtur ad voluntatem Dei adimplendam, ſi non refragari, ſaltem cunctari eſſe: imò, quia Chriſto de abſolutâ Dei voluntate conſtabat, videretur magnæ puſillanimitatis indicium eſſe, neq; fuiſſet obedientiam omni animi promptitudine deferre: quæ à Chriſto longè alieniſſima meritò reputātur, qui ſecundū actus rationis ſibi ſemper ſimilis fuit ad promptiſſimā ſuam obedientiam erga Patrem, etiam vſque ad mortem demonſtrandā: nam antè c. 14. Ioan. dixerat: *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater; ſic facio. Surgite, eamus hinc.* Vnde Cyrillus lib. 10. Theſauri cap. 22. ait, Talem erga nos charitatem Saluator habuit, vt ſummo cum gaudio cruci affigi non erubuerit, vt peccatoribus ſalutē afferret. 44

Objicitur Primò: Chriſtus orauit, Vt ſi fieri poſſit, tranſiret ab eo calix; ſed oratio eſt petitio rationalis deſiderij, mentis & linguæ officijs declarata; ergò per voluntatem rationalem actu elicito refugit paſſionem, & ſub conditione deſiderauit à ſe calicem auferri, ſi ita placitum fuiſſet Patri. Confirmatur, quia petitio quam Chriſtus facit eſt ſub conditione; atqui ſub conditione petere, actus eſt volūtatis rationalis, eo quòd ſola ratio poſſit plura in conſiderationem adducere; ergò Chriſtus hâc oratione, non ſolùm naturale deſiderium, ſed rationalem affectum expoſuit. Accedit quod ad expreſſionem deſiderij naturalis ſuffeciſſet dicere. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* 45

Reſpondetur, quamuis multi hanc Chriſti orationem accipiant tanquam naturalis appetitus ſiue ſenſitiui expoſitionem, vt patet ex Ianſenio ſuprà citato, tamen propter argumentum adductum videri omnino admittendum, quod ſit expreſſio deſiderij rationalis: Vnde pro reſolutione eius, neganda erit conſequentia, quia ſecundum D. Aug. loco ſuprà cit. Gregor. 12. moral. c. 8. & Fulgent. q. 3. ad Ferrandum, oratio iſta à Chriſto facta eſt transfigurātè 46

in ſe par-

in ſe perſonam membrorum ſuorum infirmorum, qui imminente aduerſitate ab initio non ſolùm naturali, ſed etiam rationali deſiderio nondum conſtantiſſimè confirmato optant & orant eam euadere. Vnde Hilarius 10. de Trinitate: In voluntate, inquit, deprecandi calicis, Chriſtus humanæ in ſe ſollicitudinis ſignificabat conſortium: & D. Leo ſerm. 5. de paſſione: Noſtræ vtitur voce naturæ, & cauſam fragilitatis, & trepidationis agit humanæ: quà in re inprimis egit Doctorem declarans, inquit idem Leo, quid poſſit à trepidante orari, & quomodo iſtud priuatum velle ad Dei voluntatem debeat reuocari & corrigi. Deinde, Pro infirmis egit interceſſorem: nam iſtis precibus obtinuit primò, vt infirmi quibus non expedit affligi aut cruciari, merito huius orationis exaudiantur, vt ſubinde calix paſſionis ab eis transferatur. Secundò: vt alij ad tolerantiam paſſionis animentur. Vnde pulchrè D. Leo ſerm. 7. de paſſione: Quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum ſuperare terrores? niſi Chriſtus in omnibus & pro omnibus patiens Patri diceret, *Fiat voluntas tua*: diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filij, vt cum aduerſitas violentæ alicuius tentationis incubuerit, præſidio potentiſſimæ orationis vtantur, vt ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiam paſſionis.

47 Obijcitur Secundò: Diuus Hieronymus loco ſuprà citato, ex triſtitia Chriſti colligit eum animam habere rationalem: Qui irrationalem, inquit, animam Chriſtum ſumpſiſſe opinantur, dicant quomodo contriſtetur, & perfectè nouerit cauſas triſtitiæ? Vbi Hieronymus videtur reſpicere ad verba Chriſti, *Triſtis eſt anima mea*, &c. ergò iuxta Hieronymum habuit Chriſtus illam triſtitiam in voluntate rationali.

Reſpondetur Primò: Quamuis Diuus Hieronymus triſtitiam illam in voluntate rationali Chriſti collocaſſet, non tamen idcirco eum aduerſari noſtræ Concluſioni: quia illius triſtitiæ cauſam ponit peccatum Iudæ & Iudæorum ruinam; vt ex ſuprà dictis patet: de quibus malis etiam nos diximus Chriſtum ſecundum voluntatem rationalem triſtem fuiſſe ac doluiſſe, quæ triſtitia haud dubiè redundauit quoque in vires inferiores.

Reſpondetur Secundò: etiam ex timore & triſtitia Chriſti in horto ſecundum appetitum inferiorem propter imminentem paſſionem & mortem, colligi rectè poſſe, quod haberet animam rationalem ſiue intellectualem: quia cum hæc mala eſſent abſentia, & à cauſis liberis dependerent, & nondum ſenſibus obijcerentur, neceſſum eſt quod intellectu fuerint cognita, ac imaginationi vt futura & inſtantia propoſita, vnde appetitus inferior huiuſmodi affectionibus timoris & triſtitiæ fuerit commotus.

Quare notandum, quod Diuus Hieronymus rectè hoc vrgeat in iſta collectione: & quomodo perfectè cauſas nouerit triſtitiæ?

Obijcitur Tertiò: Timor mortis & de illa triſtitia etiam voluntatis rationalis, ſunt affectus naturales & innoxij quamdiu voluntatem à recto non abducunt; ergò videntur etiam in Chriſto admittendi, vt ſic plenius omnes infirmitates noſtras portauerit. Reſpondetur, Quamuis affectus iſti cum tali moderamine, non ſint culpabiles, tamen videntur minus conuenienter conſiſtere cum fortitudine animi Chriſti & promptiſſimà obedientià, potiſſimum, ſi eo vſque putentur proceſſiſſe, quod præ timore & triſtitià incæperit ſub conditione calicem deprecari vt à ſe tranſiret. Vnde Auguſtinus in Pſalm. 21. expreſſè ſignificat Chriſtum, quando dixit illa verba, *Tranſeat à me calix*, non timuiſſe mortem, quam Paulus optauit: neque enim fortiorem eſſe militem, inquit, quam Imperatorem, ſed in eo dicto infirmorum perſonam ſuſtinuiſſe. De reliquo, fuit etiam Chriſtus nobis aſſimulatus in triſtitia & dolore, ſecundum voluntatem rationalem, quando de peccatis noſtris ſummopere fuit contriſtatus. 48

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in Chriſto fuerit timor?

SErmo eſt de timore ſenſibili, vt patet ex Corpore. 49

CONCLVSIO eſt affirmatiua, certa, & communis. Patet ex Scriptura apud Marcum cap. 14. *Cœpit pauere & tædere*: Idem docent communiter Sancti Patres, Athanaſius lib. de Incarnatione, Damaſcenus lib. 3. de Fide cap 23. Chryſoſt. homilia 24. in Matthæum, Amb. lib. 2. de Fide cap. 3. Leo ſerm. 7. de paſſione, & alij.

Probatur ratione: quia affectus hic, vt habet Damaſcenus loco citato, eſt innoxius & homini paſſibili naturalis, cùm malum aliquod imminet, & confert ad veri-

tatem naturæ aſſumptæ demonſtrandam, vt Articulo præcedente explicuimus: & quoniam pænalis eſt, optimè ſubſeruit fini Incarnationis, quemadmodum ſuprà de dolore & triſtitia oſtenſum fuit; ergò &c.

50 Sed obijcitur: Timor eſt de malo futuro cum aliqua ſpe euadendi, vt docet Philoſophus lib 2. Rhetorices cap. 5. ſed Chriſtus, cui diuina voluntas perfectè cognita fuit, non habuit ſpem euadendi paſſionem & mortem; ergò verè non timuit. Reſpondetur, Negando abſolute de ratione timoris eſſe, quod malum ſit incertum, & coniuncta ſit ſpes euaſionis: quemadmodum neque de ratione ſpei eſt, quod bonum ſperatum ſit dubium, vt conſtat in ijs, qui in purgatorio exiſtentes verè & propriè beatitudinem ſperant, quantumuis de ea adipiſcenda certi ſint. Quare ſimpliciter ſufficit ad rationem timoris, quod malum ſit abſens: quamuis interim hoc videatur verum, quod dum malum apprehenditur ſub ratione mali omnino ineuitabilis, tunc magis ſoleat cauſare triſtitiam, quàm timorem: & inde forſitan Philoſophus dixit, quod timor non ſit, niſi vbi eſt aliqua ſpes euadendi: ſimpliciter tamen loquendo, poteſt etiam cauſare timorem, potiſſimum ſi ineuitabilitas non ita expreſsè conſideretur, aut per imaginationem proponatur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in Chriſto fuerit admiratio?

51 CONCLVSIO Diui Thomæ eſt affirmatiua, videlicet admirationem propriè dictam in Chriſto fuiſſe.

Probatur Primò ex Scripturis Math. 8. *Et audiens* IESVS, *miratus eſt.*

Probatur Secundò ratione: quia licet admiratio in nobis frequentius oriatur ex effectu viſo cuius cauſam ignoramus, tamen omnimoda ignorantia non eſt ſimpliciter ad rationem admirationis neceſſaria: nam etiam admiramur effectus magnos, ſiue ſingulares & inſolitos, quando primum eos ſenſibus vel per experientiam percipimus, tametſi cauſas eorum prius intellectu teneamus. Quod exemplo declarat Medina, quemadmodum Aſtrologus, quamuis Ecclipſis cauſam probè nouerit, miratur tamen magnam Solis Ecclipſim, potiſſimum quando prius eam nunquam ſenſu perceperat; atqui potuerunt obuenire effectus aliqui magni & inſoliti, quorum licet cauſas & rationes Chriſtus optimè cognouiſſet, tamen illos, aut ſimiles ſenſibus, vel experientia antea non obſeruaſſet aut percepiſſet; ergò his viſu vel auditu perceptis potuit verè admirari. Et ſic ſuper magnitudine Fidei Centurionis, his verbis ab eo declarata, *Domine, non ſum Dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus*, miratus eſt Chriſtus dicens, quia non inueniſſet tantam Fidem in Iſrael, ſupra Matth. 8. Fructum verò & finè admirationis Chriſti exponit D. Auguſt. lib. 1. ſuper Geneſim contra Manichæos c. 8. Quod mirabatur Dominus, inquit, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus ad hoc, opus eſt ſic moueri: omnes ergò tales motus eius non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis magiſtri: quaſi diceret: Chriſtus aſſumpſit admirationem, vt nos inſtrueret & doceret, mirabilia Dei opera admirari, & per admirationem proficere ad eius amorem & cognitionem: non quòd ex aliqua animi perturbatione fuerit eam perpeſſus. Vnde non rectè quidam ex illis Auguſtini verbis collegerunt, eum negare in Chriſto admirationem propriè dictam, cum eam ſatis expreſsè ſtatuat, dum ait: Omnes ergò tales motus eius, &c. Sed tantum oſtendit quod Chriſtus eam non fuerit paſſus, quemadmodum nos patimur, ſed omnino voluntariè & cum ratione eam admiſerit.

52 Obſeruari autem hîc poteſt, Admirationem, quando eſt de magno malo cuius quis exitum conſiderare non ſufficit, tunc eam à Diuo Thoma Prima Secundæ quæſt. 41. art. 4. poni ſpeciem quandam timoris; quando verò naſcitur ex alijs rebus magnis, quarum cauſa ignoratur, tunc ab eodem quæſt. 32. art. 8. eàdem Parte, vocari deſiderium ſciendi: quando denique oritur ex re magna & inſolita, ſenſu vel experientiâ perceptâ, cuius cauſa prius cognita fuerit, videtur eſſe quædam delectatio de re iam viſâ, quæ prius ſolùm quaſi abſtractiuè cognoſcebatur. Ex quibus conſequens eſt, admirationem formaliter ſemper eſſe actum voluntatis, tametſi actus intellectus ſimul requiratur, quo quis iudicet rem ſuperare apprehenſionem ſuam, vel inſolitam eſſe, & magnam ſeu extraordinariam reſpectu ſenſus & experientiæ.

ARTIC-

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in Chriſto fuerit ira?

53 CONCLVSIO D. Thomæ eſt affirmatiua, communis, & certa. Patet: quia Marci cap 3. de illo dicitur, *Et circumſpiciens eos cum ira*, Ioannis cap 2. applicatur Chriſto illud Pſalm. 68. *Zelus domus tuæ commedit me*, zelus autem propriè quandam iræ ſpeciem ſignificare videtur.

Probatur Secundò ratione Diui Thomæ: quia ex triſtitia alicui illata conſequitur in eo circa ſenſitiuum partem appetitus repellendi iniuriam ſibi vel alteri illatam, qui laudabilis eſt, ſi ſit ſecundum ordinem iuſtitiæ & charitatis. Vnde Baſilius in illud Pſalmi *Iraſcimini & nolite peccare*, ſcribit, iram eſſe vtilem contra eos, qui iniuſtè agunt; atqui Chriſto ſæpius fuit illata triſtitia per iniurias & blaſphemias contra Deum & Spiritum Sanctum; ergò potuit in eo ſubſequi iuſta & rationabilis ira. Vnde ex eiuſmodi indignatione ſæpius Scribas & Phariſæos redarguit: vt Math. 15. *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Iſaias*, &c. & cap. 22. *Quid me tentatis Hypocritæ*, & pluribus alijs locis. Neque tantum fuit affectus iræ in voluntate rationali; ſed etiam in appetitu ſenſitiuo: imò de affectu huius appetitus agit hic Diuus Thomas vt patet ex ratione eius modò allegata: quia quemadmodum ipſa naturalis vis ſenſitiua in ſe bona eſt, ita etiam eius motio & operatio, quatenus à ratione excitantur & rationi ſubſeruiunt. Hinc quia Chriſtus operabatur & agebat more humano, quatenus modus hic peccatum & indecentiam non habet adiuncta, idcirco quando ratio poſtulabat etiam affectus inferioris appetitus ſinebat excitari, vt ſecundum exigentiam rationis ſubſeruirent operationibus mentis quas exercebat.

54 Quod autem Scriptura dicit, *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*, intelligitur de ira quæ regulâ iuſtitiæ & charitatis non dirigitur, vt quâ quis vult priuatâ auctoritate ſe de inimico vindicare, vel non ex affectu iuſtitię & charitatis vt Reipublicæ bene ſit, vel inimicus emendetur: ſed ſolùm, quia de malo aut de miſeria alterius gaudet, quod cōmuniter ſatis inter homines iratos fieri ſolet: Hæc itaq; ira reprobatur quæ manſuetudini opponitur: non altera quæ ſecundum iuſtitiam & affectum charitatis exercetur, de qua ſcribit Auguſtinus tract. 10. ſuper Ioannem: Zelo domus Dei comeditur, qui omnia quæ ibi peruerſa videt, ſatagit emendare, & ſi emendare non poteſt, tolerat & gemit.

Sed dicet aliquis: Diuus Gregorius lib. 4. moralium cap. 32. ſcribit, quod etiam ira per zelum turbat oculum mentis, quem excœcat ira per vitium; ergo videtur quod nulla ira in Chriſto ſit admittenda. Reſpondetur, id quod D. Gregorius ſcribit, verum eſſe communiter in nobis, quia ſecundum naturalem ordinem operandi, potentiæ ſe mutuo impediunt, ita ſcilicet, quod cum vnius operatio fuerit intenſa, alterius operatio debilitetur: & propterea ira, quamuis ſecundum rationem moderata, tamen vtcumque in nobis impedit oculum animæ contemplantis: ſed in Chriſto Domino vna potentia nullo modo impediebat operationem & attentionem alterius potentiæ, & ſic ira Chriſti nullo modo turbabat eius oculum mentis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Chriſtus fuerit ſimul viator & comprehenſor?

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Pro- 56
batur primò prior pars ex illo Hieremiæ cap. 14. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* quod de Chriſto intelligi indicat ibidem Diuus Hieronymus: & quamuis Viatoris nomen ibi non accipiatur rigidè in illa ſcilicet ſignificatione, in qua Scholaſtici vtuntur, quando de viatore & comprehenſore diſputant, ſed ſolùm ſignificetur Chriſtum futurum quaſi peregrinum in terra, & paruo tempore vſurum terræ hoſpitio, tamen hoc ipſum ſatis indicat eum pro illo tempore nondum pleniſſimè aſſecutum fore terminum & finem, ad quem tendebat, & proinde etiam iuxta huius quæſtionis ſenſum fore Viatorem. Poſterior pars ex dictis qu. 10. ſatis liquet.

Probatur nihilominus vtraque pars breuiter ratione: quia anima Chriſti ab initio clarè vidit & fruita eſt diuinâ eſſentiâ; ergò ſecundum eam rationem Chriſtus fuit comprehenſor: & tamen habebat corpus paſſibile & mortale, atque adeo etiam ipſa anima in corpore

erat adhuc paſſibilis; ergò hactenus non erat conſecutus completam perfectionem termini,&per conſequens erat in ſtatu quo conueniebat illi rendere ad terminum, potiſſimùm cum partes naturæ humanæ eſſet adhuc vnitæ, vnumq; compoſitũ actu conſtituerent,& necdum ambę eſſent conſecutæ ſupremam ſuam perfectionem ſiue beatitudinem: Conueniebat igitur Chriſto adhuc operari in ordine ad terminum, & operando tendere, ac conſequi id quod vni parti deerat: Hoc autem eſt eſſe in ſtatu viatoris; erat igitur Chriſtus viator.

Nota, quia hîc agitur de defectibus quos aſſumpſit Chriſtus, idcirco hunc articulum potius hoc loco proponi à D. Th. quo declarat Chriſtum fuiſſe Viatorē, quã Comprehenſorem: quod ſuprà quæſt. 10. ſatis demonſtratum fuit.

QVÆSTIO XVI.

De conſequentibus vnionem, quantum ad ea quæ conueniunt Chriſto ſecundum eſſe & fieri.

In duodecim Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrùm hæc propoſitio ſit vera? Deus eſt homo: *item, Vtrùm iſta,* Homo eſt Deus?

1 Quia ex verbis inordinatè prolatis multa ſequũtur incommoda, ac etiam hæreſis incurritur, dum quis Fidei veritatem, quam vno modo confitetur, ſub alia verborum forma negat: vt ſi quis admitteret rres eſſe perſonas vnius ſingularis eſſentiæ, ſed negaret vnum eſſe Deum: Hinc D. Tbomas hîc ex propoſito tractat de modo & proprietate loquendi & enuntiandi naturam diuinam & naturam humanam in perſona Verbi vnitas de ſe inuicem, earumque proprietates prædicandi, tum de Deo, tum de homine, tum de Chriſto. Sititaque

2 Conclvsio Vnica: Vtraque propoſitio in duabus articulis propoſita, vera eſt, accipiendo etiam vtrumque extremum in proprietate ſuæ ſignificationis.

Probatur de priori ex Illo ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet,* &c. *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*; ergò qui ob formam Dei Deus erat, ob ſerui, ſiue hominis formam acceptam, homo eſt.

Confirmatur: Quia nomen ſignificans naturam in concreto poteſt verè & propriè prædicari de ſuppoſito illius naturæ, vr homo de Petro & Paulo: atqui perſona Filij Dei eſt ſuppoſitum humanæ naturæ; ergò natura humana in concreto poteſt de illa prædicari, & proinde perſona Filij Dei eſt propriè & verè homo, & conſequenter Deus eſt homo: quia poteſt nomen Deus ſupponere pro quauis diuina perſona. Hinc per conuerſionem, vt argumentantur Dialectici, ſequitur etiam alteram propoſitionem ſcil. Homo eſt Deus, eſſe verã. Et probatur ſimili ratione, quia homo poteſt ſupponere pro quolibet ſuppoſito humanæ naturæ; ergo etiam pro ſuppoſito diuino, cui ſubſtantialiter & hypoſtaticè vnita eſt natura humana, quod ſuppoſitum conſtat eſſe Deum.

Nota hîc nomen Deus per ſe primo ſignificare naturam diuinam vt ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ aliquâ quaſi in communi, & proinde quando per ſe ſtar, ſupponere quoque pro eſſentia diuina vt ſie ſubſiſtente, & quodammodo vr in quolibet ſuo ſuppoſito ſubſiſtente, ita videlicet vt neque ſignificet diuinam naturam abſtractam, neque etiam proximè aliquod ſuppoſitum determinatum: vnde ex naturali ſuo modo ſignificandi poteſt quidem ſupponere pro perſona, vr hîc D. Th. notat, atque adeò ita cenſeatur ſupponere quando alterum extremum id requirir, vel aliquid ex parre eiuſdem extremi additur quod id poſtulat ſiue ad hoc determinat; tamen quando abſolutè ponitur, & nihil adiungitur quod ſuppoſitionem pro perſona vel perſonis ſingularibus requirir, tunc ſupponit pro eo quod per ſe primo ſignificat. Vnde fit, dum aliqua de Deo abſolutè poſito negantur, cenſean- 3

cenſeantur ab eo remoueri quaſi ſecundum acceptionem abſolutã ſumpto, vt loquuntur Dialectici, & ſic remoueri ab eo virtute vt ſubſiſtente in quolibet ſuppoſito ſuo: hinc propoſitiones iſtæ, Deus non generat, Deus non eſt genitus, Deus non eſt homo, à Theologis paſſim tanquam non admittendæ ac falſæ reijciuntur: quia ibi Deus non ſupponit pro vna aliqua determinata perſona, ſed pro eſſentia diuina vt ſubſiſtente in communi, ſiue qualibet perſonalitate ſuá: & ſic ſignificatur, quod hæc attributa illi repugnent: vt docet D. Tho. primá Parte quæſt. 39. art. 4. Et quamuis forſitan ex rigore, nomen Deus in prædictis propoſitionibus poſſit ſupponere pro aliqua determinata perſona, vt volunt Durandus, Gabriel & alij nonnulli, qui propoſitiones illas admittunt, tamen iuxta conſuetum concipiendi & apprehendendi modum omnium paſſim intelligentium, cenſetur ſupponere nomen Deus pro primo & proximo ſuo ſignificato.

DVBIVM VNICVM.

In qua materia verſetur hæc propoſitio Deus eſt homo? *Vtrùm in naturali ſiue neceſſaria, An verò in contingenti?*

4 PLerique Theologi in Tertium diſt. 4. & 7. docent verſari in materia contingenti, eſſeque prædicationem per accidens, licet non accidentariam: Ita Bonauent. Scotus, Durandus, Capreolus, Gabriel, Marſilius, & alij, quod multis argumentis confirmant. D. Thomas autem hic ad Primum expreſsè docet, eſſe in materia naturali, eſſeque prædicationem non per accidens, ſed per ſe: quem ſequuntur Caietanus hic, Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 45. & alij nonnulli. Sed diuerſitas harum ſententiarum videtur magis in verbis conſiſtere, quàm in re ipſa. Vnde cum diſtinctione poteſt reſponderi: nam ſi ſubiectum propoſitionis intelligatur trahi à prædicato ad ſupponendum pro perſona Filij Dei, vt habentem ſibi naturam humanam vnitam, ſub qua ratione propriè ſignificatur proprio nomine IESV, ſic manifeſtum eſt propoſitionem eſſe neceſſariam per ſe & eſſentialem, non minus quam hæc, Petrus eſt homo: tam enim per ſe & eſſentialiter IESVS Filius B. Virginis eſt homo, quàm alius quilibet particularis homo, & ſic intelligit Diuus Thomas ſupponere nomen Deus in prædicta propoſitione, magis attendens ad communem Chriſtianorum modum concipiendi & apprehendendi ſuppoſitionẽ ſubiecti in hac propoſitione, Deus eſt homo (quá auditâ, mox de ſubiecto ſolet occurrere conceptus ſeu notio Filij Dei incarnati) quàm ad rigorem dialecticum, iuxta quem ſupponit quidem pro perſona ſiue ſuppoſito diuino, non tamen cum illo adiuncto, videlicet Incarnato, ſed tantum cum formali ſignificato diuinitatis.

5 Neque huic doctrinæ Diui Thomæ ſic explicatæ obſtat, quod ante Chriſti natiuitatem verum, non fuiſſet dicere, Deus eſt homo: rurſus, quod hæc vera non ſit, Deus vt Deus eſt homo, cum tamen propoſitiones neceſſariæ & per ſe dicantur eſſe æternæ veritatis, & quod prædicatum debeat conuenire ſubiecto cum reduplicatione formæ ſubiecti: quia quando nomen Deus in aliqua propoſitione refertur ad tempora antecedentia natiuitatem Chriſti, tunc additur aliquid quod expreſsè indicat nomen illud, non ſupponere pro Filio Dei Incarnato, ſed ſimpliciter pro Deo, aut perſona diuina vt ſic, atque ita excluditur communis modus apprehendendi ſuppoſitionem illius ſubiecti, quæ poſt natiuitatem Chriſti apud Chriſtianos communiter apprehenditur auditâ propoſitione, Deus eſt homo. Sic etiam quando additur reduplicatio, Vt Deus, iam auocatur & impeditur mens, quo minus poſſit apprehendere ſuppoſitionem ſubiecti pro Filio Dei Incarnato, ſed reſtringitur vt apprehendat eius ſuppoſitionem pro ſuppoſito vt diuinum eſt, ſiue ſecundum diuinitatem.

6 Quando verò ſuppoſitio ſubiecti huius propoſitionis, Deus eſt homo, intelligitur ſecundũ rigorem illum dialecticum modo iam ſatis etiã explicato, quo alij Theologi citati inhærẽdo rigori ſignificationis & ſuppoſitionis vocabulorum; apprehendunt, eo ſenſu verum eſt, propoſitionem illam non verſari in materia naturali ſiue neceſſaria, ſed potius in contingente, eſſeq́; propoſitionem non per ſe, ſed per accidens: quod rationes aliorum contra modum loquendi D. Thomæ allegatæ ſatis oſtendunt: quia ſic ſubiectum accipiendo, prædicatum non eſt de ratione ſubiecti, quatenus ſcil. ſubiectum ſupponit tali modo: neque ex natura rei neceſſario illi connexum, quia perſona diuina vt Deus ſiue vt perſona diuina, non includit eſſentialiter humanitatem, neque habitudinem aliquam æternam ac neceſſariam ad eam dicit, ſecundũ quam dicatur homo: ſed omnino ex liberã Dei voluntate factũ eſt, quod perſona Filij aſſumeret hypoſtaticè humanitatẽ. Quẽadmodũ igitur contingens ſiue libera fuit hæc vnio, ſic etiã eodẽ ſẽſu propoſitio iſta,

Deus eſt homo, eſt in materia contingente, ſubſtantialis tamen eſt prædicatio, non accidentaria: quia talis eſt prędicatio, qualis eſt formæ per prædicatum ſignificatæ vnio cum ſubiecto; illa autem, vt ſuprà oſtenſum fuit, non eſt accidentaria, ſed ſubſtantialis: per eam namque humanitas non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter vnitur perſonalitati Verbi: & ideo Verbum non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter eſt homo.

7 Ex his non erit difficile reſpondere ad aliam quæſtionem quæ hic moueri poteſt: Vtrùm videlicet homo vniuocè prædicetur de Deo & alijs hominibus. Certum namque in primis hic eſt, hominem planè ſecundum vnam eandemq; rationem prędicari de Deo & de quolibet ſingulari homine: quemadmodum enim de Petro dicitur ſecundum eam rationem, quâ definitur eſſe animal rationale, vel compoſitum ex corpore & animâ rationali, ſic etiam ſecundum eandem rationem prædicatur de Deo, quando dicitur, Deus eſt homo, ſiue ſubiectum Deus intelligatur ſupponere ſuppoſitione illâ, quam diximus ei in iſta propoſitione competere ex communi Chriſtianorum modo apprehendi ac concipiendi ſubiectum illud: ſiue verò intelligatur ſupponere ſuppoſitione, quæ illi ex rigore videtur competere: vbi hoc tamē intercedit diſcrimē, quod dū priori modo ſubiectū intelligitur ſupponere, quod tunc non tantum nomen homo ſumatur vniuocè in his propoſitionibus, Petrus eſt homo, & Deus eſt homo, ſed etiam idem omnino ſit modus prædicandi, videlicet per ſe & in materia naturali, prout iam explicatum fuit. Nec refert quod ſuppoſitalitas ſubiecti, dum dicitur, Deus eſt homo, non ſit creata ſicuti illius ſubiecti, quando dicitur, Petrus eſt homo: quia ſuppoſitalitas non eſt de eſſentiali ratione naturæ humanæ, ſed ſolum terminus quidam eam vltimatè terminans ac ſuſtentans: vnde propter illius diuerſitatem nihil mutatur in ratione aut proprietate naturæ humanæ, vel in eſſe hominis eſſentialis: quando autem ſubiectum intelligitur ſupponere poſteriori modo, tunc eſt quidam diuerſus modus prædicandi: quia quando dicitur, Deus eſt homo cum tali ſuppoſitione ſubiecti, tunc prædicatio non eſt per ſe & in materia naturali, ſicuti in iſta, Petrus eſt homo: ſed in materia contingente, vt declaratum eſt: quod tamen non impedit vniuocationem nominis homo: quemadmodum nomen, album vniuocè acceptum ſecundum vnam eandemque ſui rationem prædicatur de hoc albo, & de hoc pariete, quamuis de vno prædicetur neceſſariò & per ſe, & de altero contingenter.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Chriſtus poßit dici homo dominicus?

CONCLVSIO Diui Thomæ eſt negatiua. Et ratio eſt, quia Dominicum non ſignificat formaliter Dominum, ſiue formale eius ſignificatum non eſt ratio Domini: ſed formaliter ſignificat habitudinem quandam rei diſtinctæ à Domino ad ipſum Dominum, ſecundum quam habitudinem res aliqua dicatur eſſe Domini. Vnde hæc habitudo poteſt eſſe actionis vel paſſionis ad Dominum tanquā ad ſuppoſitū agens vel patiens, vel vt partis eſſentialis aut integralis, aut naturæ in abſtracto, aut vt veſtis, aut ſimilis rei quę eſt Domini. Et hinc dicitur paſſiò Dominica, corpus Dominicū, humanitas Dominica, &c. quia ſunt res quædam à Domino diſtinctæ, & vt tales ſignificantur, quæ rectè dicuntur eſſe ipſius Domini, & non poſſunt dici ipſe Dominus. Quandoquidem ergò homo, dum de Chriſto dicitur, ſupponit pro ſuppoſito, non poteſt Chriſtus dici homo Dominicus: quia quando dicitur, homo Dominicus, ſignificatur ſuppoſitum humanæ naturæ diſtinctum à Domino habens tantùm habitudinem quandam ad ipſum Dominum; atque ita importatur diſtinctio ſuppoſitorum in Chriſto, quod eſt Neſtoreanum contra Catholicam Fidem, quâ credimus & confitemur vnum idemque ſuppoſitum in Chriſto eſſe Deū ſiue Dominum, & hominem. Non debet igitur Chriſtus dici homo Dominicus, ſed homo Dominus. 8

9 Diuus Auguſtinus quidem ſic aliquando locutus fuit, vt lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 10. & lib. 83. quæſtionum qu. 36. ſed lib. 1. Retractationum cap. 19. dictum ſermonem retractauit. Vbicumque, inquit, hoc dixi (videlicet quod Chriſtus IESVS ſit homo Dominicus) dixiſſe me nollem: poſtea quippe vidi non eſſe dicendum. Poſſet tamen aliquà ratione ſermo iſte explicari in vero ſenſu, vt hic notat D. Th. ad Primum, vt videlicet dicatur homo Dominicus, non ratione ſuppoſiti, quaſi illud non eſſet Dominus, ſed aliquid Domini: verùm ratione naturæ humanæ, ſiue vt clarius loquamur, eo ſenſu vt homo ibi ſumatur per modum abſtracti pro humanitate, ſicuti in hymno Eccleſiæ, Tu ſuſcepturus hominem, &c. vt ſignificetur quod Chriſtus habeat humanitatem

tatem Dominicam, quomodo aliquando ab alijs etiam Patribus dicitur Chriſtus homo deificatus, cum propriè loquendo ſit homo Deus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ea quæ conueniunt Filio hominis poſſint prædicari de Filio Dei & è conuerſo?

10 CONCLVSIO eſt affirmatiua & certa de Fide, vt docent omnes Theologi in Tertium diſt. 4. & 7. contra Neſtoreanos, qui ponentes duas perſonas in Chriſto alteram videlicet Filium Dei, & alteram Filium hominis, negabant attributa diuina & perſonalia Verbi prædicari poſſe de homine ſiue Filio hominis. Similiter negabant proprietates humanitatis & accidentaria Filij hominis prædicari poſſe de Filio Dei: admittebant tamen vtraque prædicari de Chriſto, vtpote, qui ſecundum illos duas includebat perſonas; atque ita volebant ratione perſonæ diuinæ de illo dici attributa diuina, & ratione perſonæ humanæ, proprietates naturæ humanæ; ſed anathema iſtis dictum fuit in Conc. 1. Epheſino can. 4. cui præfuit Cyrillus, Si quis duabus perſonis, ſeu ſubſtantijs, id eſt, hypoſtaſibus, eas quæ in Euangelicis & Apoſtolicis conſcriptionibus ſunt diuidit voces, vel eas quæ de Chriſto à Sanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſemetipſo, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas verò ſoli Verbo deputauerit, anathema ſit.

11 Fundamentum verò huiuſmodi communicationis idiomatum, vt Doctores loquuntur, ſiue mutuæ prædicationis naturarum diuinæ & humanæ de ſe inuicem in concreto, proprietatumque vtriuſque de vtroque, videlicet de Deo & de homine, non eſt in eo collocandum, quòd diuina attributa ſecundum ſe & formaliter ſint cõmunicata ipſi humanitati Chriſti, ſic vt eam informent, ita vt non tantum de hoc homine Chriſto poſſit dici quòd ſit æternus, omnipotens, vbique præſens, ſed etiam de humanitate eius, quòd ſit vbique præſens, omnipotens, æterna, vt abſurdè effinxerunt quidam noſtri temporis hæretici: in quâ diuinorum attributorum communicatione humanitati factâ videntur totum Incarnationis myſterium ponere, quæ nullo modo dici poſſunt.

Primò: Quia diuinitati repugnat, eiuſque eſſentialibus attributis cauſalitas formæ reſpectu materiæ aut naturæ creatæ, vtpote, quæ in materia formaliter inexiſtere non poteſt. Præterea cum hæc attributa ad naturam & eſſentiam Dei pertineant, ſequitur vnionem Incarnationis non fuiſſe factam in perſona, ſed in natura: quod à Concilijs & Patribus reprobatum eſt.

Tertiò: Concilium Lateranenſe can. 4. ſub Martino I. definit, Si quis non confitetur Chriſtum circumſcriptum corpore, & incircumſcriptum deitate, condemnatus ſit. Vbi expreſsè reprobantur, qui diuinam incircumſcriptionem ſiue immenſitatem volunt corpori Chriſti communicatam.

Quartò: Quemadmodũ diuina attributa dicerentur informare humanitatem, ſic quoque proprietates humanitatis deberent informare diuinitatem, illique formaliter inhærere: quandoquidem hæ prædicentur de Deo, ſicuti attributa diuina de homine, quòd manifeſtam ponit in Deo mutationem.

Dicent fortaſſis quandoquidem non ſatis explicatè loquantur, vel quod ſolùm diuina attributa increata velint communicari humanitati tanquam inſtrumento, in quo diuinitas ſingulariter operetur, eiuſque perfectiones, vt ſapientia, potentia, iuſtitia peculiari modo eluceant, vel quod tantùm ponant diuina attributa non ſecundum ſe & in proprietate ſua, ſed quædam alia participatiuè diuina, quæ analogiam quandam habent cum diuinis propter eminentiam ſuam. Verùm ſi in vno ex iſtis modis, vel etiam in vtroque ſimul ponatur myſterium Incarnationis conſiſtere, nullatenus receditur ab hæreſi Neſtorei, qui admittebat Filium hominis vocari Deum, & diuina attributa de eo prædicari propter peculiarem energiam & dignitatem, ac ſingularia dona, quibus præ omnibus alijs excellẽter dotatus erat, eo ſenſu ſcil. quo Scriptura de illis, ad quos ſermo Dei factus eſt, dicit, *Ego dixi: Dij eſtis:* 12
nõ poteſt igitur communicatio idiomatũ, quam Catholici omnes docent & profitentur, ſuper his fundamẽtis fundari, multoque minus in illis collocari poteſt ratio Incarnationis. Non enim ſufficit in primis ad idiomatum communicationem talis applicatio diuinorum attributorum ad humanitatem tanquam ad inſtrumentum, quia ex eiuſmodi applicatione virtutis ad inſtrumentum non ſequitur denominatio inſtrumenti à tali virtute: non enim quia omnipotentia Dei vtitur creaturâ ad effectum ſupra eius vires, poteſt creatura denominari omnipotens, neque quia infinita

Sapientia dirigit peculiari modo intellectum creatum, poteſt propterea intellectus creatus dici infinitè ſapiens. Deinde non ſufficit quoque ad veram idiomatum communicationem, quod humanitas Chriſti fuerit donata excellentiſſimis virtutibus & gratijs creatis. Neq; enim hæc dona ſunt ipſæ perfectiones diuinæ, atque ita horum prædicatio de homine non erit prædicatio quâ ipſa increata attributa Dei dicantur de homine.

Secundum Fidē autem Catholicā dicendum eſt, quod ipſa increata attributa verè prædicētur de Filio hominis, quemadmodū & creatæ proprietates naturæ humanæ prædicantur de Filio Dei: quę rurſum humanę proprietates neutro ex dictis duobus modis poſſunt diuinitati attribui, quia homo non vtitur Deo vt inſtrumento, neque proprietates humanitatis, aut aliæ illis ſimiles poſſunt eſſe accidentia diuinitatis.

13 Aliud ergò ſtatuendum venit fundamentum huiuſmodi prædicationum: eſtque ipſa coniunctio duarum naturarum diuinæ & humanæ in vna hypoſtaſi, in qua diuina natura ſubſiſtit naturaliter: humana verò per voluntariam aſſumptionem Verbi ab eadem hypoſtaſi ſuſtentatur, cui ſubſtantialiter eſt vnita. Hinc de illa hypoſtaſi, vtraque natura concretim expreſſa prædicatur, eademque perſona eſt Deus & homo: & quia hæc concreta ſupponunt pro ipſo ſuppoſito ſit, vt etiam verè prædicentur de ſe inuicem propter ſuppoſiti vnitatem, in quo ſubſiſtunt: ac conſequenter etiā proprietates vnius prædicentur de altero, ita quod ſicuti Verbum dicitur homo, ſic etiam Deus dicatur homo, & ſicuti dicitur homo, ſic etiam dicatur paſſibilis, mortalis, mortuus: & rurſum quemadmodum homo dicitur Deus, ſic etiam dicatur immortalis, omnipotens, infinitè ſapiens, &c.

14 Pro memoria verò, quomodo in his loquendum ſit, ſolent aſſignari hæ duæ regulæ.

Prior eſt, Quidquid eſſentialiter dicitur de Deo, & quidquid eſſentialiter, aut perſonaliter dicitur de Filio Dei, id omne etiam ſimpliciter & abſolutè dicitur de hoc homine Chriſto. Ita de ſe dixit Chriſtus Ioan. cap. 8. *Antequam Abraham fieret: ego ſum.*

Poſterior eſt, Quidquid dicitur eſſentialiter aut neceſſario de homine, & quidquid dicitur de hoc homine Iesv, etiam accidentaliter, id omne dicitur de Filio Dei & de Deo. Sic 1. ad Corint. cap. 2. dicit Apoſtolus Dominum gloriæ crucifixum, & Actuum cap. 20. dicitur Deus acquiſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea quæ conueniunt Filio hominis poſſint prædicari de diuina natura, & de humana, ea quæ conueniunt Filio Dei?

Sermo eſt de naturis in abſtracto: Concluſio itaque eſt negatiua pro vtraque 15
parte.

Probatur Primò ex Concilijs quæ definierunt proprietates vtriuſque naturæ manſiſſe diſtinctas, inconfuſas, & incommunicabiles alteri naturæ. Vide Concilium Calcedonenſe act. 5. Syn. 6. actione 4. 11. & 17. & Conc. Lateran. ſub Martino I. can. 4. & 9. & ſequentibus.

Probatur Secundò ex Damaſceno lib. 3. de Fide cap. 4. Deitatem dicentes (inquit) non nominamus de ea quæ humanitatis idiomata ſunt, id eſt, proprietates: non enim dicimus deitatem paſſibilem vel creabilem.

Probatur Tertiò ratione: quia proprietates alicuius naturæ non poſſunt prædicari niſi de ipſa natura, vel de eius ſuppoſito, aut de eo quod pro ſuppoſito poteſt ſupponere: atqui diuina natura, ſiue deitas neque eſt humana natura, neque eſt ſuppoſitum eius, neque terminus talis qui pro ſuppoſito humanitatis ſupponat; ergò proprietates Filij hominis ſiue humanitatis non poſſunt prædicari de natura diuina; neque è contra proprietates diuinitatis de natura humana, cum hæc ſimiliter nec ſit diuinitas, nec ſuppoſitum diuinitatis; neque pro ſuppoſito diuinitatis ſupponat: quia ſunt termini abſtracti qui non ſignificant formas aut naturas vt aliqua ſuppoſitalitate ſubſiſtentes.

Poſſunt hic obijci aliquot locutiones 16
SS. PP. vt Auguſtini Tract. 47. in Ioannem, Verbum, inquit, eſt Chriſtus, anima eſt Chriſtus, caro eſt Chriſtus: item Nazianzen. Orat. 42. vbi ſcribit, Chriſtum eſſe perfectum, non modo propter diuinitatem, ſed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemque effectam quod id à quo vncta eſt: Denique Damaſceni 4. de Fide cap. 19. vbi ait, Ob perſonalem vnionem, & caro deificata, ac Deus facta eſt.

Reſpondetur: Ad D. Auguſtinum quod attinet, illum hoc loquendi modo velle ſeu docere, & carnem ipſam hypoſtaticè vnitam eſſe Verbo, & ipſam quoque ſimiliter animam,

Digitized by Google

animam, ſiue ſpectentur vt coniuncta caro & anima, ſiue vt ſeparata à ſe inuicem, vt in triduo mortis: Verbum itaque Chriſtum, quia eſt ſuppoſitum vtriuſque naturæ, quod verè & propriè dicitur Chriſtus: Carnem vocat Chriſtum, quia vnione ſui ad Verbum vncta eſt: Eandem ob cauſam ipſam animam quoque vocat Chriſtum: non autem quod propriè loquendo, caro ſit Chriſtus, vel anima ſit Chriſtus: quia caro & anima ſunt eſſentiales partes phyſicæ, quæ ſub talibus nominibus non ſupponunt pro ſuppoſito ſecundum rigorem ſermonis: vnde neque ſuppoſitum de illis ſecundum proprietatem dici poteſt: ſunt enim termini abſtracti reſpectu ſuppoſiti cuius ſunt partes. Sermo autem Nazianzeni, quoad illam partem quà dicit, humanitatem idem effectam quod id à quo vncta, ſano ſenſu interpretandus eſt, videlicet cauſaliter, vt ſignificet humanitatem ſic diuinitati eſſe coniunctam, vt idem qui eſt Deus, ſit etiam homo. Idem eſt ſenſus Damaſceni, quod videlicet caro ſit deificata & Deus facta, quia hoc factum eſt, vt caro ſiue homo ſit verè Deus.

17 Dicet aliquis: Bene ſequitur: Aqua eſt calefacta; ergò aqua eſt calida: à ſimili igitur bene quoque ſequitur: humanitas eſt deificata; ergò humanitas eſt Deus.

Reſpondetur Neg. Conſ. quia non par eſt vtriuſque ratio: nam aqua dicitur calefacta ſuſceptione videlicet caloris in ſe tanquã in materia ſiue ſubiecto, vnde ab illo calore ſic recepto denominatur calida; ſed humanitas non dicitur deificata formali ſuſceptione diuinitatis in ſe tanquam in ſubiecto, ſed quia perſonæ diuinæ tanquam ſuppoſitalitati eſt vnita: Deinde, Deus eſt tale concretum vt ſupponat pro ſuppoſito, vnde non poteſt dici de natura abſtractim ſumpta.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm hæc ſit vera, Deus factus eſt homo.

18 CONCLVSIO Diui Thomæ eſt affirmatiua, communis, & certa.

Probatur Primò ex Scripturis: Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt*, ad Rom. 1. *Qui*, (videlicet Filius Dei) *factus eſt ei ſecundum carnem ex ſemine Dauid*, id eſt, factus eſt illi homo virtute Spiritus Sancti ex Virgine deſcendente ex ſemine Dauid: Item in Symbolo, Et homo factus eſt: eodem modo loquuntur & explicant hoc myſterium Incarnationis Concilia & SS. Patres.

Probatur Secundò ratione: Quia ſuppoſitum quod priùs ſimpliciter exiſtit, & non eſt homo aut aliquid eiuſmodi, ſi poſtea ſit homo, neceſſum eſt vt factum ſit homo, vel aliquid tale; atqui ita in propoſito ſe res habet: nam Verbum antea ſimpliciter erat, & non erat homo, & nunc eſt homo; ergò neceſſe eſt vt ſit factum homo. Vnde cum Deus ſupponere poſſit pro Verbo, hinc vera eſt iſta, Deus factus eſt homo.

Obijcitur: Dum quippiam dicitur fieri aliquid propriè loquendo, tunc id quod dicitur fieri aliquid, mutatur, vt Inductione facile videtur poſſe declarari; atqui Deus aſſumendo naturam humanam non eſt mutatus; ergò Deus non eſt factus homo propriè accipiendo illam propoſitionem. D. Bonauen. in Tertium diſt. 7. art. 1. qu. 2. ob hoc argumentum videtur exiſtimare porpoſitionem dictam eſſe minus propriam. Sed contrarium omnino dicendum eſt, & ab omnibus paſſim tenetur, quod ſicuti propriè dicitur, Deus eſt homo, ſic etiam propriè dicatur, Deus factus eſt homo. Vnde ad argumentum Reſpond. Neg. Maiorem vniuerſaliter intellectam: quamuis enim ordinariè in rebus creatis res mutetur quæ dicitur fieri aliquid, non tamen etiam in illis ſemper locum obtinet, quod bene declarat D. Th. ad Tertium exemplo relatiuorum, in quibus dicitur aliquis factus dexter, aut factus ſimilis, ſine mutatione ſui per mutationem extremi alterius: ſic Deus factus eſt homo, non mutatione aliquã factâ in diuinitate aut perſona diuina, ſed per mutationẽ humanitatis: quatenus hæc ſuſcepit modum illum ſubſtantialis vnionis quo ipſa cœpit ſubſiſtere perſonalitate Verbi: Ad quẽ modum humanitatis, in Verbo tantummodò ſecuta eſt relatio quædam rationis, vt ſuprà latius fuit explicatum. 19

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus.

CONCLVSIO principalis D. Thomæ eſt: quod iſta propoſitio in ſenſu proprio & obuio non ſit vera. 20

Probatur in primis authoritate: quia D. Fulg. de Incarnat. & gratiã cap. 10. Pet. Diaconus de Incarnat. cap. 5. Nicetas lib. 33. Theſauri cap. 37. eam negant.

Declaratur Secundò ratione: quia ſecundum proprium & obuium loquendi modum apprehenditur factio illa quæ importatur illo participio Factus, eſſe circa ſub-

ea ſubiectum propoſitionis, videlicet circa hominem: ſiue vt loquitur D. Thomas, quia participium *factus* ponit fieri circa hominem in reſpectu ad Deum ſicuti ad terminum factionis; atqui ſubiectum illud Homo in dicta propoſitione ſupponit pro ſuppoſito, quod cum ſit ipſum Verbum Dei, non poteſt dici factum Deus: quia ab æterno & eſſentialiter eſt Deus. Neque enim huic ſuppoſito acceſſit quomodolibet quod ſit Deus, ſicut ei acceſſit in tempore per Incarnationem, quòd ſit homo; ergò &c.

21 Nota bene quod D. Thomas dicat participium illud *factus*, ponere fieri circa hominem; non autem dicat in homine: quia in ſimili propoſitione quæ vera eſt, quando dicitur Deus factus eſt homo, non poteſt dici, quod factio ibi ſignificata ponatur in Deo, ſed bene circa Deum, quatenus videlicet factione ſiue paſſione receptâ in humanitate Chriſti, hoc effectum eſt, quod Deus qui antea non erat homo, tunc eſſet homo.

22 Adiungit D. Thomas alios duos modos, quibus prædicta propoſitio poſſet intelligi, qui tamen minus ſunt proprij.

Prior eſt, vt participium *factus* determinet vel abſolute ſubiectum, vel abſolutè prædicatum, vt vel ſenſus ſit, hic homo eſt Deus factus, id eſt, eſt Deus qui eſt factus ſiue Deus fictitius, vel iſte ſenſus ſit, homo factus eſt Deus: & ſecundum vtramque determinationem dicit propoſitionem eſſe falſã: quod inprimis per ſe euidens ſatis eſt, quatenus participium factus determinat prædicatum modo iam explicato; quatenus verò determinat ſubiectum non ita euidenter apparet eius falſitas: falſa nihilominus eſt, quia dum abſolute dicitur, homo factus, tunc illud *factum* cadit, non tantùm in naturã humanã, ſed in ipſum quoq; ſuppoſitũ: nam vt ſuppoſito conuenit ſimpliciter Eſſe, ita & Fieri: nullum autem ſuppoſitum factum cuiuſcunque naturæ eſt Deus: quamuis benè aliquod ſuppoſitum dicatur factum homo, quia per hoc ſignificatur tantùm ſuppoſito acceſſiſſe humanitatem, non autem ſuppoſitum eſſe factum ſimpliciter.

23 Poſterior modus, quo etiam poſſet capi dicta propoſitio iuxta D. Thomam, eſt, vt participium *factus* cadat in totam propoſitionem & determinet compoſitionem extremorum, vt ſenſus ſit: Aliquâ actione factum eſt, vt homo ſit Deus: & hic ſenſus verus eſt: ſed valde improprius, potiſſimum cum participium *factus* maſculini generis ſit minus aptum ad huiuſmodi ſenſum admittendum: fuerunt tamen eo modo aliquando locuti Sancti Patres: Auguſtinus 1. de Trinit. cap. 13. Talis, inquit, erat illa ſuſceptio, vt Deum hominem faceret & hominem Deum: Damaſc. 3. de Fide cap. 11. Verbum caro factum eſt, & caro Verbum: ſimiliter loquitur lib. 4. cap. 19. & Nazianzenus orat. 35. Hic homo Deus effectus eſt poſtquam cum Deo coaluit, id eſt, poſtquam natura humana Deo in vnitate perſonæ Verbi coaluit, tunc effectum fuit quod verum ſit, hic homo eſt Deus. Vbi aduerte quòd PP. ſemper aliquid adiungant, quod ſenſum illum minus obuium per ſe legentibus obijciat, vt ex allegatis ſententijs ſatis liquet.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc ſit vera, Chriſtus eſt creatura?

24 CONCLVSIO Prima: Non eſt abſoluto ſermone & ſine addito ſic loquendum, Chriſtus eſt creatura, Eſt D. Thomæ, & communis aliorum.

Ratio inprimis eſt, quia abſque dubio modus ille loquendi periculoſus eſt, vtpote qui natus eſt animis audientium ingenerare hæreſim Arrianorum, qui Chriſti diuinitatem tollentes aſſerendo ſimpliciter illum eſſe creaturam, docebant, non tantùm ratione naturæ humanæ quæ eſt creata, ſed etiam ratione perſonæ, ipſum eſſe creaturam. Eſtque ſenſus iſte maximè obuius, quando propoſitio iſta profertur abſque aliquo addito. Quare ab eo loquendi modo abſtinendum eſt, quia cum hæreticis Nec nomina debemus habere communia, vt ait hic D. Th. (quod intellige de nominibus ipſis hæreticis proprijs aut ab eis vſitari ſolitis in ſenſu alieno) ne eorum errori videamur fauere: vnde vniuerſaliter concludit D. Th. non eſſe Chriſto atttibuenda abſolutâ prædicatione, quæ illi ſecundum humanitatem conueniunt, quando ſunt talia, vt poſſint exiſtimari æque attribui illi ratione perſonæ ſiue ſuppoſiti, ac ratione naturæ: qualia ſunt potiſſimum illa de quibus in particulari fuit controuerſia, vtrùm Chriſto attribuenda ſint ſecundum humanitatem tantùm, an verò etiam ratione ſuppoſiti. Hinc itaq; D. Thomas non vult ſimpliciter dici: Chriſtus eſt minor Patre, quia hæretici dixerunt Chriſtum minorem Patre, non ſolùm ex parte humanitatis, ſed ratione totius ſuppoſiti.

25 CONCLVSIO Secunda: Non videtur improbabilis omnino opinio eorum, qui exiſtimant dictam propoſitionem,

quamuis

Digitized by Google

quamuis non vſurpandam, tamen in proprietate quâdã ſermonis non eſſe falſam. Admittit Scotus in Tertium diſt. 11. id eſſe probabile, D. Bonauent. ibidem art. 2. qu. 1. præſertim in ſolutionibus argumentorum, ſignificat eam propoſitionem in proprietate veram eſſe, Item tenet Waldenſis lib. 1. doctrinalis Fidei, vbi cap. 40. & 41. latè probat Chriſtum ſecundum ſe non eſſe creaturam, tamen c. 42. concludit per communicationem idiomatum ſic poſſe appellari, vt refert in Comment. in hunc artic, Suarez. Et videtur fauere D. Th. in Corp. vbi ſolum dicit, non eſſe ſic ſimpliciter loquendum, ne Arrianorum errori videamur fauere, & in ſolutione ad 2. idem facit iudicium de hac propoſitione, Chriſtus eſt impaſſibilis & incorporeus, quod de iſta, Chriſtus eſt creatura: ſicut enim hoc vult non eſſe ſimpliciter dicendum propter Arrianos, ita neque illud vult ſimpliciter affirmandum propter Manichæos: cum tamen abſque dubio hæc in proprio ſenſu ſit vera, Chriſtus eſt impaſſibilis, non minus quàm iſta, Chriſtus eſt Deus: & infrà qu. 20. art. 1. iudicat eodem modo de his duabus. Chriſtus eſt creatura; & Chriſtus eſt ſubiectus Patri, cui etiam dicit addi conuenientius aliquam determinationem.

26 Probatur Concluſio: quia antiqui Patres ſæpius vocant Chriſtum creaturam: Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 19. factum quippe creaturam per quem facta eſt omnis creatura, omnem creaturam teſtem habere oportebat. Vide eundem Enchridij cap. 38. de Fide & Symbolo cap. 4. & Serm. 16. & 25. de tempore. Leo ſerm. 3. de Pentecoſte, Si homo, inquit, ad imaginem Dei factus legem Dei ſeruaſſet, creator hominum creatura non fieret; Damaſcenus lib. 4. cap. 19. Verbum caro factum, creatura & nouiſſimus appellatur. Simili modo loquuntur Amb. 3. de Fide cap. 4. & Greg. lib. 5 moral. cap. 25 & apertiſſime D. Hieron. in cap. 2. ad Epheſ. & in cap. 45. Iſaiæ, circa illa verba *Ego Dominus creans eum*, referens quoſdam dubitaſſe Chriſtum vocare creaturam, Nos, inquit, liberè proclamamus non eſſe periculum dicere illum creaturam.

Probatur Secundò ratione: Quia non videtur magis inconueniens, Chriſtum vocare creaturam, quàm illi attribuere proprietates creaturæ: vt dicere Chriſtum eſſe mutabilem, eſſe mortalem. Secundo: quia eſſe creaturam videtur eſſe de eſſentia hominis, ſed omnia quæ ſunt de hominis eſſentia dicuntur de Chriſto, vt ſuprà dictum fuit; ergò &c. His tamen non obſtantibus ſit

CONCLVSIO Tertia: Verius tamẽ eſt, accipiendo nomen creaturę omnino propriè, & propoſitionem totam in proprio & rigido ſenſu, quando dicitur, Chriſtus eſt creatura, eam eſſe falſam. Eſt Magiſtri li. 3. diſt. 11. ibid. Durandi, Paludani, Capr. q. 1. Rich. & D. Th. a. 1. q. 2. qui idem expreſsè docet lib. 4. contra Gent. c. 48. & Ferrar. ibid. Cani lib. 12. de locis. c. 11. 27

Pro hac Concluſione ſolent allegari diuerſi Patres: Baſilius lib. 2. contra Eunonium, vbi ex profeſſo probat Chriſtum non poſſe dici creaturam, Amb. lib. 1. de Fide cap. 6. & 7. Chryſoſt. homil. 3. in Ioannem, Aug. lib. 83. quæſt. qu. 67. & alij. Sed quia loquuntur ſatis apertè de Chriſto ſecundum diuinitatem, & contra Arrianos, hinc non videtur ex dictis ipſorum poſſe æſtimari rigidum & proprium ſenſum huius propoſitionis, Chriſtus eſt creatura.

Probatur itaque Concluſio explicando vim & ſignificationem terminorum, ac ipſius propoſitionis. Nomẽ creaturæ enim propriſſimè ſignificat rem totaliter ex nihilo productum, ſicuti creare propriè ſignificat rem totaliter ex nihilo producere. Neque obſtat quod modo communiter appellemus creaturas, nec impropriè omnino, res eas quæ à mundi creatione ex præiacente materia generantur; quia vocantur creaturæ, vt attenditur in illis etiam illa materia aliquando ex nihilo producta; & ſic, remote ſaltem totaliter ſunt ex nihilo: ſed Chriſtus non poteſt verè dici res totaliter ſic ex nihilo, ne quidem remotè, atque adeo, neque intrinſecam aptitudinem habet, ſecundum quam ſit totus ex nihilo producibilis: eſt enim tanquam Filius Patris ab æterno de ſubſtantia Patris genitus: ergò propriè accipiendo nomen creaturæ, & propoſitionem in proprio & obuio ſenſu, ſecundum quem ſubiectum ibi ſtat pro ſuppoſito, non eſt verum dicere, Chriſtus eſt creatura.

Sed obijcitur, Humanitas Chriſti eſt propriè loquendo creatura eo ſenſu, quo modò omnes res creatas ſiue in tempore productas, vocamus creaturas, atqui quãdo dicitur, Chriſtus eſt creatura, videtur proprietas ſignificationis talis propoſitionis admittere, vt intelligatur ratio creaturę tantummodo attribui Chriſto ſecundum humanitatem. Quemadmodum eidẽ attribuuntur paſſibilitas, mortalitas, mutabilitas, quæ alioquin ipſi perſonæ Chriſti ſecundum ſe, ſeu ratione ſui non minus repugnant, quàm ratio creaturæ: ergò videtur quod propoſitio iſta habeat proprium ſenſum verũ, & en quidem modo quo iſtæ, Chriſtus eſt paſſibilis, Chriſtus eſt mutabil. 28

Reſpon-

Reſpondetur Neg. Subſump. Neque omnino par eſt ratio de paſſibilitate, & ſimilibus proprietatibus naturæ humanæ, & de creatura: quia nomen creaturæ ex vi ſuæ ſignificationis importat vniuerſalitatem quandam afficientem ſubiectum propoſitionis, cui attribuitur, ita vt faciat illud ſumi ſecundum ſe & ſecundum omne illud quod ei ſubſtantiale eſt, aut ad rationem eius quoquo modo pertinet: quemadmodum etiam illud nomen Annullabile: vnde quando dicitur, Chriſtus eſt creatura, vel Chriſtus eſt annullabilis, ſignificatur ſuppoſitum ipſum, & omne quod illi ſubſtantiale eſt, ex nihilo eſſe productum, & hoc totum in nihilum poſſe concidere: quæ manifeſtè falſa ſunt: iſta alia verò attributa non important eiuſmodi vniuerſalitatem, vt debeant ſubiecto propoſitionis conuenire ſecundum omne eſſe quod ſubiectum habet: ſed ſufficit quod ei conueniant ſecundum aliquam eius naturam, vt ſuppoſito verè attribui poſſint.

Quod autem nomē Creaturę, item creabile, aut annullabile ſic afficiant ſubiectum propoſitionis de quo prædicantur, declaratur, quia ſi materia prima eſſet æterna ſiue improducta, non poſſet de ſuppoſito animato animâ rationali dici, quod eſſet creatura, quantumuis forma eius, videlicet anima ex nihilo eſſet producta: quia totū ſuppoſitum non eſſet ex nihilo: materia enim eſſet improducta & æterna. Similiter de bruto quando extinguitur non dicitur, quod annulletur, licet forma intereat quia materia conſeruatur.

29 Sed replicabit aliquis: Iſta vniuerſalitas, quam importat nomen creaturæ, poterit intelligi exercere tantum vim ſuam in naturam illam ſeu formam, ſecundum quam tribuitur Chriſto, eſſe creaturam: ita vt ſignificetur ſolùm, quod totum Eſſe humanitatis Chriſti, ſit ex nihilo productum, proximè aut remotè, quemadmodum in nobis: ſecundum quem intellectum dicta propoſitio non minus vera eſt quàm hæc, Chriſtus eſt paſſibilis.

Reſpondetur Neg. Aſſump. quia ex vi & modo ſignificandi dictæ propoſitionis, & ſecundum communem modum apprehendendi eius ſignificationem, intelligitur prædicatum attribui toti ſubiecto, ſic vt iuxta rigorem ſignificet illud ex nihilo productum nullo eius omnino Eſſe præſuppoſito, niſi aliquid adijciatur, quod quaſi applicet & reſtringat prædicatum ad aliquod determinatum eſſe ſubiecti, ſecundum quod illi attribuatur: vt fit quando dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo, vel, ſecundum humanam naturam eſt creatura; vel certè niſi antecedentia & conſequentia, & contextus ſermonis ſufficienter indicent ſubiectum non ſtare materialiter pro ſuppoſito, ſed ſecundum aliquod particulare Eſſe eius, ſiue ſecundum humanitatem illi vnitam, vti fit in ſuprà citatis locutionibus SS. Patrum pro ſecunda Concluſione, quia vel addunt, omnem creaturam per eum factam, vel eum vocant creatorem, aut aliquid ſimile adiungunt, quo indicant ſatis ſe non dicere Chriſtum ſimpliciter eſſe creaturam, ſed ſecundum aliquid ſui. Vtuntur autem iſto loquendi modo, quia propter antitheſim quam faciunt, habet peculiarem energiam ad explicandam exinanitionem Filij Dei, & ad declarandum, quantum ſe noſtri cauſâ dimiſerit: & conſequenter ad excitandum nos ad gratitudinem & amorem erga illum.

Cæterùm, quia dicta propoſitio facile admittit ſenſum illum limitatum: nihil enim limitationi iſti in dicta propoſitione abſolutè repugnat, idcirco fortaſſis alij perſuaſi fuerunt, propoſitionem illam in proprietate non plus importare, & ſic in rigore veram eſſe, potiſſimum, quia Chriſtiani bene inſtructi de diuinitate & æternitate perſonæ Chriſti, auditâ prædictâ propoſitione facilè apprehendunt, nomen creaturæ Chriſto tantùm attribui ſecundum naturam humanam aſſumptam.

Ad Diuum Hieronymum quod attinet, 30
qui magis abſolute videtur pronuntiare Chriſtum creaturam: Obſeruandum eſt, Ipſum non accipere nomen creaturæ in ſua propria ſignificatione, ſed vt generali quodam modo ſignificat rem quamlibet aliquo modo factam, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundum aliquid. Patet ex verbis quæ ſubiungit, Nam creari in Scriptura, ait, interdum ſignificat fieri quod non erat, interdum id quod erat transferri in aliud Eſſe: vt Pſalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus*, & ad Epheſ. 2. *Creati in Chriſto* IESV *in operibus bonis*: Hoc ergò ſenſu Chriſtus dicitur creatura, quia ad Eſſe eius diuinum acceſſit in tempore eſſe humanum; Sed tamen quia locutio ambigua eſt & facile generare poſſet errorem, ideo vſurpanda non eſt abſque ſufficienti explicatione quâ obuietur mala ſiue falſo intellectui.

Quod ad D. Thomam attinet, non qui- 31
dē ita clarè explicat hoc loco quid de veritate dictæ propoſitionis ſecundū proprietatem ſermonis ſentiat, forſitan quia alibi id ſufficienter præſtiterat, vt contra Gentes loco citato: innuit tamen etiam hîc ſe habere illam propoſitionem tanquam falſam, dum in fine Corporis illam comparat huic, Æthiops eſt albus, quæ ſimpliciter

Digitized by Google

citer loquendo falſa eſt, eo quod denominatio albi requirat albedinem inexiſtentem toti vel maiori parti ſubiecti. Vnde non eſt vera, niſi cum particula determinante aliquam partem ſubiecti: vt addendo, ſecundum dentes. Similiter ergò, quia creatura non dicitur de ſubiecto niſi quod totaliter eſt productum ex nihilo, falſa erit propoſitio, quâ creatura enuntiatur ſimpliciter de Chriſto, iuxta D. Th. doctrinam.

32 Ad primam rationem allatam pro veritate dictæ propoſitionis, patet reſponſio ex ſolutione obiectionis motæ contra tertiam Concluſionem.

Ad ſecundam verò rationem quod attinet: Reſpondetur eſſe creaturam, non eſſe de eſſentia hominis, vt homo ſupponit pro humano ſuppoſito, ſiue pro ſuppoſito habente naturam humanam: quia ad rationem ſuppoſiti talis non requiritur totum Eſſe eius tam ſubſiſtentiæ, quam eſſentiæ eſſe ex nihilo: adhæret quidem neceſſariò ipſi naturæ humanæ eſſe creaturam, non tamen idcirco abſoluto ſermone poteſt attribui Chriſto propter rationes iam ſupra explicatas. Quando autem dicitur, quæ naturæ humanæ conueniunt eſſentialiter aut neceſſariò, ea prædicari ſimpliciter de Chriſto, intelligendũ id eſt, niſi ſint talia, vt excludant ab eodem ſuppoſito eſſe omne æternum aut eſſe diuinum: vnde neque Chriſtus dici poteſt purus homo: & ita neque dicendus eſt creatura ſimpliciter & abſoluto ſermone.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm hæc ſit vera? Iſte homo, demonſtrato Chriſto, incœpit eſſe.

33 CONCLVSIO Prima: Hæc propoſitio, Iſte incæpit eſſe, demonſtrato Chriſto, eſt ſimpliciter falſa.

Probatur, quia pronomina demonſtratiua per ſe poſita demonſtrant ſimpliciter ſuppoſitum ſecundum ſe, non ſecundum aliquam naturam aut formam; atqui ſimpliciter falſum eſt, quod iſta perſona, demonſtrato Chriſto, incęperit eſſe; ergò &c.

Eadem & maior eſt ratio de hac, Verbum aut Filius Dei incæpit eſſe.

34 CONCLVSIO Secunda: Hæc propoſitio, Iſte homo incæpit eſſe, demonſtrato Chriſto, non eſt vſurpanda abſque aliquo addito. Ita D. Th. hîc, Propter hæreſim, inquit, Arrij: qui quemadmodum perſonæ Filij Dei attribuit quod eſſet creatura & minor Patre, ita etiam attribuit ei, quod eſſe incæperit; atqui ab hoc errore non ſatis in ſermone recedit, qui aſſerit ſimpliciter, demonſtrato Chriſto, Iſte homo incæpit eſſe, vt per ſe conſtat; ergò ſic loquendum non eſt.

CONCLVSIO Tertia: Prædicta propoſitio non tantum ob vicinitatem erroris vitanda eſt, ſed etiam in ſenſu magis proprio ac magis obuio eſt falſa. Eſt D. Th. hîc, & Caiet. ac Medinæ in hunc articulum: Item Paludani, Capreoli, Marſilij, & plurium aliorum in Tertium diſt. 12. Probatur, quia ſecundum vſitatiorem modum apprehendendi ſuppoſitionem ſubiecti dictę propoſitionis, ſupponit ſubiectum materialiter pro perſona, vt ex conceptu qui primò incurrit audita tali propoſitione, vnuſquiſq; facilè aduertit: nõ enim apprehendit quis primò ſignificari tantum quod iſta perſona ſecundum Eſſe humanum incæperit eſſe, ſed ſimpliciter quod iſte homo tam ſecundum quod perſona eſt, quàm ſecundum humanitatem eſſe incæperit; atqui hoc ſimpliciter falſum eſt; ergò &c. 35

CONCLVSIO Quarta: Quando ſubiectum propoſitionis alicuius eſt talis terminus, vt ſignificet quidem ſuppoſitum, ſeu ipſe ſtare poſſit pro ſuppoſito: ſed tamẽ ſimul ſignificat aliquam formam ſiue aliquod Eſſe formale illius ſuppoſiti, non eſt tunc omnino à proprietate ſermonis alienum, quod ſubiectum iſtud accipiatur formaliter. 36

Probatur: quia hæ propoſitiones paſſim admittuntur tanquam ſimpliciter verę, Album eſt terminus dealbationis, album eſt prædicamenti Qualitatis, album eſt coloratum; & tamen ſi ſubiecta intelligantur ſupponere materialiter, falſæ ſunt: quia & vſus & proprietas ſermonis admittit, quod ſumantur formaliter ſecundum formam, ratione cuius iſta prædicata de ſubiecto verè enuntiantur. Vnde dicendum eſt, quando prædicata ſunt eiuſmodi, vt per ſe requirant ſubiectum ſtare formaliter, non eſſe repugnantiam ex parte propoſitionis aut ex parte ſubiecti, quo minus poſſit ſic accipi & ſupponere.

Ex quo colligitur vlterius, etiam quando prædicata ſunt indifferentia quantum ex ſe eſt, vt poſſint & ſubiecti ſuppoſito, & ipſi formæ intelligi attribui, etiam tum non aduerſari abſolutè ſermonis proprietati ſubiectum capi formaliter, ſed tamen quia tunc frequentius ſtat materialiter, magiſque obuium eſt menti apprehendere ſubiectum materialiter; niſi aliquid addatur quo ſignificetur ſtare formaliter, idcirco habetur ſenſus iſte formalis tunc tanquam improprius: quod tamen non omnino improprius ſit, deduci poteſt ex dictis propoſitionibus, vbi formaliter ſumitur ſubiectum ſine addito ex parte ipſius. 37

Hinc Scotus in Tertium diſt. 11. qu. 3. exiſtimat propoſitionem, de qua eſt ſermo in articulo, in proprietate eſſe veram: à quo non multum videtur alienus Bonauent. ibidem art. 2. qu. 2. quia putant cum proprietate ſermonis ibi hominem poſſe ſtare formaliter, vt ſenſus ſit: Iſte homo nunc eſt ſecundum Eſſe hominis, & ante non fuit ſecundum Eſſe hominis, Durand. verò vult eſſe propoſitionem ambiguam, quemadmodum eſt iſta, Scutum album incæpit eſſe hodie, quam, ait, ſolent antiqui diſtinguere: & verè, vt ex dictis patet, videntur iſtæ & ſimiles propoſitiones abſque improprietate admittere vtrumque ſenſum, quamuis ille quo ſubiectum intelligitur ſtare materialiter ſit primò & maximè obuius, quando prædicatum non abſolute trahit ad ſignificatum formale.

ARTICVLVS X.

Vtrùm hæc ſit vera? Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura.

38 CONCL. D. Th. eſt: propoſitio hęc: Chriſtus ſecundũ quod homo eſt Creatura, eſt magis concedenda, quàm neganda.

Pro pleniori autem intellectu veritatis illius, adhibet diſtinctionem: & dicit, in illa repetitione, Secundum quod homo, dupliciter poſſe intelligi illud nomen *homo* reſumi: Vno modo, inquit, ratione ſuppoſiti, vt videl. ſenſus ſit, Chriſtus in quãtum ſuppoſitũ naturæ humanæ, eſt creatura: & ſic falſa eſt, quia ſuppoſitum humanitatis Chriſti eſt increatũ & æternum. Alio modo ratione naturæ, vt ſenſus ſit, Chriſtus ſecundum quod homo, id eſt, ſecundum Eſſe humanum ſiue ſecundum humanam naturam eſt creatura, & ſic eſt vera: quia quemadmodum vnuſquiſque facile apprehendit, non aliud ſignificatur iſto ſermone, quàm humanum Eſſe Chriſti ſiue eius humanitatem, eſſe creaturam: nam occaſione iſtius reſumptionis, ſecundũm quod homo, limitatur quaſi ſubiectum ad eſſe humanæ naturæ; atque ita ſecundum talem limitationem intelligitur illi prędicatũ attribui.

Probat itaq; D. Th. Concluſionẽ: quia poſterior ſenſus eſt magis proprius dictæ propoſitioni: reſumitur enim illud nomen *homo* in vi prædicati, quod tenetur formaliter (inquit) quia, ſecundum quod homo, idem eſt, ac ſi diceretur, ſecundum quod eſt homo, ergo propoſitio dicta magis eſt concedenda, quàm neganda

39 Sed mouet difficultatem Scotus, ſi hæc vera ſit: Chriſtus in quantum homo, eſt creatura, videbitur etiam vera hæc, quã ſimpliciter dicitur, Chriſtus eſt creatura. Reſpondetur Neg. Conſ. intelligendo illud, Secundum quod homo, eo ſenſu vt reſumatur homo tantum ratione naturæ modo iam explicato: quia, vti diximus ar. 8. quædam ſunt talia, vt competant naturę humanæ in abſtracto, non tamen poſſint prædicari de eius concreto, quod ſupponit pro perſona Chriſti: quia à ſubiecto cui tribuuntur, excludunt omne aliud eſſe quod non eſt tale, quale ipſa ſignificant: quando autem dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt creatura, non aliud ſecundum ſenſum D. Th. quo id admittit, ſignificatur, quàm quòd humana Chriſti natura ſit creatura: ex quo non ſequitur, quod ſimpliciter Chriſtus ſit creatura.

Ita verò D. Thomam intelligere dictam reduplicationem colligitur Primò ex Corp. hic, vbi ita ſcribit: Si verò reſumatur ratione humanæ naturæ, ſic eſt vera: quia ratione humanæ naturæ, ſiue ſecundum humanam naturam conuenit ſibi eſſe creaturam, videlicet cum illa determinatione, vt habet art. 8. quæ nimirum determinat illud eſſe, quod in Chriſto creatum eſt: & clarius ex art. ſequenti, vbi dicit, Vno modo poteſt capi quantum ad naturam, & ſic non eſt verum, quod Chriſtus ſecundum quod homo, ſit Deus, quia humana natura, inquit, eſt diſtincta à diuina ſecundum differentiam naturę. Si verò in propoſitione de qua hic proponitur articulus per illud, ſecundum quod homo, reſumeretur ſuppoſitum ſimul cum natura humana, vt Suarez hic & quidam cum illo exiſtimant, ita vt ſenſus eſſet, Chriſtus ſecundum quod homo, id eſt, ſecundum quod eſt ſuppoſitum habens humanitatem ſibi vnitam eſt creatura, id eſt, res compoſita, & quoad hanc compoſitionem in tempore producta, tum videretur argumentum concludere, quod Chriſto poſſit abſoluiè tribui nomen creaturæ. Neque id videtur eo ſenſu negandum, accipiendo nomen creaturæ generaliter, & Chriſtum vt Chriſtum, ſiue vt compoſitum ex vtraque naturâ: vti conſtat ex ijs quæ art. 8. ex S. Hieron. diximus. Vnde hi qui ſic exponunt illud, Secundum quod homo, nõ videntur ſatis conſequenter loqui, quãdo negant verè tribui ſenſu iam explicato creaturam Chriſto: licet interim hoc rectè monere poſſint, nõ ita loquẽdũ eſſe ſimpliciter propter ambiguitatẽ & periculũ erroris.

Obſeruandum autem eſt cum D. Thoma, ſi aliquid in propoſitione de qua eſt quæſtio in articulo, adiungeretur, quod indicaret terminum reſumptum in reduplicatione, ſumi pro ſuppoſito, vt ſi diceretur, Chriſtus ſecundum quod hic homo 40

homo

homo eſt creatura, tunc eam potius negandam eſſe, quàm admittendam: quia tamen poteſt adhuc dubitari de ſenſu, an intelligatur, ſecundum quod hic homo, id eſt, ſecundum quod hoc ſuppoſitum humanitatis, an verò, ſecundum hanc humanitatem, idcirco poteſt adhiberi diſtinctio. Prior tamen ſenſus videtur magis obuius.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm hæc ſit vera? Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus.

41 RESpondet D. Tho. cum diſtinctione, vt ſuprà: ſi *homo* in reduplicatione reſumatur ratione ſuppoſiti, tum quandoquidem ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto ſit perſona Filij Dei cui per ſe conuenit eſſe Deum, verum eſſe, quod Chriſtus ſecundum quod homo, ſit Deus; ſi autem reſumatur ratione naturæ, ſic non eſt verum, quod Chriſtus ſecundum quod homo, ſit Deus: vt manifeſte conſtat ex dictis art. præcedente. Vnde, quia terminus in reduplicatione poſitus magis propriè tenetur pro natura quàm pro ſuppoſito, ideo prior ſenſus eſt minus obuius, atque adeo improprius.

Quare dicta propoſitio, ait D. Thomas, magis eſt neganda quàm affirmanda: imò abſolutè loquendo, neganda eſt.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm hæc ſit vera? Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt hypoſtaſis vel perſona.

42 RESpondet D. Thomas cum eadem diſtinctione, quâ ad articulum præcedentem: videlicet, ſi terminus *homo* in reduplicatione poſitus reſumatur ratione ſuppoſiti, ſic eam eſſe veram: quia ſenſus eſt, Chriſtus ſecundum quod eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, eſt perſona: quod verum eſt, quia ſuppoſitum humanæ naturæ in Chriſto eſt perſona Filij Dei; ſi vero terminus iſte reſumatur ratione naturæ, ſic, inquit D. Thomas, poteſt dupliciter intelligi: Vno modo videlicet, vt intelligatur ſignificari humanæ naturæ competere eſſe in aliqua perſona, quaſi diceretur, Chriſtus ſecundum quod homo, id eſt, ſecundum quod humanitatem ſuſtentans, eſt perſona: quia etiam ſic eſt indiuidua ſubſtantia naturæ intellectualis: Alio modo poteſt intelligi, vt ſignificetur humanitati in Chriſto propriam perſonalitatem competere cauſatam ex principijs naturæ humanæ, quaſi diceretur, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona, id eſt, Chriſtus ex humana natura ſua habet ſubſiſtentiam incommunicabilem, quâ per ſe incommunicabiliter ſubſiſtit.

In priori ſenſu eſt vera: in poſteriori falſa, quia tum ponitur perſonalitas creata in Chriſto. Securiſſimum autem fuerit, vel omnino ab iſtis & ſimilibus ambiguis propoſitionibus abſtinere, aut ſemper determinationem vel explicationem ſufficientem adiungere, vt clarè conſtet, quid per eiuſmodi locutiones quis ſignificare intendat.

Vbi nota quod non ſufficienter in propoſito tollatur ambiguitas, ſi dicatur: Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona humana: quamuis enim etiam hæc propoſitio verum habeat ſenſum, videlicet, quod Chriſtus ab humana natura habeat, quod ſuppoſitum diuinum vocetur ſuppoſitum humanitatis Chriſti, vel etiam ſuppoſitum aut perſona humana, tamen etiam iſte ſenſus obſcurus eſt, & facile poteſt propoſitio in ſenſibus falſis & erroneis accipi.

QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad Eſſe,

In duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Chriſtus ſit vnum, vel duo?

EX dictis ſuprà quæſt. 2. conſtat, ſecundum Fidem Catholicam fatendum eſſe, quod Chriſtus Dominus ſit vna perſona ex & in duabus naturis ſubſiſtens.

Quæritur ergò, quomodo ſit de coloquendum, an debeat dici vnum? an duo?

Conclvsio Prima: Certum de Fide eſt, quod Chriſtus ſit vnus maſculinè. Eſt D. Th. hic, & D D. in Tertium diſt. 6. Poteſt probari primò illis Scripturis, quibus qu. 2. n. 17. & ſeqq. oſtenſum fuit, vnum & eundem eſſe Deum & hominem: Idem docent Concilia omnia, quæ de hoc myſterio tractant, & in ſymbolo Athan. dicitur, Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus: & iterum: Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: Aug. tract. 78. in Ioannem, Vtrumque ſimul, videlicet Deus & homo, non duo, ſed vnus eſt Chriſtus: Cyril. lib. de Fide ad Theodoſ. Quia licet mens in eo intelligat duas naturas, inquit, hæc tamen contemplatio vtriuſque in vnitatem concurſum non excludit: vnus itaque ad numerum eſt Chriſtus. Vide Leonem epiſt. 95. alias 97. c. 2. Ambroſ. lib. 2. de Fide c. 4 & Fulgen. de Incar. c. 11.

Probatur ratione, quia vnus maſculinè & ſimpliciter dictus indicat vnitatem perſonæ quod ex communi loquendi & apprehendendi modo conſtat: vnde perſonæ in Trinitate, licet dicantur vnum in neutro genere, & cum ſubſtantiuo etiam vnus Deus, non tamen ſimpliciter vnus, ne ſignificetur vnitas perſonæ. Et ratio eſt, quia vnus ſic ſumptus eſt terminus adiectiuus, & ideo ſolus poſitus à parte prædicati ſignificatum ſuum applicat ſupra ſuppoſitum ſubiecti propoſitionis.

2 Conclvsio Secunda: Chriſtus, non tantum maſculinè eſt vnus, ſed etiam debet dici vnum neutraliter. Eſt D. Th. hic, & aliorum Doctorum in Tertium diſt. 6. contra Durandum ibidem quæſt. 1. art. 2. qui vult Chriſtum abſoluto ſermone neque debere dici vnum neutralirer, neque plura: ſed eum addito loquendum eſſe, vt dicatur eſſe vnum ſuppoſitum, & habere plures naturas.

Sed probatur Concluſio: quia vnum, quando neutraliter & ſubſtantiuè dicitur, ſignificat vel ens vnum, vel indiuiduum vnũ; atqui Chriſtus eſt ens vnum ac etiam indiuiduũ vnũ: ergò &c. Neq; obſtat quod non ſit ens ſimplex ſed compoſitum: quia compoſitio ex pluribus quando ſubſtantialis eſt, & talis quâ vnum quod in potentia eſt ad complementum ſubſtantiale perficitur per alterum componens (vti humanitas in potentia eſt ad ſuppoſitalitatem, & completur perſonalitate Verbi) non tollit vniratem rei aut ſuppoſiti, ſimpliciter loquendò. Quemadmodum quod homo ſit compoſitus ex corpore & anima, item ex partibus integralibus, non obſtat quo minus homo dicatur eſſe vnum ſiue res vnà.

Nota circa ſolutionem primi argumenti, D. Thomã iſtud Auguſtini lib. 1. de Trinit. cap. 7. Vtrumque eſt Deus, Vtrumque eſt homo: vbi D. Aug. poſſit videri ſupponere, quod Chriſtus ſit duo, ſic exponere vt dicat illud Vtrumque non poni quaſi pro duobus ſuppoſitis, ſed pro duobus nominibus ſignificantibus duas naturas in concreto: quaſi D. Aug. diceret, Vtrumque, id eſt, Deus & homo, eſt Deus & eſt homo. Quamuis autẽ hæc expoſitio vera ſit, tamẽ magis ad mentẽ & modum loquendi Aug. erit, ſi illud Vtrumq; referatur ad naturas: (ſubdit namque, Neque alterum eorum in alterum conuerſum eſt, nec diuinitas in creaturam, neque creatura in diuinitatem) & exponatur ſermo cauſaliter, vt ſenſus ſit, quod is qui vtrâque formâ ſcilicet Dei & ſerui conſtat, ſit Deus, & quod idem ſit homo. Quo pacto etiam loquitur tract. 78. in Ioannem, Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, diuinam ſcilicet, quâ æqualis eſt Patri, humanam quâ maior eſt Pater, vtrumque autem ſimul, non duo, 3

ſed vnus

Digitized by Google

ſed vnus eſt Chriſtus, id eſt, qui ex vtroque conſtituitur, non duo ſunt, ſed vnus Chriſtus. Item nota circa ſolutionem Secundi D. Th. ibi abſolutè negare hanc propoſitionem, Chriſtus eſt aliud & aliud, cum quo conſentit Scotus in Tertium diſt. 6. Vnde quando antiqui Patres ita videntur loquuti, exponendi ſunt iuxta D. Th. vt ſenſus eorum ſit, quod Chriſtus ſit habēs aliud & aliud, ſiue aliam & aliam naturam.

4 Objiciet aliquis: D. Thomas ſuprà qu. 2. artic. 3. ad Primum ſic ſcribit, Vnde ſicut quod dicitur alterum & alterum in creaturis, non ſignificat diuerſitatem ſuppoſiti, ſed ſolùm diuerſitatem formarum accidentalium, ita quòd dicitur Chriſtus aliud & aliud, non importat diuerſitatem ſuppoſiti vel hypoſtaſis, ſed diuerſitatem naturarum; atqui his verbis videtur docere quod Chriſtus ſit, aut poſſit dici aliud & aliud; ergò ſibi non conſtat. Reſpondetur Neg. Subſ. quia loco citato vult tantummodo oſtendere, quod dum antiqui Patres aliquando ſic loquuntur, vt videantur dicere Chriſtum eſſe aliud & aliud, vt Aug. Enchiridij c. 36. dicens, Vtraq; ſubſtantia eſt vnus Dei Filius, ſed aliud propter Verbū, aliud propter hominem, & Leo epiſt. 10. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs, eos non ſic loqui propter diſtinctionem aut diuerſitatem perſonarum in Chriſto, ſed ſolummodo proptêr diuerſitatem naturarum. Quod ibidem declarat ex Greg. Nazianzeno epiſt. 1. ad Chelidonium, vbi quaſi explicans hunc ſermonem ſic ſcribit, Aliud & aliud ſunt ea, ex quibus Saluator eſt: hoc autem ſufficiebat propoſito Diui Thomæ dicto loco, ad oſtendendum quod iſtæ locutiones Patrum non impediant, quo minus vnio Verbi Incarnati ſit facta in ſuppoſito. Vtrùm verò ſermo iſte ſit formalis & proprius, ibi non diſputat, ſed in hunc locum reſeruat. Ratio autem doctrinæ quam hic tradit, eſt, quia aliud & aliud, tametſi principaliter ſignificent diuerſitatem naturarum, tamen ſimul important ſecundum vſitatum loquendi modum, etiam diuerſitatem ſuppoſitorum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto ſit tantùm vnum eſſe?

5 DIſtinguitur à Philoſophis triplex Eſſe, nimirum Eſſe eſſentiæ, Eſſe exiſtentiæ, & Eſſe ſubſiſtentiæ. De duobus certa eſt ſecundum fidem doctrina. De Eſſe eſſentiæ quidē quod hoc in Chriſto duplex ſit, videl. eſſe Eſſentiæ diuinæ, & Eſſe eſſentiæ humanæ: Econtra verò, de Eſſe ſubſiſtentiæ, quod hoc in eo vnicum ſit, videlicet Eſſe perſonale Verbi diuini. De Eſſe exiſtentiæ itaq; controuertitur. Sed quæſtio hæc multū pendet ex metaphyſica diſputatione, Vtrùm eſſentia & exiſtentia in rebus creatis realiter ita diſtinguantur, vt poſſit aliqua natura creata actualiter in eſſentia ſua conſeruari ſuâ connaturali exiſtentiâ priuata, & per alienam terminata: ſi enim id fieri poſſit, probabile conſequenter fuerit, in Chriſto tantum vnum Eſſe exiſtentiæ ponendum, quemadmodum in eo vnum eſt Eſſe ſubſiſtentiæ, ipſámque Chriſti humanitatem non propriâ, ſed Verbi exiſtentiâ exiſtere, ſicuti Verbi ſubſiſtentiâ ſubſiſtit. Sed poſitionem illam negant Albertus in Tertium diſt. 6. qu. 2. art. 4. & ibi Scotus, Durand. Gab. Almainus, Bonauent. diſt. 5. art. 2. qu. 1. ad argumenta, Heruæus diſt. 9. qu. 1. art. 3. & Paludanus ibidem qu. 3. qui etiam ſuſtinet hanc ſententiam non eſſe contrariam D. Th. Eſtque communior Scholaſticorum opinio cui inhærendo, dicendum eſt, humanitatem Chriſti habere ſuam quoque propriam & creatam exiſtentiam, & ita in Chriſto Eſſe duplex eſſe exiſtentiæ. Exactus autem examen huius metaphiſicę quæſtionis hîc prætermitimus, vtpote quæ in ſcholis philoſophicis noſtræ Academiæ ſatis accuratè tractari ſolet, accedente potiſſimum, eo quod D. Th. id ex profeſſo hic non diſputet: ſed ſolùm: quandòquidem in Chriſto ſint duæ naturæ, & vna perſonalitas inquirat, quomodo de eo ſit abſoluto ſermone loquendum, an debeat dici quod in Chriſto ſit tantum vnum Eſſe, an plura? Pro cuius reſolutione ſit

6 CONCLVSIO Vnica: Abſolutè loquendo, dicendum eſt, quod in Chriſto ſit tantùm vnum eſſe. Ita D. Th. hîc. Probatur Primò, quia ſimpliciter loquēdo: Chriſtus eſt vnus, imò vnum, vt oſtenſum eſt ar. præced: atqui vni perſonæ, & rei vni per ſe competit vnum Eſſe, videlicet completum; ergò &c.

Probatur Secundò: quia cum Eſſe ſpectet ad naturam tāquam ad id quo aliquid eſt, & ad hypoſtaſim tanquam ad id quod eſt, fit quod magis dicendum ſit, in Chriſto tantùm eſſe vnum Eſſe propter vnam in ipſo perſonam, quæ eſt id quod eſt, quàm plura Eſſe propter duas in ipſo naturas, quibus Chriſtus eſt.

Confirmatur: quia ex duabus iſtis naturis componitur vnum aliquid per ſe per ſubſtantialem vtriuſque vnionem in vna perſona, vt ex dictis ſuprà patet; ergò ſimpliciter loquendo oportet dicere, quod in illo compoſito ſit tantum vnum Eſſe.

Digitized by Google

Declaratur à ſimili, quia v. g. in Petro ſimpliciter dicitur eſſe tantum vnum Eſſe, quamuis componatur ex diuerſis rebus, vt ex corpore & anima tanquam partibus eſſentialibus & ex diuerſis partibus integrãtibus, vt capite, ventre, pedibus: quia omnes hæ res diuerſæ, licet ponantur habere ſuam propriam partialem exiſtentiam, concurrunt tamen ſecundum quandam ſubſtantialem coniunctionem in compoſitionem vnius perſonę; ergò ſimiliter dicendum eſt, quod in Chriſto ſit tantum vnum Eſſe, tametſi in eo plures ſint naturæ, eò quod concurrant ſubſtantiali quâdam ſiue hypoſtaticâ coniunctione in vnam perſonam, quæ in vtraque ſubſiſtit: neque enim ſecundum humanam naturam aduenit Verbo nouum Eſſe perſonale, vt habet hîc D. Thomas, ſed tantum noua habitudo Eſſe perſonalis præexiſtentis ad naturam humanam, vt videlicet perſona illa dicatur iam ſubſiſtere, non ſolum ſecundum diuinam naturam, ſed etiam ſecundum humanam.

QVÆSTIO XVIII.

De voluntate Chriſti,

In ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Chriſto ſint duæ voluntates?

1 MOuet hanc quæſt. D. Th propter diuerſos hæreticos, qui voluerunt in Chriſto vnicã eſſe voluntatem. Quia tamen plerique ſuſtulerunt humanam, non autem diuinã, idcirco præſupponens voluntatem diuinam in Chriſto, conatur potiſſimum oſtendere in eo eſſe volũtatem humanam. Præmittit autem quomodo non ex vno eodemque motiuo in errorem illum fuerint abducti, qui duas voluntates negârunt: nam Apollinaris ſuſtulit voluntatem humanam, quia negabat in Chriſto animam intellectualem, cuius locum & vices dicebat ſupplere Verbum; quod ſi autẽ in eo non ſit anima intellectualis, cõſequens eſt, quod neque voluntas humana, quæ in ratione fundatur. Similiter Eutiches, & qui poſuerunt vnam naturam compoſitam in Chriſto, cogebantur, inquit D. Th. ponere vnam volunntatem in eo: quod intellige, quia videlicet ponebant illam vnam naturam tanquam tertiam ex duabus alijs tranſmutatis exurgentem & compoſitam: Vnde, ſicuti iuxta illos non remanent naturæ in ſuo proprio Eſſe, ex quibus volebant naturam Chriſti compoſitam, ita debent admittere, quod neque ipſarum propriæ & diſtinctæ voluntates remanerent: ſed naſceretur vna voluntas, ſicuti vna natura compoſita. Secus foret, ſi ſolum poſuiſſent ex duabus naturis tanquam partibus componentibus, & in ſuo eſſe perſeuerantibus, oriri vnam tertiam naturam compoſitam: tunc enim non videntur fore coacti ponere vnam tantum voluntatem in Chriſto. Neſtorius quoque, ait D. Th. quia poſuit vnionem Dei & hominis eſſe factam ſolum ſecundum affectum & voluntatem, poſuit vnam voluntatem in Chriſto: quia videlicet in Chriſto agnoſcebat tantum naturam humanam, quam volebat diei deificatam propter adhæſionem eius ad Deum ſecundum affectum & charitatem ac dona participata, vt virtutem miraculorum, & ſimilia: vnde conſequenter vnam tantum voluntatem videtur in Chriſto propriè poſuiſſe, videlicet humanam.

2 Cæterum, quòd ad hos hæreticos attinet, non multum contra eos hîc laborandum foret, quia ipſorum fundamẽta ſupra confutata & reiecta ſunt. Alij itaque fuerunt, vt Macharius Anthiocenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus cum ſuis ſectatoribus, qui docuerunt in Chriſto vnam tantum eſſe voluntatem, quamuis ponerent duas naturas ſecundum hypoſtaſim vnitas. Fundamẽtũ horum fuit, quia opinabâtur quod humana natura in Chriſto nunquam moueretur proprio motu, ſed ſolum ſecundum quod erat mota diuinitate. Contra quos ſit

3 CONCLVSIO Prima: In Chriſto Domino, non tantum eſt voluntas diuina, ſed & humana; & proinde in eo duæ ſunt voluntates. Eſt de fide, definita in 6. Synodo act. 4.

act. 4. & 8. vbi ſic legitur: Iuxta quod olim Prophetæ de Chriſto, & ipſe nos erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus. Idem definitum eſt in Synodo 7. act. 7. & in Conc. Lateran. ſub Martino 1. can. 15.

4 Probatur Primò ex Scripturis. Mat. 26. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruhtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Lucę 22. *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat:* quæ Chriſti verba, licet quatenus vim orationis habent, cōmodius accipiantur dicta ab ipſo in ſe transfigurate perſonam membrorum ſuorum infirmorum, vt ſuprà q. 15. n. 46. & 48. cum D. Aug. Greg. Leone, & alijs Patribus diximus, tamen nō repugnat quod ſimul ijſdem Chriſtus expoſuerit inclinatiooem naturæ ſuæ, & deſiderium appetitus ſenſitiui, vt ſic nobis ſuam magis commendaret humilitatem, quâ dignatus fuit etiam iſtas infirmitates inferiorum virium admittere: quod deſiderium, licet in ſe ſimplex & abſolutū eſſet, tamen conditionatè expreſſit per orationē, vt nos erudiret, quantum liceat in occurrentibus difficultatibus indulgere, & voluntate rationali quaſi obſequi eiuſmodi deſiderijs naturalibus, videlicet in tantum, in quantum diuina voluntas abſoluta aliud non ſtatuit, aut ordinauit, cui debemus etiam iſta ſubmittere. Expreſſit quoq; per modum orationis, non quod ipſe voluntate rationali vel conditionatè quidem peteret ſubterfugere mortem, vt locis citatis declarauimus: ſed vt impetraret id infirmis ſuis membris, id eſt, nobis aliquando concedi, quando id poſtularemus, & nobis expediret. Ioa. c. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatē eius, qui miſit me,* & c. 6. *Deſcēdi de cœlo, non vt faciā voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me:* quibus manifeſtè ſignificat Chriſtus ſe habere aliam voluntatem à voluntate Patris ſui, quæ ipſi cum Patre erat communis: dicit vero, *Non vt faciam voluntatem meam,* non quaſi haberet actum voluntatis humanæ diſcordantē à voluntate Patris cui nollet ſatis fieri: ſed quod omnia quæ volebat & faciebat vt homo, ideò volebat & faciebat, quia erant ſecundum diuinam voluntatem.

Probatur Secundo ratione: Primò, quia Scriptura tribuit Chriſto obedientiam: ad Phil. 2. *Factus obediens vſque ad mortem,* Ioannis 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me;* atqui obedientia eſt actus voluntatis non increatæ; ergo creatæ: habuit igitur Chriſtus voluntatem creatam. Vide Diuum Leonem epiſt. 10. & 83.

Præterea voluntas eſt naturalis, non perſonalis, vt habet Damaſ. 3. De fide cap. 14. id eſt, ſequitur naturam, non perſonam ſiue perſonalitatem. Vnde in Deo eſt vna voluntas trium perſonarum propter vnitatē naturæ, nō tres propter tres perſonalitates: è contra igitur in Chriſto conſtituendæ ſunt duæ voluntates propter duas naturas, non vnam tantùm propter vnitatem perſonæ. Denique idem poteſt probari ex fine Incarnationis qui fuit mereri & ſatisfacere pro hominibus; atqui ſine voluntate creata non potuit vel mereri, vel ſatisfacere; ergò &c.

Conclvsio Secunda: In Chriſto Domino, non tantum fuit voluntas humana vt naturalis potentia eſt, ſed etiam habuit actus ſuos diſtinctos ab increato actu voluntatis diuinæ. Eſt ſimiliter de fide ex ijſdem concilijs ſuprà citatis: quæ eodem modo de potentia, & de actibus ſiue operationibus loquuntur. Et ratio eſt manifeſta, quia potentia eſt propter operationem præſertim in propoſito, quia obedientia, meritum, ſatisfactiones non conſiſtunt in ipſa nuda potentia, ſed in actibus elicitis. Vide Damaſcenum 3. De fide cap. 15. 5

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto fuerit aliqua voluntas ſenſualitatis præter rationis voluntatem.

Conclvsio Vnica: Neceſſum eſt dicere in Chriſto fuiſſe ſenſualem appetitum, ſiue ſenſualitatem. Eſt D. Thomæ hic. Probatur Primò, quia in Chriſto fuit triſtitia; atqui hæc eſt affectio appetitus ſenſitiui; ergo &c. 6

Probatur Secundò, quia Verbum aſſumpſit humanam naturam cum omnibus quæ ad eius perfectionem pertinent, atqui in natura humana includitur natura animalis, vnde oportet quod cum natura humana aſſumpſerit etiam illa quæ pertinent ad perfectionem naturæ animalis, inter quæ eſt appetitus ſenſitiuus ſiue ſenſualitas, accipiendo videlicet ſenſualitatem, non pro concupiſcentiâ ſeu pro fomite, ſed pro vi ſiue naturali potentia. Vide dicta ſuprà. quæſt. 15. num. 14. & ſeqq.

Addit autem hic D. Tho. quod appetitus iſte, quamuis non ſit propriè voluntas, eo quod voluntas propriè dicta ſit in ratione, tamen quia natus eſt regi à ratione, idcirco participatiuè vocari poſſe volun-

tātem, & ſic in Chriſto poni voluntatem ſenſualitatis.

In reſponſione verò ad Tertium adiungit: Eo quod (ſcil. ſenſualitas) non dicatur voluntas niſi quia participat voluntatē rationis, idcirco quemadmodū eſt vna natura humana in Chriſto, ita etiam poni vnā voluntatem humanam in illo: quia ſcilicet appetitus ſenſitiuus non vocatur voluntas, niſi propter dictam habitudinem ad voluntatem rationis: atque ita ſecundum rationem & nomen voluntatis eſt quaſi vnum quid cum voluntate rationali.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Chriſto fuerint duæ voluntates quantum ad rationem?

7 Reſpondet D. Thomas eum diſtinctione: quod videlicet fuerit vna potentia quæ eſt voluntas ſecundum rationem: ſed loquendo de actibus, fuerint in eo duæ voluntates ſecundum rationem: id eſt, duplex actus voluntatis rationalis, vnus videlicet, quo volebat aliquid vt finem: & hic, ait, à doctoribus ſolet vocari voluntas vt natura, aliquando etiam ſimpliciter voluntas, aliquando intentiō. Alter quo volebat aliquid vt medium, & hic vocatur voluntas vt ratio, aut electio. Vide D. Th. 1. p. q. 83. ar. 1. & 1. 2. q. 15. nihil enim hic peculiare Chriſto attribuitur quoad hæc præ alijs hominibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Chriſto fuerit liberum arbitrium?

8 Conclvsio eſt affirmatiua: & certa de fide. Probatur Primo ex Scripturis: Iſaiæ cap. 7. *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: vbi Chriſto adſcribitur electio, quæ eſt liberæ facultatis actus liber. Et in hunc ſenſum exponitur locus iſte à B. Baſilio ibidem: vbi comparat libertatem quam habuit Chriſtus etiam in infantiā, cum libertate Adami in ſtatu innocentiæ; à Cyrillo lib. 1. in Iſaiam orat 4. ſub finem, vbi dicit, eam facultatem liberè eligendi, quæ alijs hominibus decurſu ætatis aduenit, in Chriſto Domino ab infantiā fuiſſe: ſimiliter exponitur à D. Hieron. in eundem locum, & ab Auguſtino lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 14. vbi dicit, Chriſtum ſciuiſſe reprobare malum per electionem & prudentiam, non per experientiam mali, ſcilicet culpæ: ſicuti didicerat Adam. Iſaiæ cap. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: ad quæ verba ibi D. Hieron. Non neceſſitate, inquit, ſed voluntate crucem ſubijt. Ioannis 10. *Ego pono animam meā &c. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo*: ex quibus Chryſoſt. homil. 59. in Ioannem colligit, Chriſtum habuiſſe liberam facultatem vitandi mortem. Ioannis 7. *Ambulabat* Iesvs *in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare*: quæ & alia ſimilia de Chriſto dicta, ſatis ſignificant liberam Chriſti voluntatem in ſuis actionibus.

Probatur Secundò ex Patribus: ac pri-
mo ex ijs qui iam allegati ſunt. Præterea 9
D. Greg. lib. 24. moral. cap. 2. Omni neceſſitate calcatā, (inquit) cùm voluit, mortem ſponte ſuſcepit. Aug. Tract. 119. in Ioannem in fine: Quis ita dormit quando voluerit, ſicut Iesvs mortuus eſt, quando voluit? quis ita veſtem deponit quando voluerit, ſicut Iesvs mortuus eſt quando voluit? &c. Vide Anſelmum lib. 1. Cur Deus homo cap. 8. & ſequentibus. Item lib. 2. cap. 16. & Damaſ. lib. 3. de Fide cap. 13. 14. & 15. vbi etiam diſtinguit in Chriſto libertatem diuinam & humanam, ſicuti voluntatem, ſcientiam, & alias proprietates quæ conſequuntur duas naturas.

Probatur Tertiò ratione, quia libera vo-
luntas eſt neceſſaria ad meritum & ad ſa- 10
tisfactionem; atqui Chriſtus meruit & ſatisfecit; ergò, &c.

Præterea, vt hic indicat D. Th. ad Tertium, libertas manet in beatis, licet nullo modo ſint amplius viatores: cur igitur non etiā in Chriſto fuerit qui ſimul viator erat?

Sed occurrunt aliquot hic graues difficultates.

Prima difficultas eſt

Qvomodo libertas Chriſti ſecundum humanam voluntatem poſſit ſimul conſiſtere cum eius impeccabilitate, præſertim in præceptis diuinis adimplendis?

Diuerſi diuerſimodè hæc conantur cō-
ciliare. D. Thom. hìc ad Tertium dicit, 11
quod voluntas Chriſti, licet determinata ſit ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum: Vnde pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, inquit, ſicuti ad beatos. Sed quamuis ſic ſaluari poſſit libertas quoad actus bonos qui non erant ei in præcepto, non euacuatur tamen difficultas de illis ad quos exercendos in particulari erat obligatus.

Hinc

Digitized by Google

Hinc alij addunt, quantum ad actus præceptos attinet, quod licet præceptum obligaret Chriſtum ad eos exercendos in particulari, non tamen obligaſſe eum vt illos exerceret continuò omni tempore: neque etiam vt præciſè vno aliquo determinato tempore, aut determinato inſtante eos exerceret: quemadmodum neque vt ex vno determinato motiuo, aut in aliquo determinato gradu intenſionis illos faceret. Vnde potuit etiam eiuſmodi actus præceptos exercuiſſe liberè, quia non erat neceſſitatus, ne quidem neceſſitate præcepti, elicere actus illos eò præciſè tempore ex tali motiuo aut tali gradu prout eos exercuit: ſed dum eos exercebat, poterat hic & nunc eos non exercere: quia neque ab intrinſeco voluntas erat determinata ex neceſſitate ad hic & nunc eos exercendos: neque etiam ex vi præcepti ob periculum peccati neceſſitabatur hîc & nunc ad illos præſtandos. Quare actus illi non tantum ſecundum circumſtantias, ſed etiam quoad actus ſubſtantiam liberè fiebant, quia ſic fiebant, vt etiam quoad ſubſtantiam poterant non fieri hîc & nunc.

13 Neque obſtat quod hâc ratione non defendatur libertas voluntatis Chriſti in non tranſgreſſione præcepti negatiui; eo quod videlicet pro omni tempore obligatus eſſet non facere prohibita, & proinde illud non facere non videatur ei fuiſſe liberum: Non obſtat, inquam, quia inprimis illud non poſſe facere actum malum, neque eſt contra perfectionem perſonæ, neque contra perfectionem libertatis arbitrij, vt ſatis conſtat, quia in Deo non eſt illud poſſe, ſeu potius illa infirmitas ſeu defectibilitas, qui tamen perfectiſſimus eſt & perfecto modo liber. Deinde neque in Chriſto particulare incommodum habet adiunctum: quia Chriſtus purâ negatione actus mali non debet dici meruiſſe aut ſatisfeciſſe: quare inconueniens quoque non eſt dicere, quod ad eiuſmodi actus malos & peccaminoſos non præparauerit Deus voluntati eius concurſum, ſic vt ex neceſſitate eis caruerit, ſeu facere non potuerit.

14 Dico, non meruiſſe aut ſatisfeciſſe purâ negatione actus mali: quia quatenus ſe reflexit ſupra illam negationem, & voluntate approbauit, ac poſitiuè noluit actus malos, ſic etiam meruiſſe potuit: verùm iſta poſitiua nolitio fuit ei libera, ſeu liberè ab illo exerceri potuit: neque enim erat obligatus continuò quouis tempore, aut pro aliquo determinato inſtante illam elicere: ſed quando illi placebat.

15 Similiter dici poteſt, quod nunquam quidem potuerit recuſare adimpletionem poſitiuorum præceptorum, quia nullo inſtante id ei licuit, & proinde quod neque illâ non recuſatione meruerit aut ſatisfecerit: ſed quia non tenebatur omni tempore, aut vno determinato inſtante elicere actum acceptationis, & habere actualem voluntatem adimplendi iſta, quod idcirco tam acceptationem quàm adimpletionem mandatorum liberè præſtiterit.

Et hæc quidem omnia ſatis congruè dici videntur, & in multis tollere difficul- 16
tatem: ſed ſupereſt dubium non minimũ quid dicendum erit, Si ponatur à Patre præceptum aliquod, v. g. de morte pro humano genere acceptandâ, Chriſto fuiſſe impoſitum cum omnibus circumſtantijs, vt quod ſtatim in primo inſtanti ſuæ conceptionis cum toto affectu & intenſione iuxta virtutem intrinſecam poſſibili ex charitate, vel obedientia amplecteretur mori pro hominibus: Vtrùm in hoc caſu, actus ille acceptationis præcepti non poſſit eſſe liber, ſed debeat dici futurus neceſſarius neceſſitate oppoſitâ libertati? Vndique enim hîc occurrunt difficultates: nam inprimis illa ſuppoſitio non debet nec poteſt reijci tanquam impoſſibilis, aut vt inconueniens & diſſentanea rationi, vel myſterio Incarnationis aut redemptionis. Hoc namque dicendum non videtur: quin potius exiſtimandum ſit omnino ſic factum eſſe: Quandoquidem enim Chriſti actiones & paſſiones probabiliter credantur fuiſſe à Deo præordinatæ ac prædefinitæ, vt indicant Scripturæ: ad Galatas cap. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret,* &c. & ſimiliter cap. 4. actorum, *Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus Sanctum puerum tuum* IESVM, &c. *Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populus Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Hinc multò magis ſit veriſimile cum prædictis determinationibus & circumſtantijs ſuis omnibus primarium illud opus redemptionis noſtræ, Chriſto ſic fuiſſe demandatum. Hoc autem poſito: ſi dixeris idcirco Chriſtum non liberè adimpleuiſſe iſtud mandatum, iam tollitur ab eius adimpletione ratio meriti & ſatisfactionis, quod eſt tollere fructum Incarnationis. Si verò è contra dicatur, quod nihilominus Chriſtus liberè adimpleuerit hoc præceptum hîc & nunc obligans ſecundum omnes circumſtantias cum quibus adimpletum fuit; ergò videtur quòd potuerit hic & nunc non adimplere præceptum hic & nunc obligans illum, & per conſequens potuerit peccare, adeoque non fuerit impeccabilis.

Reſpondetur, omnino dicendum eſſe, 17
facta

factâ etiam & admiſſâ ſuppoſitione præcepti ſic determinati cum ſuis circumſtantijs Chriſto dati, quòd nihilominus ipſe liberè illud acceptauerit & adimpleuerit abſque omni neceſſitate quæ libertati repugnat: & tamen ſimul abſolutè loquendo impeccabilis fuerit, neque abſolutè loquendo peccare potuerit. Vt autem declaretur quomodo illa ſimul conſiſtant: In primis notandum, quod non tollat libertatem ſtatim ſuppoſitio quæcumque antecedens voluntatis conſenſum, ab eoque independens: etſi huiuſmodi ſuppoſitione factâ, actus voluntatis ſit infallibiliter ſecuturus. Sed amplius aliquid requiritur, videl. quod iſta ſuppoſitio ſit talis vt efficaci & phyſico modo afficiat ipſam voluntatē, & ad actum hîc & nunc eliciendum abſolutè determinet: alioquin enim non immutabit connaturalem modum operandi voluntatis. Et hinc inprimis præceptum quod in præſenti difficultate ſupponitur Chriſto impoſitum, non ſuſtulit Chriſto libertatem ad illud implendum, quamuis etiam independenter à conſenſu voluntatis Chriſti ponatur datū, ac ſimul quoq; quòd eo poſito infallibiliter ſecutura erat obedientia Chriſti: quia ſcilicet non habuit efficientiam phyſicam in voluntatem Chriſti, vt illam phyſicè determinet ad hîc & nunc conſenſum præſtandum; eò quod ſit quid extrinſecum, & potius mouet ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ: neque ponit per ſe aliquid in obiecto, quo poſſit voluntati inferre neceſſitatem. Manet igitur voluntas humana Chriſti, poſito etiam ſibi tali præcepto, intrinſecè & ſimpliciter libera ad præcepti adimpletionem.

18 Deinde fuit nihilominus Chriſtus ſimul ſecundum eandem voluntatem impeccabilis; quia impeccabilitas iſta non conſiſtebat in intrinſeca determinatione ſiue neceſſitatione voluntatis eius ad operandum hic & nunc vbi & quando operari præceptum obligabat: Sed in eo, vt ſuprà explicuimus, quod quandoquidem humana voluntas Chriſti eſſet voluntas perſonæ diuinæ, videlicet Verbi, inde eum haberet ordinem ad Verbum, vt ſi ipſa deficeret ſiue delinqueret, iſte defectus eſſet moraliter defectus & peccatum Verbi: ideoque potentiæ & ſapientiæ Verbi incumbebat excludere & impedire omnem defectum ab illa voluntate, non minus quàm à voluntate diuinâ: ſiue non magis poterat permittere, vt humana voluntas eius delinqueret, quàm vt ſuâ voluntate diuinà poſſet peccare. Quæ ratio debiti ex parte diuinæ perſonæ ad ſic cuſtodiendam illam humanam voluntatem immunem ab omni peccato, facit eam magis, certiuſque impeccabilem, quàm quæcumque alia ratio poſſet (nihil enim poteſt minus eſſe poſſibile, quàm quod perſona diuina peccet, ita vt peccatum ſit ipſius perſonæ) & tamen nullam infert voluntati neceſſitatem: quia potentia & ſapientia Verbi ſufficiunt, vt abſque neceſſitatione præſeruent voluntatem humanam Chriſti ab omni præuaricatione.

Quare ad formam argumenti propoſiti 19
quo ex liberâ impletione talis præcepti arguebatur peccabilitas in Chriſto, poteſt reſponderi diſtinguendo primum conſequens quod erat; Ergò potuit Chriſtus hic & nunc non adimplere præceptum hic & nunc obligans: ſi enim intelligatur, quòd quantum præcisè erat ex intrinſeca diſpoſitione & modo operandi voluntatis in acceptatione & adimpletione huius præcepti, potuerit hic & nunc non adimplere, ſic concedi poteſt cum dictâ particula adiuncta, quæ in propoſito habet rationem particulæ diminuentis: ſi verò intelligatur quod Chriſtus ſimpliciter potuerit hic & nunc non adimplere tale præceptū abſolutè loquendo, Neg. Conſeq: quia propter ordinem illum, quem humana voluntas Chriſti habebat ad perſonam Verbi ſuprà explicatum prouenientem ex vnione hypoſtatica, impoſſibile erat, quod Verbum non ita moueret & dirigeret illam voluntatem, vt præceptum ſibi propoſitum acceptaret & adimpleret, nō quidem neceſſitando, ſed corroborando, & infallibiliter inclinando.

Vnde poſſet ſimpliciter etiā negari conſequentia, quamuis diſtinctio adhibita ad faciliorem intelligentiā ſolutionis & inefficaciæ argumenti plurimū conducat. Ex illa enim intelligi poteſt, quomodo dupliciter queat aliquid dici poſſibile, ſeu dupliciter voluntatem poſſe facere vel omittere: vno modo ſic denominando à potentia tantum proxima ex ſe & in ſe ſufficiēter & nō repugnāter diſpoſitâ ad faciēdū aut omittēdū: alio modo, denominando aliquid poſſibile, nō ex ſola potētia proxima ſufficienter diſpoſita, nec aliquod repugnans includente: ſed etiam ſimul excludendo omne extrinſecum cum quo ſit incompoſſibilis talis effectus, ita vt hoc modo dicatur poſſibile, & quia adeſt potentia faciendi hoc, & nihil extrinſecè poſitum eſt, cum quo ſit incompoſſibile. Priori enim modo potuit voluntas Chriſti non adimplere præceptum, & hoc ſufficit ad libertatem: poſteriori non potuit non adimplere ex rationibus explicatis: & ideo ſimpliciter loquendo fuit impeccabilis. Oſtenſâ autem inualiditate primæ conſequentiæ, cætera omnia per ſe diſſolluuntur & corruunt.

Secunda difficultas eſt

20 VTrùm libertas Chriſti in præceptis adimplendis potuerit conſiſtere cum clara Dei viſione & amore beatifico? Videtur quod non: quia Chriſti voluntas Deo clarè viſo inhærebat amore neceſſario; ergò videtur quod ex neceſſitate volebat omne illud quod huic amori conſeruando, cognoſcebat neceſſarium: & per conſequens, quod nullum præceptum liberè adimpleuerit, vtpote cuius adimpletionem videbat ad amorem Dei conſeruandum neceſſariam.

21 Scotus, Gabriel, & quidam alij Nominales partim in 3. diſt. 18. & partim in 1. diſt. 2. & 10. negare videtur actum amoris beatifici eſſe actum neceſſarium ex parte voluntatis. Quòd ſi ille neceſſarius non eſt, nec alij poterunt ab eo contrahere neceſſitatem, qui ad eius conſeruationem requiruntur: ſed quemadmodum in libertate voluntatis ponitur ipſe amor, ſic & conſequenter hi actus potiori ratione in eius libertate ponendi ſunt.

22 Quod ſi tamen hi velint tantùm actum fruitionis nō eſſe neceſſariū, quia voluntas non neceſſitatur neceſſitate coactionis, eo quod actum illum libenter & ſpontaneè exercet; quo ſenſu D. Th. in Tertium diſt. 18. art. 2. ad 2. & 5. admittit actum illum non tollere libertatem, vbi ſic ſcribit: Vel dicendum eſt, inquit, quod ſi etiam eſſet determinatum (videlicet arbitrium Chriſti) ad vnum numero ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſiue meriti, quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit: ſi, inquam, ita intelligant actum fruitionis non eſſe neceſſarium; ſolummodo quia non eſt coactus; non tollitur tunc difficultas. Quamuis enim D. Th. ibi in ſua reſponſione inſinuet ad libertatem ſufficere, quòd abſit coactio, id tamen minimè tenendum eſt: quia à Sancta Sede per duos Pontifices reprobata eſt hæc propoſitio: Quod voluntariè fit, liberè fit, quamuis neceſſariò fiat: quare non ſufficit coactionem amouere ab actibus vt dicantur liberi & ſint meritorij aut demeritorij: & proinde opinio Nominalium ſic explicata non facit ad expediendam difficultatem propoſitam.

23 Aſt verò non videntur ipſi ſolùm voluiſſe remouere coactionem, ſed ſimpliciter neceſſitatem quæ libertati contrarietur & indifferentiæ ad eam requiſitæ repugnet: fundant enim ſe in eo, quia videlicet voluntas ex parte ſua non habet aliquid ipſum intrinſecè neceſſitās ad actum illum volitionis ſiue amoris eliciendum: Ita enim ſcribit Scotus in Quartum diſt. 49. qu. 10. Reſpondeo (ait) quod à voluntate excluditur actus volitionis reſpectu miſeriæ, & actus nolitionis reſpectu beatitudinis, quia miſeria non eſt nata eſſe obiectum actus volitionis, nec beatitudo obiectum nolitionis. Vnde addit:

Dico ergò, quod voluntas ſic determinatur ad volendum beatitudinem & ad nolendum miſeriam, vt ſi eliciat aliquem actum circa iſta obiecta, neceſſariò & determinatè eliciat actum volendi reſpectu beatitudinis, & nolendi reſpectu miſeriæ: non tamen abſolutè determinatur ad vnum actum eliciendum vel alium. Et de Deo clarè viſo in Primum diſt. 1. qu. 4. ſic ait: Quantum ad tertium articulum de fine clarè viſo, dico, quod voluntas eleuata non neceſſariò fruitur, quantum eſt ex parte ſua.

Et poteſt declarari amplius, quia huic non videtur obſtare, quòd ſimpliciter loquendo beati ſint ſecuri de beatitudine non amittendâ, imò dicantur eam non poſſe admittere: quia id aliunde prouenire poterit, quàm ex defectu libertatis voluntatis: ſicut & in alijs quibuſdam naſcitur immutabilitas quædam voluntatis non ob defectum libertatis, v. g. quando Deus voluit aliquid liberè, non poteſt mutare illam voluntatem vt terminatam ad id quod liberè voluit, non tamen propterea debet dici non liberè tunc velle, ſiue noſtro concipiendi modo, non liberè continuare iſtam voluntatem: quia quod non poſſit mutare illam voluntatem, non accidit propter defectum libertatis, ſed ex alijs diuinæ naturæ perfectionibus, v. g. quia in illam non poteſt cadere inconſtantia ſiue leuitas, neque ignorantia aut imprudentia: ſi enim mutaret voluntatem, argueret hoc vel præuiam ignorantiam aut imprudentiam, quia id voluiſſet quod poſtmodum ob alias rationes priùs non præuiſas iudicaret non volendum: vel certè ſi nulla noua ratio occurreret, argueret inconſtantiam aut leuitatem, quando ſine ratione mutaret. Similiter dum homo vult, liberè vult etiam pro illo inſtanti quo vult, quamuis illo eodem inſtanti ob actum qui ponitur, non poſſit non velle in ſenſu compoſito: id enim non prouenit quoque ob defectum libertatis potentiæ, ſed quia velle & non velle non poſſunt ſimul eidem voluntati competere. 24

Sic ergò videntur velle auctores citati, hoc quod beati non poſſint amittere beatitudinem, non prouenire à neceſſitate quâ voluntas intrinſecè determinata & neceſſitata inhæret ſuo fini, ſed prouenire aliunde, 25

aliunde, vt ex parte propoſitionis obiecti quod ita proponitur tanquam in quo ſit omne bonum à voluntate appetibile & fruibile. Quæ tamen obiecti propoſitio non videtur ipſi voluntati in ſe neceſſitatem inferre, aut tollere libertatem : vt videtur poſſe oſtendi exemplo beatitudinis naturalis. Si namque ponatur homo in ſtatu naturæ integræ ſine donis ſupernaturalibus : ſed cum perfectione virtutum moralium, qui perfecto modo fruatur fine ſuo, ſiue beatitudine ſuâ naturali, is inſeparabiliter dicendus erit affectu ſiue amore inhærere iſti fini : & nihilominus, ſi poſtmodum donis ſupernaturalibus eleuetur & incipiat Deum clarâ viſione intueri, poterit is ſuſpendere actum amoris naturalis circa finem naturalem, & incipere amore ſupernaturali inhærere fini ſupernaturali, nullâ factâ ablatione alicuius ab ipſa voluntate, quod poſſet exiſtimari prius neceſſitaſſe voluntatem ad amandum finem naturalem : videtur igitur, quod amor iſte beatitudinis, quantum eſt ex parte voluntatis præcisè, non ſit neceſſarius : quin ſi per impoſſibile poneretur ei applicari aliud obiectum repugnās melius, poſſet deſerere amorem illius, & inhærere huic : Hæc ſententia ſic explicata non omnino mihi improbatur.

26 Veruntamen quia opinio Scoti & ei adhærentiū, ab alijs Scholaſticis paſſim reijcitur, qui communiter omnes docent actum amoris beatifici neceſſarium eſſe eâ neceſſitate, quæ propriè excludit voluntatis libertatem: Hinc diuerſis modis ſtudent difficultatem propoſitam ſoluere & explicare: quos breuiter referemus, vt lector eligat in quo animus magis conquieſcit.

27 Nonnulli inhærent reſponſioni, quam dubio præcedente latè deduximus, puta, quod præcepta poſitiua non obligarent Chriſtum neque pro ſemper, neque præcisè pro vno aliquo determinato tempore; vnde factum quod ea liberè adimpleret: quia ad conſeruandum amorem diuinum non erat neceſſarium, quod hoc præcisè tempore iſta vellet aut faceret, dum illa faciebat: & conſequenter ſine læſione diuini amoris poterat hîc & nunc non facere quando faciebat, quia pro illo præcisè tempore non erat obligatus facere.

28 Alij dicunt, quod licet tempus & locus poſſint exiſtimari etiā fuiſſe determinata in diuino præcepto, fuerit tamen Chriſto, quantum erat ex parte præcepti, liberum conſiderare ipſum actum præceptum vel ſub ratione medij neceſſarij ad conſeruandum diuinum amorem, vel conſiderare illum ſecundum ſe, vt eſt actus habens ex obiecto ſuo intrinſecam bonitatem ſub ratione obedientiæ, miſericordiæ, aut ſub alia ſimili ratione virtutis, ſub qua eſt per ſe amabilis, & non habet rationem medij: ſed cuiuſdam finis proximi. Quādo autem hoc poſteriori modo conſiderabat, poterat eum liberè amplecti ſub iſta conſideratione, quia non attendebatur ratio medij neceſſarij ad amoris diuini conſeruationem: & tamen, dum hâc conſideratione illum amplectebatur, implebat præceptum, & ſic libere implebat : neque enim illi demandatum erat, quod deberet exercere actus illos per modum electionis eligendo illos tanquam medium neceſſarium ad vitandam diuinam offenſam, ſiue ad conſeruandum diuinum amorem, ſed ſufficiebat, quod obedienter illos præſtaret.

Ad quę inſuper dicunt accedere, quod 29
etſi ex vi amoris beatifici poneretur Chriſtus fuiſſe neceſſitatus ad hic & nunc actus præceptos exercendos, tamen potuerit ſe reflectere ſuper illos actus, eoſque actu elicito liberè approbare, & in eis ſibi complacere : hoc enim illi præceptum non fuiſſe: alioquin debuiſſent præcepta quaſi in infinitum multiplicari, cum iſtæ reflectiones ſupra actus poſſint in infinitum progredi : vnde actus illi, ſaltem ſecundum approbationem & complacentiam, liberi fuerunt.

Alij denique, quibus hæc non omnino
ſatisfaciunt, dicunt, amorem beatificum, 30
licet in ſe neceſſarium, non abſtuliſſe tantum cæteris Chriſti actionibus libertatem: quia cum non ſolum comprehenſor fuerit, ſed etiam viator, ex diuina diſpenſatione fuiſſe quaſi ſuſpenſam vim illius amoris, ne voluntati in alijs ſuis actibus, quaſi vi quâdam illam rapiendo, & per modum phyſicæ efficientiæ determinando, neceſſitatem inferret, puta quoad illos actus, quos vt viator de mandato Patris debebat exercere: idque vt Chriſtus operari poſſet, & mandata adimplere modo congruo & conuenienti rationi viatoris: quemadmodum & gloria animæ eius diuinitùs impedita fuit, quo minus transfunderet ſe in ipſum corpus, illudque impaſſibile & immortale redderet, vt corpus fini Incarnationis aptè poſſet inſeruire. Vide plura apud Suarez Diſput. 37. Sect. 4.

Tertia difficultas eſt

QVomodo libertas operandi in Chriſto
potuerit ſimul conſiſtere cum eo 31
quod omnes actiones eius prius ratione eſſent à Deo prædefinitæ, quàm à Chriſto ſecundum humanam voluntatem volitæ: Sed primâ parte quæſt. 22. explicuimus, quomodo prædefinitio actus, etiam independenter à voluntatis conſenſu facta, non impediat

Digitized by Google

impediat voluntatem, quo minus illum liberè eliciat, quandoquidem prædefinitio ſit voluntati extrinſeca, & quæ à Deo adhibentur ad infallibilem executionem actus prædefiniti, nullam adferant voluntati violentiam aut neceſſitatem, ſed ſolùm eam ſic diſponant, vt ſe certo & infallibiliter determinet ad talem actum, cui etiam voluntati in ipſa determinatione ſua, & operatione auxilia diuina cooperantur. Nec obſtat quod Chriſtus Dominus videret actiones ſuas à Deo præordinatas: quia hoc non poterat magis illum vrgere, imò minus, quàm quod cognoſceret diuinum præceptum de talibus actionibus, licet non de omnibus: per quod tamen oſtendimus non fuiſſe libertatem Chriſti in illis exercendis ſublatam.

Quarta difficultas eſt

32 Quod Chriſtus viſione beatificâ ſemper actu videret, quid & quomodo in omnibus momentis eſſet operaturus. Apparet igitur quod ex hac parte fuerit determinatus ad operandum eo modo, quo videbat ſe operaturum.

Reſpondetur breuiter Neg. illam Conſequentiam: quia hæc viſio nõ potuit modo operandi Chriſti Domini, aut eius actionibus adferre aliquam neceſſitatem, eò quod illis ſecundum rationem ſit poſterior: præſupponuntur enim actiones naturâ prius futuræ, antequam ſit viſio quâ vidẽtur futuræ: quanquam igitur in ſpecificatione actus, voluntas ſit ſemper iſti ſcitẽtiæ conformis, non habet tamen hæc ſcientia aliquem influxum aut efficaciam in voluntatem quæ iam præſupponitur operatura illas actiones prius quàm iſta ſcientia ſit: vnde nec modum operandi illas immutat, ſed eſt veluti contemplatio ſpeculatiua omnium quæ acturus erat, ac ſimul etiam modorum, ſub quibus ea acturus erat. Quare videbat quoque Chriſtus hâc ſcientiâ ſe liberè iſta facturum. Vnde ſi ſcientia hæc tolleret libertatem ab iſtis actionibus, iam deſtrueret & falſificaret ſe ipſam.

ARTICVLVS V.

Vtrùm volũtas humana Chriſti fuerit omnino conformis diuinæ voluntati in volito?

VViggers De Incarnat.

33 CONCLVSIO Prima Diui Thomæ eſt: Chriſtus ſecundum voluntatem naturalem & ſecundum voluntatem ſenſualitatis poterat aliud velle, quàm Deus volebat.

Probatur Primò ex D. Auguſtino lib. 3. contra Maximinum c. 20. In hoc quod Chriſtus dicit, *Non quod ego volo, ſed quod tu*, aliud ſe oſtendit voluiſſe quã Pater: quod niſi humano corde non poſſet, cum infirmitatem noſtram in ſuum non diuinum, ſed humanum transfiguraret affectum.

Probatur Secundò: Nam voluntas ſenſualitatis naturaliter refugit dolores ſenſibiles & corporis læſiones: ſimiliter voluntas vt natura repudiat contraria naturæ, & ea quæ huic noxia ſunt; atqui ante paſſionem ſuam diſpenſatiuè permittebat Chriſtus carni agere ea, quæ ei propria & naturalia erant: vnde appetitus eius ſenſitiuus, & voluntas eius vt natura refugiebant ac repudiabant prædicta incommoda: Deus autem volebat humanam Chriſti naturam dolores, paſſiones, mortem denique ipſam ſubire & pati; ergò &c.

34 CONCLVSIO Secunda: Chriſtus ſecundum voluntatem operantem per modum rationis, ſemper voluit idem quod Deus. Ita Diuus Thomas hic. Quod tamen intellige quoad actum efficacem, ſiue abſolutum voluntatis vt ratio. Probat D. Thomas ex illis Chriſti verbis Matth. 26. *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: quibus Chriſtus declarat ſe voluntate rationali vt tali, deſiderare fieri id quod Deus volebat præ illo, quod voluntas ſenſualitatis, & voluntas vt natura appetebant; ergò &c.

Probatur Secundò ex alijs Scripturis Ioannis 4. *Meus cibus eſt*, inquit Chriſtus, *vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Ioannis 6. *Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*, & cap. 8. *quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Probatur Tertiò ratione: quia Chriſto nota & euidens in omnibus erat Dei voluntas abſoluta; atqui vanum & ſtultum foret velle efficaci & ab abſolutâ voluntate non fieri, quod euidenter cognoſcitur Deum voluntate abſolutâ fieri velle: quare id de Chriſto dicendum non eſt.

Dixi, Concluſionem D. Thomæ intelligendam quoad actum efficacem humanæ voluntatis Chriſti operantis per modum rationis, quia licet ne quidem actu conditionato aut inefficace petierit voluntate, vt ratio eſt, ſubterfugere paſſionem & mortẽ, ſicuti ſuprà diximus, nihilominus negã-

Digitized by Google

dum non eſt, quin in alijs materijs aliquãdo actu quodam ineffiace, ſiue velleitate quâdam deſiderauerit voluntate rationali fieri, quod Deus fieri non volebat, neque etiam ipſe ſuâ voluntate humanâ per actũ abſolutum. Declaratur, ita enim affectu quodam inefficaci Marci 7. ex humilitate, & vt nobis exemplo eſſet in declinandis honoribus, voluit latere, & tamen latere non potuit, vt ibidem dicitur, quia ſcilicet non erat tale diuinum beneplacitum: ſic etiam potuit deſideraſſe omnium ſalutem ex charitate velleitate quâdam, quamuis cognoſceret non omnes ſaluandos: eiuſmodi enim actus honeſti ſunt, & nulli perfectioni Chriſto debitæ repugnant. Nõ eſt igitur quare in Chriſto negentur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum?

HVic quæſtioni locum dat doctrina Articuli præcedentis, vbi dictum fuit, Chriſtum ſecundum voluntatem vt natura, & ſecundum voluntatem ſenſualitatis aliud voluiſſe, quàm Deus volebat; imò quàm ipſe Chriſtus voluntate humanâ vt ratio. Inde enim poterat videri ſequi voluntatum contrarietas in Chriſto.

36 Conclvsio Nihilominus eſt negatiua: & certa de Fide. Patet ex epiſtola Agathonis Papæ quæ lecta fuit in Synodo 6. & ab eadem approbata.

Probatur: quia voluntas ſenſualitatis nihil voluit, niſi quod diuina voluntas, & etiam humana voluntas Chriſti rationalis, volebant illam velle: nam volebant appetitum inferiorem triſtari de doloribus imminentibus, & motu naturali ac inculpabili eos refugere, tum ad oſtendendam veritatem humanæ naturæ, tum ad oſtendendam paſſionis acerbitatem. Similiter voluerunt, quòd etiam naturaliter moueretur voluntas vt natura, repudiando videlicet ea quæ naturæ ſunt inimica; atqui vbi vna voluntas nihil vult, niſi quod altera vult eam velle, ibi non eſt voluntatum contrarietas, tametſi altera voluntas non velit illud idem obiectum materiale, quod vult alteram velle, potiſſimùm ſi vna nullo modo impediat aut retardet alterius operationem: quemadmodum Chriſtus, neque per motus appetitus ſenſitiui, neque per motus voluntatis vt natura impeditus, aut retardatus fuit in promptiſſima & conſtantiſſima electione mortis pro redemptione humani generis; ergò nulla fuit contrarietas aut repugnantia voluntatum in Chriſto: ſed ſimpliciter loquendo optima voluntatum conſenſio, quandoquidem inferiores non ſe mouebant ad aliquid, niſi in quantum ſuperiores volebant & approbabant eas moueri: quamuis illud ipſum ipſæ, in quod inferiores tendebant, non volebant ex altioribus rationibus. Pro quo

Notandum, à Doctoribus duplicem diſtingui conformitatem noſtræ voluntatis cum diuina. 37

Vna eſt in ipſo volito, dum volumus idem obiectum quod Deus: Altera eſt in ratione volendi, quæ ab alijs dicitur conformitas in ratione regulæ, quando videlicet id volumus, quod Deus vult nos velle, ſiue interim ipſe idem velit, ſiue non. Sic voluntas Abrahæ de ſacrificando filio per mortem erat conformis diuinæ in ratione regulæ, quia volebat Deus ipſum hoc velle, quamuis Deus nollet filium in ſacrificium occidi.

Hæc autem poſterior conformitas ſufficit, vt ſimpliciter humana voluntas dicatur conformis diuinæ, eique non repugnare aut contrariari. Quod autem nulla fuerit contrarietas inter humanam voluntatem Chriſti vt ratio, & inter voluntatem eius diuinam, ſatis patet ex dictis art. præcedente ad Concluſionem ſecundam, quandoquidem fuerit conformis diuinæ, non tantùm in ratione regulæ, ſed etiam in ipſo volito, quantum ad omnes actus efficaces: quoad inefficaces verò, etiam illos ſecundum voluntatem diuinam eliciebat. 38

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

De pertinentibus ad virtutem Chriſti quantum ad operationem,

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Chriſto ſit vna tantum operatio diuinitatis & humanitatis?

1 MOnothelitæ, qui vnam tantùm voluntatem poſuerunt in Chriſto, conſequẽter negarunt duas in Chriſto operationes: imò quidam exiſtimant dictos hæreticos non tam voluntatem humanam vt eſt potentia quædam naturalis, intendiſſe negare, quàm omnem eius operationem: eò quòd videantur voluiſſe humanam Chriſti naturam, & omnes eius vires ad inſtar inſtrumenti inanimis fuiſſe mota à diuinitate, cuius influxum & operationem reciperent, ipſa verò actiuè non operarentur.

2 CONCLVSIO Vnica: Fide tenendum eſt, quemadmodum in Chriſto duæ ſunt naturę & duæ voluntates, ſic quoque duas eſſe operationes, vnam diuinitatis, & alteram humanitatis. Ita definitum eſt in Synodo 6. act. 4. & 8. & in alijs concilijs citatis Quęſt. præc. art. 1. Vide dicta ibid. ad Concluſionem 2. Neque obſtat, quod omnis Chriſti actio humana fuerit etiam volita à diuina ipſius voluntate: quia ſtante diuinæ voluntatis volitione quoad talem vel talem actionem humanæ voluntatis eius, fiebat nihilominus, quod humana voluntas non ſolum reciperet in ſe actionem, ſed quod ipſa efficienter eam eliceret, ac in ſe produceret: neq; id ſolum per modum potentiæ recipientis influxum, & operantis motæ per imperium alterius ad quod ſe neceſſario moueat, ſicuti virtus progreſſiua operatur ex imperio volũtatis: ſed omnino tanquam potentia libera, & quæ in ſuo ordine prima ſeſe moueret, ita vt ab eâ tanquam vitali & libero principio actio humana procederet, quamuis ſimul ex diuinâ directione & aliquando ex diuino præcepto operaretur, ſicuti etiam voluntas noſtra operatur: neque tamen ideo actio noſtra deſinit eſſe actio noſtræ voluntatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto ſint plures operationes humanæ?

CONCLVSIO D. Thomæ eſt: In Chriſto Domino vna tantum fuit operatio humana, attendendo videlicet ad ipſum principiũ operationis humanę, quod eſt ratio vel voluntas, vt D. Th. explicat: quia alioquin ſpectando diuerſitatem quã operationes accipiunt ab obiectis, ſic in Chriſto plures etiam ſpecie diſtinctæ operationes humanę fuerunt, exercuit enim actus diuerſarum virtutum. 3

Probatur Concluſio: quia in Chriſto fuit vnus tantum intellectus humanus, & vna humana voluntas, à quibus per modũ vnius principij humanę operationis proceſſerunt omnes humanę actiones Chriſti.

Sed dicet aliquis: Non omnes actiones in homine procedunt à ratione & voluntate: non enim v. g. nutritio, accretio, & ſimiles operationes animę vegetatiuę; nec etiã vires ſenſitiuę per omnia obediunt rationi; ergò ex parte quoq; principij oportet agnoſcere plures operationes in homine. 4

Reſpondetur, in puro homine, generaliter loquendo de operationibus, eſſe plures operationes etiam ex parte principij: ſed non ideo plures operationes humanas, quia quę nullo modo rationi & voluntati ſubijciuntur, vt ſunt quæ allegãtur, non dicuntur actiones humanę. In Chriſto, tamẽ fuit aliquid etiã peculiare: quia inprimis in illo nullus erat motus partis ſenſitiuę, qui non eſſet ordinatus à ratione, ſicut ſuprà dictum fuit: deinde etiam ipſę operationes naturales ſiue animæ vegetatiuæ aliquo modo ad eius quoque voluntatem pertinebant, quamuis enim humana eius voluntas virtute ſuâ naturali ſolâ non haberet in eas imperium, tamen in quantum erat inſtrumentum diuinitatis, poterat quoq; his imperare, & ſic peculiari modo fuit in Chriſto vna operatio humana, quatenus omniũ vitiũ motus ſuo modo ab vno principio videl. ratione & voluntate dependebant.

ARTIC. III.&IV.

Vtrùm Actio humana Chriſti potuerit ſibi eſſe meritoria?
Vtrùm Chriſtus alijs mereri potuerit?

5 RESponſio Diui Thomæ ad vtrumque Articulum eſt affirmatiua, & omnino certa, vt ex dicendis magis conſtabit.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm Chriſtus habuerit omnes conditiones requiſitas ad merendum apud Deum?

6 CONCLVSIO eſt affirmatiua: & certa de Fide, quâ etiam credimus Chriſtum & ſibi, & nobis de facto meruiſſe.

Probatur autem & declaratur ſimul diſcurrendo per ſingulas conditiones ad meritum apud Deum requiſitas. Ac in primis ex parte perſonę merentis duæ ſolent requiri: vna eſt, vt perſona ſit Deo grata. Circa quam Notandum, quod non videatur hæc fundari in generali ratione meriti: quia inter homines poteſt quis ſecundum propriam meriti rationem, aliquid mereri ab inimico ſuo: ſi hîc namque conuenerit de mercede ſoluenda ſub conditione operis proportionem habentis ad mercedem de quà conuentum eſt, tenebitur ex iuſtitia eam reddere opere præſtito, quantumuis capitalis ſit hoſtis. Vnde videtur dicenda fundata potius in diuino pacto inito cum hominibus: quia ſolis iuſtis & ſanctis hoc deferre voluit, quod inierit conuentionem cum ipſis, & pactus ſit de mercede ſeu præmio reddendo operibus ipſorum bonis, ſi ea præſtarent: peccatoribus verò, ſi conuerſi fuerint à vijs ſuis malis, & egerint pœnitentiam, ſimplici aſſertione pollicitus eſt veniam & remiſſionem, non promiſſione onerosâ in vim contractus & conuentionis de retribuendo præmio, ſiue de danda remiſſione per modum mercedis. Vnde Deus iniuſtus non eſſet, tametſi peccatori pœnitenti veniam non indulgeret: ſed inconſtans aut infidelis: Iniuſtus autem eſſet, vt indicat Apoſtolus ad Hebræos cap. 6. ſi obliuiſceretur patientiæ & laboris iuſtorum.

7 Quod itaque hæc conditio in Chriſto locum habuerit plane euidens eſt ex dictis ſuprà: nã Perſona Chriſti Deo gratiſſima fuit, tam ſecundum ſe, quàm ſecundũ humanam naturam ipſi vnitam, idq; tum ratione vnionis hypoſtaticę, tum etiã ratione gratiæ habitualis: in ipſo enim fuit plenitudo omnis gratiæ, ſcientiæ, virtutum, & omnium donorum Spiritus Sancti: ab ipſo namq; omnes accipiunt, & in eo omnes Deo gratificantur, imò Chriſtus homo ratione ſolius gratiæ vnionis, ſepoſitis etiam habitibus & virtutibus ſanctificantibus, erat perſona ſufficientiſſimè grata, vt quantum eſt ex parte huius conditionis, poſſet apud Deum promereri: Quæ namque gratia hominem poteſt reddere Deo magis acceptum, quàm iſta quâ non participatiuè tantum fit conſors diuinæ naturæ, ſed quâ perſonaliter & ſubſtantialiter homo ſecundum veritatem eſt Deus, Vide dicta ſuprà qu. 7. art. 1.

8 Sed dicet aliquis: Non fuiſſe quidem Chriſto gratiam habitualem neceſſariam, vt Perſona eſſet grata, ſed vt vires humanitatis eius eleuarentur, fierentque principium proportionatum ad actus ſupernaturales exercendos.

Reſpondetur, inde non ſequi gratiam habitualem idcirco fuiſſe ſimpliciter neceſſariam Chriſto ad meritum: Nam inprimis dum perſona eſt aliàs grata potuit mereri etiam per actus non ſupernaturales in ſubſtantia, vt infrà dicemus. Deinde, per abſolutam potentiam potuiſſet etiam facere actus ſupernaturales, quantumuis anima eius non fuiſſet informata donis habitualibus, ſed fuiſſet dumtaxat adiuta & eleuata per auxilia ſupernaturalia actualia. Vt tamen modo connaturali tanquam principium intrinſecè & formaliter proportionatum operaretur actus ſupernaturales, certum eſt fuiſſe requiſitum donum habituale ſanctificans & eleuans animam Chriſti, eiuſque potentias ad eiuſmodi actus exercendos. Et hinc quia in his potiſſimum conſiſtunt merita, & modo perfecto abſque habituali gratia exerceri non poſſunt, idcirco videtur D. Thomas quæſt. 28. de Veritate art. 5. ad Quartum dixiſſe, quod opus Chriſti habeat rationem meriti ex gratia habituali, ſine qua meritum eſſe non poſſit: docuerat enim eâdem quæſtione art. 1. & in hac Parte quæſt. 7. ſimiliter art. 1. quod quia præter operationem diuinam, oportet poni in Chriſto operationem humanam, idcirco oportuerit in eo eſſe gratiam habitualem per quam huiuſmodi operatio eſſet perfecta.

9 Altera conditio requiſita ex parte perſonæ eſt, Vt ſit viator: quam neceſſariam eſſe, ſaltem ex lege Dei ordinaria,

Theologi

Digitized by Google

Theologi omnes admittunt : quamuis non videatur ita ſpectare ad intrinſecam rationem meriti ; quin de abſoluta Dei potentiâ etiam comprehenſor, qui non eſt viator, mereri poſſet. Hanc autem conditionem competiiſſe Chriſto dum ageret in corpore paſſibili & mortali, demonſtratum eſt ſuprà quæſt. 15. art. 10. Vnde fit quod licet fuerit miraculoſũ & præter legẽ, Chriſtum ſimul eſſe viatorem & comprehenſorem, ſuppoſito tamen illo ſtatu, non fuiſſe ex diſpenſatione aliqua vlteriori, quod capax eſſet meriti : quia hoc ipſo, quo viator erat, inde quantum ex parte ſtatus ſui erat, connaturale illi fuit quod poſſet mereri.

10 Ex parte operis tres requiruntur conditiones: quarum

Prima eſt, Vt opus ſit actus honeſtus, loquendo de merito apud Deum. Hanc in omnibus & ſingulis Chriſti actibus adfuiſſe conſtat ex ijs quæ ſuprà de eius gratia, ſanctitate, innocentia, & impeccabilitate dicta ſunt.

Secunda eſt, Quod opus meritorium debeat eſſe actus liber : quoniam per ea quæ naturalia ſunt, aut ex neceſſitate operamur, neque mereri, neque demereri poſſumus: quod autem Chriſtus liberè fuerit operatus, oſtendimus quæſt. præced. art. 4.

11 Tertia conditio ex parte operis eſt, Vt ſit proportionatum præmio, habeatque valorem condignum: quia cum meriti ratio ad iuſtitiam pertineat, requirit aliquam æqualitatem inter opus ſuper quo conuenitur, & inter præmium quod promittitur: Chriſti verò actiones ſufficientem habuiſſe valorem & dignitatem propter diuinæ perſonæ excellentiam, non ſolum ad merendum apud Deum, ſed etiam ad compenſandam iniuriam diuinæ majeſtati illatam vſque ad æqualitatem, explicuimus ſuprà qu. 1. art. 2.

Denique ex parte eius apud quem quis meretur, & qui præmium retribuit, requiritur pactum, ſiue promiſſio per modum conuentionis de reddenda mercede ſub conditione operis: eſtque huiuſmodi promiſſio tam neceſſaria, vt abſque illâ nequeat ratio meriti perfecti & propriè dicti ſubſiſtere: eſt enim meritum, vt omnes fatentur, actus cui debetur merces ex iuſtitia. Vnde vt opus ſit abſolutè & perfectè meritorium, non ſufficit ipſum eſſe dignum præmio, aut præmio proportionatum (quamuis ex eo poſſit dici fundamentaliter vel aptitudinaliter meritorium) ſed debet habere vim obligandi alterum ad reddendum ex iuſtitia præmium.

Quod declarari poteſt exemplis: nam 12
v. g. non ſufficit offerre pretium condignum mercibus domino mercium, ad hoc vt ipſe ſit obligatus tibi merces concedere. Rurſus, ſi quis in vinea alterius operam mercede dignam præſtet abſque pacto præuio aut conuentione, non merebitur apud dominum ex iuſtitia mercedem. Requiritur ergò ad hoc, vt opus ſit meritorium, ſiue vt efficacius loquamur, ſit merens apud Deum, quod ipſe per modum conuentionis promiſerit operi præmium ſiue mercedem : non enim aliunde obligari poteſt ad reddendum ex iuſtitia præmium operibus qualibuſcumque vel cuiuſcumque, quàm ex accedente pacto aut conuentione ex parte ipſius : promiſſio autẽ Chriſto facta ſignificatur nobis apud Iſaiã c. 53. *Si poſuerit pro peccato animã ſuam, videbit ſemen longæuum* : & iterum : *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur : in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos*, & indicatur Pſalm 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes.*

Neque hîc metuendum eſt, ne dum Dei promiſſionem requirimus de reddendâ mercede, euacuetur ratio meriti rigoroſi: quia ſuppoſito valore operum, eorumque proportione ad præmium, non magis hic euacuatur iuſtitia meriti, quàm euacuetur iuſtitia in contractu emptionis, dum vltra oblatum condignum pretium dicitur debere accedere conſenſus domini cuius merces ſunt, & eius acceptatio quoad contractum & pretium, vel quàm euacuetur ratio rigoroſi meriti, quando vltra operam condignam præmio præſtitam in agro alterius, dicimus requiri pactum aut conuentionem cum Domino de reddenda mercede, ad hoc vt dominus ex iuſtitia ſit obligatus pro tali opera mercedem reddere. Fuerunt itaque in Chriſto eiuſque operibus inuentæ omnes qualitates requiſitæ ad veram completam rationem meriti : Hinc itaque mereri potuit.

Addit Alexander Alenſis p. 3. qu. 16. 13
membro 2. Chriſtum non ſolum potuiſſe, ſed etiam non potuiſſe non mereri, Quia, inquit, non potuerunt virtutes eius eſſe otioſæ. Quod quidem ſatis oſtendit non potuiſſe non operari opera ſancta, & quę digna eſſent pręmio, non tamen probat fieri non potuiſſe de abſoluta potentia, quod Chriſtus non mereretur : potuiſſet enim carere libertate in operando, & in omnibus ad vnum eſſe determinatus. Rurſum, potuiſſet Deus etiam non facere conuentionem cum Chriſto, neq; eius laboribus & operibus ſanctis promittere mercedem ſiue præmium. De abſolutâ igitur

Digitized by Google

potentiâ potuit fieri, quod Chriſtus non mereretur:

DVBIVM SECVNDVM.

Per quos actus Chriſtus meruerit?

14 CONCLVSIO Prima: Chriſtus non meruit per actum increatum ſuæ diuinæ voluntatis. Patet, quia quemadmodum natura diuina non eſt capax meriti aut ſatisfactionis, ita neque diuina voluntas: quia ſecundum hanc Chriſtus neque vlli ſe ſubmittere potuit, neque maiorem aut ſuperiorem recognoſcere.

15 CONCLVSIO Secunda: Actus humanæ voluntatis Chriſti non acceperunt formalem rationem merendi ſiue meriti ab actu voluntatis diuinæ ad eum modum, quo actus noſtri externi accipiunt rationem meriti ab interno actu voluntatis.

Prabatur: quia tunc actus voluntatis diuinæ deberet eſſe primò & formaliter meritorius, ſicut actus voluntatis noſtræ primò & per ſe meritorius eſt, à quo actus externi participant rationem meriti: hoc autem iuxta primam Concluſionem conſtat verum non eſſe.

Probatur Secundò: quia actus voluntatis humanæ Chriſti habet per ſe omnia quæ ad rationem meriti requiruntur ex parte principij operantis; ergò non debet participatiuè & extrinſecè dici meritorius ratione actus voluntatis ſuæ diuinæ.

16 Confirmatur: quia habet propriam & intrinſecam ſuam libertatem ab ipſâ voluntate humanâ, & exercetur iudicio humani eius intellectus ſecundum præſcriptum rationis & honeſtatis: vt ex ſuprà dictis conſtat: ergò nihil deeſt quominus ipſe ex ratione ſui principij per ſe & intrinſecè ſit capax rationis meriti, dum aliæ conditiones adſunt.

Confirmatur Secundò: quia ſi actus humanæ voluntatis Chriſti acciperet moralitatem ſuam & rationem merendi ab actu voluntatis diuinæ, iam vna tantum deberet dici eſſe operatio in Chriſto, quēadmodū dicitur vna eſſe humana operatio in homine, quia omnes actiones eius accipiunt rationem moralis & humanæ actionis ab vno principio: Hoc autem art. 1. huius quæſt. omnino reiectum fuit.

17 CONCLVSIO Tertia: Chriſtus non meruit per actus humanos, ſiue humanæ naturæ, qui formaliter & per ſe pertinent ad ſtatum comprehenſoris vt ſic. Vnde nō meruit viſione beatâ, neque beatifico amore vt terminatur ad ipſum Deum. Eſt cōtra Altiſiodorēſem lib. 3. Summę Tract. 1. cap. 7. Gabrielem in Tertium diſt. 18. quæſt. vnicâ, & Capreolum ibidem, qui volunt Chriſtum meruiſſe per actum amoris Dei beatificum.

Sed Concluſio eſt communis doctrina: & colligitur ex D. Thoma hîc ad Primum vbi dicit, Chriſtum Dominum meruiſſe per charitatem, non in quantum erat charitas comprehenſoris, inquit, (id eſt, non in quantum per charitatē amore beatifico fruebatur Deo) ſed in quantum viatoris.

18 Probatur Primò: quia actus illi non ſunt actus liberi; ergò non poſſunt eſſe meritorij. Deinde vt actus beatifici amoris eſſet actus liber, quemadmodum Scotus & Gabriel volunt, non tamen idcirco videbitur dicendus fuiſſe meritorius, quia illa quæ per ſe propria ſunt viæ & actibus viatoris vt ſic, non ſunt attribuenda termino & actibus cōprehenſoris vt ſic; atqui ratio meriti eſt per ſe propria viæ, & actibus viatoris vt talis eſt; ergo non debet illa attribui amori beatifico, qui eſt proprius termino, & comprehenſori vt ſic: vnde nec huiuſmodi actibus debet cenſeri facta promiſſio. Si tamē actus ille amoris liber foret, non omninò improbabiliter tum de eo dici poſſet, quod fuiſſet meritorius, quia ſaltem erat actus perſonæ quæ ſimul viator erat.

19 CONCLVSIO Quarta: Habuit Chriſtus actum amoris Dei liberum ſupernaturalem à charitate elicitum, & ab amore beatifico diſtinctum: & hoc actu amoris Dei meruit. Colligitur ex citatis verbis D. Thomæ, quibus dicit, Chriſtum meruiſſe per charitatem in quantum erat viatoris: & clarius ex quæſt. 29. de Veritate art. 6. ad Sextum vbi ſic ſcribit, Et ideo charitate eâdem fruebatur & merebatur, ſicut & eâdem voluntate, id eſt, eodem charitatis habitu eliciebat actum fruitionis, Deoque fruebatur, & eliciebat actus meritorios, ſicuti eâdem voluntatis potentiâ exercebat vtrumque.

Probatur Primò: quia inconueniens eſt dicere, Chriſtum non fuiſſe meritum actu amoris, potiſſimum cum etiam ipſe inter præſtantiores ſuos actus, & præcipui meritij, quantum apparet, referat ſuam dilectionem: Ioannis 14. *Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*; ergò præter amorem beatificum quo non merebatur, vt dictum eſt Concluſ. præced. oportet alium actum amoris Dei in Chriſto agnoſcere, qui ſit actus liber & viæ, quo mereri potuerit.

Probatur Secundò: quia quemadmodum Chriſtus duplici ſcientiâ ſupernaturali cognoſcebat Deum, videlicet ſcientiâ claræ viſionis, & ſcientiâ infuſâ, ſic etiam

potuit

potuit duplici amore diligere Deum, vno qui regularetur viſione beatâ: altero qui ſequeretur ſcientiam infuſam: cuius contemplatio non eſt actus neceſſarius. Vnde neque amor qui hanc cognitionem ſequitur, & ab ea dirigitur, eſt per ſe actus neceſſarius & per conſequens nihil poteſt ei deeſſe ad rationem meriti.

20 Sed petet aliquis: Vtrùm iſti duo actus amoris Dei ſint dicendi differre ſpecie, an ſolo numero?

Reſpondetur: quidam volunt eos differre tantum numero. Licet enim diuerſis vijs tendant in obiectum, tamen tendunt in idem obiectum: alij verò probabilius dicunt eos ſpecie differre: quia actus amoris beatifici tendit in Deum propter omnẽ perfectionem & omnẽ rationẽ in particulari propter quam amabilis eſt; hæc enim tota per viſionem beatam diſtinctè & clarè videtur ac voluntati proponitur: amor verò, qui conſequitur ſcientiam infuſam, vel tantum fertur in Deum ſub vna ſpeciali aliqua ratione boni, vt iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. vel ſolum ſub ratione ſummi boni, quaſi confusè apprehenſâ & cognitâ, non autem diſtinctè, vt omnino in ſe eſt propoſita. Quæ diuerſitas ſufficere videtur ad diuerſitatem ſpecificam illorum actuũ. Hinc etiam actum charitatis viæ, & actum charitatis patriæ cõmuniter docent per ſe actus diuerſæ rationis ſpecificæ. Ita tenent Caiet. parte 1. quæſt. 82. art. 2. Ferrarienſis in Tertium contra Gentes cap. 602. & alij plures, & indicat D. Thomas Secunda Secundæ quæſt. 24. art. 7. ad Tertium vbi ſic ſcribit: Non eſt eadem ratio quantitatis charitatis viæ quæ ſequitur cognitionem fidei: & charitatis quæ ſequitur viſionem apertam: vnde, inquit, ratio non ſequitur, videlicet quod quia charitas viæ poteſt ſemper augeri, idcirco ipſam poſſe adæquare charitatem patriȩ, eo quod habeant quantitates diuerſȩ rationis: quȩ diuerſa quantitatis ratio in illis actibus non poteſt prouenire niſi ex diuerſa ſpecifica ratione eorundem, vt apparet: ſed accuratior huius quæſtionis diſputatio ad locum citatũ ex 2.2. magis propriè pertinet. Vbi de illâ latius egimus.

21 Conclvsio Quinta: Chriſtus meruit per actum charitatis proximi. Eſt communis & indubitata: quod inprimis ſufficienter poteſt conſtare ex dictis, quoad amorem proximi qui conſequitur ſcientiam Chriſti infuſam, in quo manifeſtè concurrunt omnia ad meritum requiſita. Sed de amore proximi qui conſequebatur viſionem beatam, quatenus Chriſtus in Verbo videbat proximos, & rationes amandi illos, dubitari poteſt, An fuerit meritorius, eo quod videatur fuiſſe non minus neceſſarius, quàm beatificus amor Dei. Pro huius difficultatis intelligentia

Obſeruandum eſt, animam Chriſti potuiſſe dupliciter diligere proximos ex vi claræ viſionis Verbi, & proximorum in Verbo. 22

Primò enim potuit eos diligere tanquam obiectum ſecundarium vno eodemque indiuiſibili actu, quo Deum primariò & directè amabat: quia cum charitas inclinet ad amandum proximũ tanquam aliquid ipſius Dei, creaturam videlicet rationalem eius, fit vt dum intellectus proponit Deum, tanquam obiectum ſummè amabile tam in ſe, quàm in proximo, & in omni eo quod Dei eſt, quod tum voluntas vnico impetu feratur in hoc totum obiectum per modum vnius, quod eſt ferri vno actu indiuiſibili.

Secundò poteſt actu aliquo diſtincto amare proximum tanquam obiectum materiale adæquatum talis actus. Neque obſtat quod generaliter ratio amandi ex charitate proximum ſit Deus, quaſi idcirco non poſſit ſeorſim actu diſtincto amari proximus: quia non eſt neceſſe, vt ratio amandi ſit ſemper directè amata eo actu quo aliquid propter ipſam amatur: vt exemplo poteſt declarari: nam ſi offeratur alicui amicus aut ſocius amici ipſius, poteſt ferri affectu quodã amoris in hũc ſocium amici ſui propter amicum ſuum, & tamen illo actu non directè ferri in ipſum amicum tanquam rem amatam: quẽadmodum è contra, dum ſimul occurrunt amicus & familiares illius, poteſt quis vno affectu & actu amoris ferri primò & principaliter quidem in amicum, & ſecundariò ſimul in illius familiares pariter viſos. His poſitis

Dico, Priori actui dilectionis proximi non competiiſſe meriti rationem, magis quàm ipſi amori Dei beatifico vt ad ipſum Deum terminatur: eo quod æquè videatur neceſſarius, ac ipſe amor Dei cum quo planè identificatur, vti dictum eſt: Poſteriori autem dilectioni proximi nihil defuiſſe ad rationem meriti, & proinde Chriſtum eâ promeruiſſe; non enim actus iſte neceſſarius fuit, ſed omnino liber. Nec obſtat quod ſequatur & fundetur in ſciẽtia viſionis, quæ eſt cõprehẽſoris, eo quod nihilominus actus iſte dilectionis nõ ſpectet per ſe & formaliter ad comprehenſorem vt ſic. Vnde quando is qui illum exercet ſimul eſt viator, poteſt dici ſimpliciter actus viatoris: diuerſæ enim cognitiones non ſufficiunt ad ponendam diſtinctionem in actibus voluntatis, quando in obiecto & in modo tendendi in illud per voluntatem non eſt diſſimilitudo aut differentia. 23

Conclvsio Sexta: Chriſtus meruit 24

ruit per omnes actus virtutum infuſarum quos liberè exercuit. Eſt communis & certa. Patet, quia iſtis actibus nihil potuit deeſſe ad meritum. Vnde meruit per actum obedientiæ, vt conſtat ex Apoſt. ad Philip. 2. item meruit per orationes, item per paſſionem ſuam vt erat actus patientiæ, & ſimul quoq; vt erat actus religionis, videl. in quantum ſacrificium, item vt erat actus iuſtitiæ, in quantum per illum ſatisfaciebat Deo pro iniurijs per peccatum illatis: denique vt erat actus charitatis, & omnium ferè virtutum quæ in illo opere ſimul concurrebant.

25 Conclvsio Septima & Vlt. Meruit denique Chriſtus per omnes actus liberos humanæ ſuæ voluntatis, etſi fuerint ordinis naturalis, vt ſunt amor naturalis Dei, & actus virtutum acquiſitarum.

Probatur: quia omnes iſti actus erant honeſti, & à Chriſto in finem ſupernaturalem referebantur; ergò erant meritorij.

Confirmatur: nam & in alijs iuſtis opera bona moralia, quamuis in ſubſtantiâ ſupernaturalia non ſint, tamen ſunt meritoria præmij ſupernaturalis, non quidem ex ſe: ſed quia per gratiâ exercentis eleuantur & dignificantur, idq; vel immediatè hoc ſolo, quia ſunt opera perſonæ exiſtentis in gratia, vt quidam volunt, vel ſaltem mediâ aliquâ relatione ſupernaturali per charitatem ad finem ſupernaturalem, vt alibi docetur.

DVBIVM TERTIVM.

Quo tempore Chriſtus meruerit?

26 Conclvsio Prima: Chriſtus mereri incœpit à primo inſtanti ſuæ Incarnationis, ita vt in illo inſtanti habuerit perfectum meritum. Eſt communis Doctorum in Tertium diſt. 18. quamuis ibidem Durand. quæſt. 2. videatur nonnihil dubitare, ſed ſine fundamento: vnde neque negare audet.

Probatur Primò, ex illis verbis Pſaltis, *Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi*, &c. *Tunc dixi: Ecce venio*. quæ ex perſona Chriſti dicta interpretatur Apoſtolus ad Hebræos 10. & indicant mox in ipſo ingreſſu, atque adeo in puncto Incarnationis Chriſtum habuiſſe voluntatis actum noſtræ liberationis meritorium.

Probatur Secundò: Quia nulla eſt ratio cur negetur tunc meruiſſe: habuit enim tunc perfectum vſum rationis, & perfectam cognitionem, ipſeque actus voluntatis in inſtanti elici poteſt; ergò dicendum eſt quod tum meruerit.

Probatur Conſequentia, quia quod perfectius eſt Chriſto attribuendum venit; ſed perfectius eſt ab initio eſſe in actu ſecundo, quàm ſolum in actu primo. Deinde, quia Angeli hâc ratione ſtatim in primo inſtanti ſuę creationis ad Deum ſeſe conuerterunt, & per eam conuerſionem meruerunt, vt communior Theologorum habet ſententia; ergò idem de Chriſto dicendum eſt.

Conclvsio Secunda: Chriſtus continuò & ſine intermiſſione meruit à primo inſtanti conceptionis vſque ad inſtans mortis. Ita communiter Doctores in Tertium diſt. 18. & Caiet. infrà in quæſt. 34. art. 2. 27

Probatur: quia ad perfectionem Chriſti pertinuit, quod nunquam virtutes eius omnes eſſent otioſæ & in actu primo tantum: quamquam igitur non perpetuo in eodem actu libero ſemper perſeuerauerit, nunquam tamen ab omni actu vacaſſe exiſtimandus eſt, ſed ab hi ad alios tranſijſſe credendus eſt: quemadmodum Angeli ab vno actu libero contemplationis ad alium actum transferunt intellectum.

Conclvsio Tertia: Chriſtus ab inſtanti mortis ſuę non amplius meruit. 28
Eſt quoque communis & certa: tenet eam D. Thomas hîc ad Primum, & infrà quæſt. 50. art. 6. ad Secundum: alij Doctores in Tertium diſt. 18. Ratio principalis eſt, quia à Deo generaliter eſt conſtitutum, quod homines quandiu vitam mortalem degunt, poſſint mereri, ipſumque merendi tempus ſimul cum hac vita finiatur, vt colligitur ex cap. 9. Eccleſiaſtis: *Quodcumque agere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*: quod de opere meritorio, & de ſcientia, ac ſapientia vt huic deſeruiunt, eſt intelligendum: vt exponunt ibidem D. Hieron. & Greg. lib. 4. Dialogorum cap. 39. Cum enim loquatur Sapiens, vt benè notat idem Hieron. generatim de inferno, qui eo tempore etiam animas SS. Patrum continebat, non potuit negare in inferno ſic latè ſumpto opera charitatis exerceri; neceſſe eſt igitur, vt loquatur de operibus meritorijs vt ſic. Vnde ibidem ait, mortuos non habere vltra mercedem, videlicet ex operibus quę poſt mortem exercent.

Idem indicatur Eccleſiaſtici cap. 11. & 14. & ſignificat Apoſtolus ad Galatâs cap. 6. vbi ait, *Dum tempus habemus, operemur bonum*, & 2. ad Cor. cap. 5. dicit, vnumquemque eſſe iudicandum, ſecundũ quod geſſit in corpore. Vnde D. Hieron. in cap. 6. epiſt. 1. ad Cor. Tempus ſementis, inquit, eſt præſens vita quam currimus, cum iſta vita tranſierit, operandi tẽpus aufertur, 29

videlicet

videlicet quantum ad rationem meriti. Et ne quis exiſtimet aliquid peculiare hâc ex parte tribuendum eſſe Chriſto, dicit ipſe de ſe Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Quibus indicat, vbi nox venerit, etiam ſe non poſſe vltra operari, opera ſcilicet meritoria: noctem verò Sancti Patres mortem interpretantur. Ab inſtanti igitur mortis ſuæ non amplius meruit Chriſtus, ſed in morte meritum eius conſumatum fuit: ita vt tunc plenum ius ad omne præmium per ipſum promerendum, acquiſierit. Quod etiam indicat modus loquendi Scripturæ ad Philipp. 2. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum:* Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Iſaiæ cap. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,* & ad Heb. 10. *Vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.* In quibus omnibus Scriptura ſignificat in morte fuiſſe completum meritum, quo tam ſibi, quàm nobis præmium meruit.

30 Sed obijcitur Primò: Chriſtus per mortem nos redemit; ergò meruit ipſo inſtanti quo mors eius conſummata fuit; ſed illo inſtanti iam animæ à corpore ſeparatio facta erat: moritur enim homo per primum ſui non eſſe iuxta communem Philoſophorum doctrinam: non eſt igitur ratio, quare negetur Chriſtus meritus poſt mortem.

Reſpondetur cum D. Thoma infrà qu. 50 art. 6. ad Primum, ſuppoſitâ videlicet iſtâ Philoſophorum doctrinâ (quam quidam negant) Chriſtum nos redemiſſe per mortem vt eſt in fieri, & non vt in facto eſſe: quando videlicet in vita ſuſtinebat pro nobis paſſionem tendentem ad mortem, eamque voluntariè amplectebatur etiam vt terminus eius erat ſeparatio animæ ab ipſo corpore: in ipſo autem inſtanti mortis ſimul cum vita terminatum fuiſſe eius meritum.

31 Obijcitur Secundò: Nonnulli S. Patres videntur in ſuſceptione vulneris in latere per lanceam inflicti poſt mortem, & in ſanguinis inde egredientis effuſione agnoſcere rationem meriti: dicit enim Ambroſ. lib. 10. in Lucam cap. de commend. B. Mariæ, Ex illo incorrupto corpore, ſed defuncto, omnium vita manauit: aqua enim & ſanguis exiuit; illa quæ diluat, iſte qui redimat: & Leo epiſt. 4. cap. 6. Tum regenerationis potentiâ ſanxit, quãdo de latere eius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis: ſimilia habet Auguſtinus Tract. 120. in Ioan.

Reſpondetur: Hi Patres non docent in iſtis fuiſſe formale meritum, vt ex ipſorum verbis ſatis patet: ſed Ambroſium dicere ex illo corpore defuncto manaſſe omnium vitam, reſpiciendo ad præcipua Eccleſiæ Sacramenta, quæ in aqua & ſanguine exinde profluentibus figurabantur, aut potius iam inſtituta ſanciebantur, vt loquitur Leo, ſiue confirmabantur: quorum altero, videlicet baptiſmate deſignato in aqua, abluimur; & altero, videlicet Euchariſtia deſignato in ſanguine, redimimur: quia ſanguis pretium eſt redemptionis, nobiſque Sacramenti huius vſu applicatur: vnde adiungit, Bibamus ergò pretium noſtrum, vt bibendo redimamur. Idem ſenſus eſt doctrinæ Leonis, vt verba eius manifeſtius præſeferunt: quamuis interim etiam dici poſſet, quod ſanguis iſte poſt mortem effuſus redimat, & ſit ſanguis redemptionis, quatenus Chriſtus adhuc viuens, etiam hunc ſanguinem Deo Patri obtulit per vulneris inflictionem poſt mortem effundendum.

DVBIVM QVARTVM.

Vtrùm opera Chriſti fuerint infiniti valoris ad merendum, & ſatisfaciendum?

DIſcrimen eſt inter ſatisfactionem & 32 meritum: quod meritum dicat ordinem ad mercedem; ſatisfactio autem propriè ſumpta ad iniuriam recompenſandam: illud reſpicit commodum eius qui meretur, aut cui quis meretur: hæc verò reſpicit honorem eius, & compenſationem pro iniuria illius, cui fit & offertur. Sed, quia quantum ad præſens propoſitum attinet, eiuſdem ſunt rationis, & eædem circa vtrumque occurrunt difficultates, ideo hîc ſimul de valore operum Chriſti, tum ad merendum, tum ad ſatisfaciendum, quæſtionem proponimus.

Scotus in Tertium diſt. 19. docet meritum Chriſti fuiſſe finitum, ac tantum bonum pro quanto acceptabatur, & vlteriùs; ideo fuiſſe meritum, quia acceptatum, & non è contra ideo acceptatum, quia meritum erat & bonum: Addit tamen paulo infrà: ex circumſtantia ſuppoſiti, & ratione ſuppoſiti de congruo habuiſſe quandam rationem extrinſecam, quare Deus potuit illud acceptare in infinitum, ſcilicet extenſiuè pro infinitis. Eiuſdem opinionis videntur fuiſſe Gab. & Almainus eodem loco & Durand. diſt. 20. Sit

CONCLVSIO Vnica: Opera Chriſti 33 Domini habuerunt valorem ſimpliciter infinitum

infinitum ad ſatisfaciendum & merendum apud Deum. Eſt doctrina communis Antiquorum Theologorum: D. Thomæ ſuprà qu. 1. art. 2. cum Caiet. ibid. Item qu. 7. art. 11. ad Secundum & infrà qu. 46. art. 6. & clariſſimè Quodlibeto 2. art. 2. Alenſis 3. p. qu. 17. art. 2. Bonauent. in Tertium diſt. 3. art. 1. qu. 2. Richardi ibid. item Paludani qu. 2. art. 2. Capreoli Concluſ. 2. Ferrar. in Quartum contra Gentes cap. 55. Soti lib. 3. de natura & gratia cap. 6. & Driedonis de Capt. & redempt. generis humani cap. 2.

34 Probatur Primò ex Scripturis Iob cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c. & calamitas quam potior, in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Quæ verba in perſona Chriſti dicta interpretatur Greg. lib. 7. moralium cap. 2. Pſalm. 129. *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*: 1. ad Cor. 6. *Empti enim eſtis pretio magno*: 1. Petri cap. 1. dicimur redempti non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine, & 1. Ioannis cap. 2. dicitur Chriſtus eſſe *Propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Quæ locutiones, licet non expreſsè infinitam ſatisfactionē aſſerant, ſignificant tamen ineſtimabilem quendā valorem eius abſque omni termino, cum eam tanquam ſuperabundantem, ac pretioſam commemorent redemptionem pro peccatis totius mundi. Vnde & ſimul indicant ſatisfactionem Chriſti ab intrinſeco habuiſſe præſtantiam & condignitatem ad peccata redimenda, non autem ab extrinſeca diuina acceptatione illi obueniſſe.

35 Probatur Secundò: quia Clemens VI. Extrauag. Vnigenitus de pœnit. & remiſſ. affirmat expreſsè, Chriſtum ſuis meritis & ſatisfactionibus acquiſiuiſſe hominibus theſaurum infinitum, additque vnam ſanguinis guttam fuiſſe ſufficientem ad perfectam noſtram redemptionem.

Probatur Tertiò ex alijs P P. Baſil. ad illa verba Pſalm. 48. *Frater non redimit, redimet homo*: dicit, pretium hoc ſuperare omnem valorem: Ambroſ. Præf. in Pſalm. 35. Bonum aurum, inquit, ſanguis Chriſti diues pretium profluus ad lauandum omne peccatum: Nazian. orat. 42. dicit, maximum fuiſſe miraculū paſſionis Chriſti, quod exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt. Idem ſupponunt quotquot dixerunt neceſſariam fuiſſe Verbi Incarnationem, vt ſecundum perfectam iuſtitiam genus humanum redimeretur.

36 Probatur deniq; ratione: quia ſatisfactio creſcit in valore ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, quia quo perſona quæ ſe ſubmittit & humiliat coram altero eſt dignior, eo plus honoris illi accedit coram quo ſe humiliat; atqui Chriſtus erat perſona infinitæ dignitatis; ergò & opera eius ſunt infiniti valoris ad ſatisfaciendum. Vide latius explicatum hoc argumentum ſuprà qu. 1. art. 2. Eadem autem eſt ratio de valore meriti quæ de valore ſatisfactionis, vbi ſcil. æſtimatio meriti non attenditur ex vtilitate quæ accedit ei apud quem quis meretur, ſed ex honorificatione quæ illi fit apud quem quis meretur, & ex eo quod eius voluntati ſatisfiat per merentis ſubmiſſionem, vt accidit in meritis apud Deum.

Obijcitur Primò ex Scoto: Omnis Chriſti actio eſt finitæ entitatis; ergò & finiti valoris ad ſatisfaciendum & merendū. 37 Confirmatur, quia ſi Chriſti meritū eſſet infinitum, placeret infinitè Deo; ergò tantum placeret, quantum placet actus diuinitatis increatus, ſiue quantum ipſa diuinitas.

Reſpondetur admittendo omnem humanam Chriſti actionem habere entitatem phyſicam finitam, ſed negando illam conſequentiam: Ergò eſt finiti valoris ad merendum & ſatisfaciendum: quia valor iſte non eſt phyſica entitas actionis: imò eſt quid diſtinctum à reali bonitate quæ eſt differentia ipſius actus, quatenus actus conſtituitur in Eſſe virtutis: quod ex eo poteſt colligi, quia idem ſpecie actus eiuſdem virtutis poteſt exerceri à puro homine & à Chriſto, etiam in eadem intenſione, & quamuis actus illi ſint habituri eaſdem entitates phyſicas & ſint eiuſdem ſpeciei moralis, non tamen ſunt habituri eundem valorem & præſtantiam ad merendum aut ſatisfaciendum.

Conſiſtit igitur valor iſte in morali quadam 38 ratione & æſtimatione ipſius actus, quam habet ex habitudine ad perſonam infinitā, non qualicumque, ſed ex eā quā ita ſe habet ad perſonam infinitam, vt tali actu ipſa perſona infinita in natura creata quam ſuſtentat, ſeſe humiliet & ſubmittat Deo: hoc enim infinitæ honorificationis & æſtimationis eſt apud Deum. Neque tamen hinc ſequitur actionem humanam Chriſti ſimpliciter loquendo, tantæ eſſe præſtantiæ aut tantùm Deo placere, quantæ præſtantiæ eſt actus increatus, aut quātum ille placet: quia cum habeant quantitates & infinitudines diuerſæ rationis, non poteſt inter eos actus fieri conueniens comparatio: quia actus increatus eſt ſecundum entitatem phyſicam & omni modo infinitus, & placet Deo in quantum eſt eſſentialiter bonum infinitum: actio autem humana Chriſti eſt tantum infinita moraliter in ratione meriti & ſatisfactionis: vnde poſſet dici cum quadam limitatione, videlicet quod ſecundum quandam propor-

ꝓportionem iſta actio in ratione meriti tantùm placeret Deo, quantum actus increatus in ratione entitatis phyſicæ, quia vtrumque ſuo modo placet infinitè, quamuis vnum ſimpliciter, non ſic alterum.

39 Obiicitur Secundò: Secundum ea quę dicta ſunt, non tantùm omnia Chriſti opera ſimul ſumpta erunt infiniti valoris, ſed etiam ſingula: quod ſi admittatur, iam conſequens eſt, vnum Chriſti opus non fuiſſe magis meritorium quam alterum: Rurſum, plura nō plus valuiſſe quam vnū: Denique Chriſtum non magis nos redemiſſe per paſſionem & mortem, quàm per alios vitæ ſuæ actus: quod videtur contra Scripturam, quæ paſſioni & morti, redemptionem noſtram & ſalutem adſcribit.

Reſpondeo & dico Primò: Certum eſt non omnia Chriſti opera fuiſſe æqualia in reali & ſpecifica bonitate actus: quia vnum Chriſti opus potuit eſſe melioris obiecti, vnde iſta bonitas deſumitur, quàm alterum. Rurſum vnum potuit eſſe intenſius, quàm aliud, & ſic ſecundum intenſionem potuit ſpecifica bonitas vnius excedere ſpecificam bonitatem alterius. Neque ex hoc oritur incommodum, quandoquidem iſta bonitas in Chriſti actibus fuerit finita, & ſic maior & minor eſſe potuerit in diuerſis.

40 Dico tamen Secundò: Quodlibet opus Chriſti ex parte perſonæ operātis fuiſſe infiniti valoris, ideoq; abſolutè loquendo, dicēdū omnia eius opera meritoria fuiſſe paris valoris in ratione meriti, & omnia ſatisfactoria paris valoris in ratione ſatisfactionis. Ratio eſt, quia dignitas & valor quę cōmunicantur actui à perſona operante, continent eminenter omnem dignitatem & valorem quæ ex quibuſcumq; alijs cauſis vel circūſtantijs poſſunt actui obuenire: Vnde propter rationem præſtantioris obiecti, vel circumſtantiarum meliorum non debet dici abſoluto ſermone vnus Chriſti actus dignior, aut plus valens in ratione meriti, quàm alter abſque illis: quemadmodum Deus cum creaturis non eſt in ratione entis quid melius aut præſtantius, quàm ipſe ſolus: quia ſolus eminenter habet omnem perfectionem & bonitatem creaturarum.

41 Dico, Abſolutè loquendo: quia cum particula quaſi diminuente poteſt dici, quod vnus Chriſti actus quantum eſt ex parte obiecti, vel quantum eſt ex parte intenſionis aut durationis, ſit magis meritorius, quàm alter ex parte eorundem: quia ſine dubio hæc quoque faciunt ad magnitudinem meriti & ſatisfactionis, vbi non in infinitudine quadam aliunde accedente, quaſi abſorbētur, eo quod in hâc eminēter cōtineantur, vt in propoſito accidit. Vnde addo vlterius, Non tantùm omnia Chriſti opera fuiſſe æqualia in valore, modo explicato, ſed etiā vnum valuiſſe tantū ad merēdū, quantum omnia, ita vt quæcumque mereri potuerit de condigno pluribus operibus, eadem & de condigno mereri potuerit vno opere, quantū erat ex parte valoris. Vnde neq; multiplicādo actus facit ſibi præmium magis debitum, ſed pluribus titulis tantùm, ſiue ex pluribus cauſis: vt docet D. Thomas infrà qu. 34. art. 3. ad Tertium vbi ſic ſcribit, Nihil prohibet idem eſſe alicuius ex diuerſis cauſis, & ſecundum hoc Chriſtus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, potuit etiam poſterioribus actibus & paſſionibus mereri, non quidem vt ſibi eſſet magis debita, ſed vt ſibi ex pluribus cauſis debetur.

Obſeruandum tamen eſt, Quamuis ponatur hæc valoris æqualitas in omnibus & 42 ſingulis Chriſti operibus ad merendum & ſatisfaciendum, tamen ex diuina ordinatione & Chriſti volūtate, factum eſſe, quod non per ſingula complete acquireretur ius ad totum præmium Chriſto præſtitutum, quia ex diuina ordinatione omnes Chriſti actiones & paſſiones videntur fuiſſe inſtar vnius integri & completi meriti, quod toto vitæ eius tempore erat quaſi in continuo fieri, ita vt non per ſingula eius opera perfectè deleretur chirographum, quod aduerſum nos erat, neque per ſingula acquireretur humano generi ius perfectum ad regnum; ſed id demùm tunc completum fuit, quando chirographum affixit cruci, & omnia in paſſione & morte ſunt cōſummata: vt colligitur ex Apoſtolo ad Heb. pluribus capitibus, & præſertim cap. 10.

Hinc iam conſtat: quare non obſtante infinito valore cuiuſque actus Chriſti, ta- 33 men peculiariter redemptio noſtra adſcribatur paſſioni & morti. Primò, quia fuit opus precipuū, & ex ſe maximè accommodatum ad ſatisfaciēdū pro delictis noſtris, & ad illa expianda. Deinde, quia in eo redemptio noſtra fuit conſummata: obtulit quidem etiā Chriſtus alios ſuos actus pro liberatione & redemptione noſtra, ſed quatenus tandem terminus omniū erat paſſio & mors, non autem ſingulatim ſingula tanquam completum meritum, aut completam ſatisfactionem, quā à reatu culpæ expiaretur natura noſtra, & ad hæreditatē cœleſtem ius completum acquireret.

Sed petes: Quid opus fuerit tam mul- 44 tis meritis, & tam multiplici ſatisfactione, ſi vnum opus ad æqualitatem iuſtitiæ ſufficiebat? Reſpondetur, non fuiſſe quidem abſolutè opus tam multis ad rigoroſam redemptionem; ita tamen placuiſſe Deo ordinare,

dinare, neque aliam ſatisfactionem admittere. Primò ad oſtenſionem magnitudinis charitatis ſuæ erga nos. Secundò, vt magis apprehēderentur à nobis peccatorū grauitas, turpitudo, & indignitas, eoque nomine magis illa deteſtaremur, pro quorum expiatione tanta ſuſtinere debuit Dei Filius. Tertiò, vt beneficium redemptionis maiori habeatur in pretio, & maiori cum gratiarum actione acceptetur. Vide de his Anſelmum lib. Cur Deus homo, cap. 6. Denique vt Chriſti ſatisfactione, non tantùm ex dignitate perſonæ per modum meriti, aut redemptionis: ſed etiam quodāmodo eſſet æqualis noſtris reatibus per modum ſatiſpaſſionis, vt videlicet magnitudo & multitudo dolorum & paſſionum Chriſti quâdam proportione veluti æquarent pœnas quas genus noſtrum debebat; & ſic quodammodo in ſpecie ſatisfieret iuſtitiæ Dei vindicatiuæ, ſcil. toleratâ per Chriſtum quâdam ſupplicij plenitudine: quatenus nimirum omnia illa huius vitæ ſupplicia corporalia ſuſtinuit, quæ cum noſtris poſt hanc vitam ſupplicijs haberent quandam ſimilitudinem: quæ pro parte enumerat Pſaltes Pſalm. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus*, &c.

Dixi, Quâdam proportione & quâdam toleratâ ſupplicij plenitudine: quia ſecluſis dignitate perſonæ, & accedente inde pretij infiniti ratione à Chriſti paſſionibus, non poterant illæ ſufficere, vt ad æqualitatem abſolutè & ſimpliciter ſatisfieret diuinæ iuſtitiæ propter pœnæ perpetuitatem, & quandam infinitudinem quę per ſe peccato mortali debetur.

45 Obijcitur Tertiò: Ex infinito valore operum Chriſti ſequitur Chriſtum potuiſſe plus mereri, quàm Deus potuerit remunerare; quod per ſe videtur abſurdum; ergo &c.

Confirmatur: Quia hoc ipſo quo opus eſt valoris infiniti, non poteſt ei aſſignari præmium determinatum tam magnum, quin habeat adhuc valorem ad præmium maius: nam alioquin valor eius tali præmio eſſet exhauſtus, & ſic finitus.

Reſpondetur Neg. Aſſump. Quod autem ad Confirmationem attinet, exiſtimant quidam vt refert Suarez Diſp. 4. Sect. 4. Deum non ſolum poſſe reddere bonum in ratione præmij æquiualens valori operum Chriſti: ſed etiam poſſe conferre bonum cui promerendo valor operum eius non eſſet ſufficiens ſecundum æqualitatem. v. g. quod perſona aliqua diuina per vnionem hypoſtaticam donetur naturæ creatę intellectuali: quia hoc donum includit Deum ipſum, non tantùm extrinſecè per modum obiecti aut principij efficientis, ſicuti gloria & gratia: ſed intrinſecè modo ſubſtantiali & quaſi formaliter, licet eius communicatio fiat mediante modo vnionis creato. Vnde, quia hoc donum eſt infinitum in genere entis, exiſtimant meritum Chriſti non poſſe eſſe æquale ſecundum valorem ad illud de condigno promerendum.

Sed communior opinio habet, etiam 46
tantum bonum non excedere valorem meritorum Chriſti. Vnde ſi Deus illud Chriſto promerendum propoſuiſſet pro aliqua natura humana vel Angelica, non fuiſſet impedita ratio meriti de condigno propter defectum valoris aut condignitatis operum Chriſti ad tantum præmium: quia vt meritum ſit æquale præmio formaliter in ratione præmij & meriti, non requiritur æqualitas ipſorum ſecundum entitates phyſicas, vt paſſim ex alijs præmijs & meritis, item ex condignâ gratiarum actione & beneficijs acceptis conſtat: ſed ſufficit æqualitas proportionis & habitudinis, ac ordinis connaturalis ad ſe inuicem: quia ratio meriti penſanda eſt ſecundum moralem æſtimationem & dignitatem in ordine ad præmium, quam opera Chriſti ſufficienter ſortiuntur ex parte perſonæ operantis, & ſeſe in naturâ aſſumptâ Deo ſubmittentis, quia ſic perſona infinita ſeſe per eiuſmodi actus Deo ſubmittendo, eſt quaſi forma eiuſmodi actuum, illiſque valorem tribuit. Vnde eiuſmodi habent valorem ſufficientem & proportionatum ad merendum, vt etiam bonum increatum cōmunicetur modo perfectiſſimo, quo fieri poteſt, naturæ intellectuali creatæ.

Quare ad confirmationem dicendum
eſt, hoc ipſo quo opera Chriſti ſunt infi- 47
niti valoris in ratione meriti, non poſſe quidem vllo determinato bono purè creato compenſari ad æqualitatem, poſſe tamen compenſari ad æqualitatem bono increato & infinito, modo iam explicato: & ſic abſolutè loquendo non potuiſſe Chriſtum plus mereri, quàm poſſit Deus compenſare: imò ſicuti vno actu potuiſſet Chriſtus mereri non tantum hypoſtaticam vnionem vnius perſonę diuinę ad vnam creatam naturam, ſed etiam plurium perſonarum & ad plures naturas: ſic è contra etiam per vnam hypoſtaticam vnionem poterat Deus ad æqualitatem compenſare omnia Chriſti opera: illud enim bonum ita communicatum habet infinitudinē quandam in ratione præmij correſpondentem infinitudini valoris operum Chriſti in ratione meriti: quia hoc bonum infinitum eſt, & eminenter continet omne bonum: & tamen ſi intuitu operum Chriſti plures perſonę diuinę ponerentur vniri hypoſta-

Digitized by Google

ticè naturis creatis, non præmiarentur idcirco merita eius ſupra condignum: quia tantum bonum eſt diuina perſona vna ſemel vnita naturæ, quantum plures diuinæ perſonæ communicatæ pluribus naturis: & ſic propriè per hoc non accreſceret præmium: quamuis enim extenderetur, non tamen augeretur in ſe, quia etiam iſta extenſio eminenter continetur in vna perſona diuina vni naturæ hypoſtaticè vnita. Sicut diximus, etiam valorem operum Chriſti non eſſe maiorem in omnibus operibus, quàm in vno opere: & vnum opus ſufficere, quantum eſt ex parte valoris, ad omne illud de condigno merendum, ad quod plura eius opera poſſent ſufficere. Neque obſtat maior huius valoris extenſio, quando plura ſunt opera: quia extenſio propter infinitudinem valoris quàm dicimus reperiri in quolibet actu, non debet hîc cenſeri facere aliquam intenſionem meriti vel præmij ſiue æquiualentiam quandam cum intenſione inducere, ſicut fit in meritis & præmijs finitis: quia extenſio, & quodcumque aliud bonum vndecumque accedens, in iſta infinitudine ſemper continetur eminenter.

48 Inferat aliquis: Saltem Deus non poterit reddere omnia illa præmia extenſiuè, quibus promerendis valor operum Chriſti eſt ſufficiens, quia poteſt ſe extendere adhuc ad bona creata in infinitum, quantumuis ponerentur donata præmio infinito per vnionem hypoſtaticam.

Reſpondetur, ex diuina ordinatione & Chriſti voluntate, eius merita & ſatisfactiones ad præmia finita & determinata fuiſſe relata: v. g. ad obtinendam remiſſionem peccatorum, & ius ad cæleſtem hæreditatem omnibus hominibus aliquando futuris, quantum requirebatur ex parte generalis ſatisfactionis & meriti.

49 Addo Secundò: Quamuis dicantur eadem opera, quantum erat ex parte valoris ipſorum, potuiſſe referri ſemper ad plura & plura præmia, non tamen idcirco ſequitur, quod Chriſtus potuerit mereri plura, quàm Deus reddere: quia poteſt etiam Deus ſemper plura & plura bona retribuere: & ſicut non poteſt ipſe dare tam multa præmia, quin poſſit plura, ita neque dicendum eſt, Chriſtum potuiſſe mereri tam multa præmia ſimul ſumpta quibus plura eſſe non poſſint: ſed bene dicitur potuiſſe mereri plura & plura ſine termino, ſicuti Deus illa poteſt retribuere.

Obijcitur Quartò: Si duo ſint impares in gratia habituali, & exerceant actus meritorios aut ſatisfactorios in omnibus alijs conditionibus æquales, non plus videtur mereri aut ſatisfacere is qui maior eſt in ſanctitate, quàm qui minor; ergò perſona non communicat totam ſuam præſtantiam operationibus quas exercet; quod tamen videtur præcipuum eſſe fundamentum Concluſionis. 50

Reſpondetur, non eandem eſſe rationem de ſubſtantiali perſonæ dignitate, & in indiuiſibili conſiſtente, & de dignitate accidentaria, quæ à forma ab extrinſeco adueniente, perſonæ communicatur, quia iſta non pro parte influit in actum, & pro parte non; ſed tota influit, & ſecundum ſe totam afficit & quaſi informat actum; ſed dignitas accidentaria à forma diuiſibili, & ab extrinſeco pendens non ita ſemper influit in actum ſecundum ſe totam: ſed aliquando magis, aliquando minus, ſecundum quod perſona virtute illius formæ intenſius aut remiſſius operatur. Quamuis interim etiam hoc negandum non ſit, opus factum à perſona creata ſanctiori, cæteris paribus, habere aliquem maiorem valorem coram Deo; & ſic etiam dignitatem ſanctitatis perſonæ conferre aliquid ad moralem valorem operis ſatisfactorij aut meritorij.

DVBIVM QVINTVM.

Vtrùm in Chriſti meritis & ſatisfactione reperiatur veri nominis, & rigoroſa iuſtitia ad Deum?

CONCLVSIO eſt affirmatiua: & communior ſententia Doctorum, D. Thomæ ſuprà quæſt. 1. art. 2. vbi docet, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe perfectè ſufficientem, tanquam quæ fuerit condigna per quandam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ, qualem purus homo exhibere non potuerit: & infrà quæſt. 48. art. 4. Quia igitur paſſio Chriſti (inquit) fiat ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccato & reatu pœnæ generis humani, eius ideo paſſio fuit quaſi pretium quoddam, per quod liberati ſumus ab vtrâque obligatione. Idem docent Altiſiod. lib. 3. Summæ tract. 2. cap. 8. Richard. de S. Victore lib. de Incarnat. cap. 8. & Doctores alij Dubio præcedente citati pro infinito operum Chriſti valore in ratione 51

meriti & ſatisfactionis, & latè Capreolus in Quartum diſtinct. 55. quæſt vnicâ artic. 3. & recentiores commentatores in Thomam, partim hoc loco, partim in Quæſtionem primam huius Partis.

52 Probatur Primò ex Scripturis, quæ docent meritis Sanctorum præmia eſſe reddenda ex iuſtitia: quod ſi enim inter alios homines, & Deum habeat locnm iuſtitia, multò magis inter Chriſtum & Deum locnm habebit: tum propter maiorem excellentiam & perfectionem operum Chriſti: tum etiam qnia quidquid iuſtitiæ eſt in noſtris meritis, id totũ habet fundamentum in ſatisfactione & meritis Chriſti: tum denique, quia ſi hoc iuſtitiæ debitnm non repugnet Deo reſpectu alicuius alterius, neque etiam reſpectu Chriſti repugnabit: Vt ex infrà dicendis magis conſtabit.

Antecedens patet Matth. 20. vbi fit conuentio inter Patremfamilias & operarios, & ſoluitur denarius diurnns. Item 1. ad Corinth. cap. 3. & 9. item 2. ad Timoth. cap. 4. & ad Hebræos cap. 6. vbi dicitur, *Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri*: ad Galatas cap. 6. 1. Petri cap. 1. & Apocalipſis cap. vlt. quæ Scripturæ loca accuratius vrgentur & diſcutiuntur s. 2. quæſt. 513. vbi ex profeſſo agitur de meritis operum bonorum in communi.

53 Probatur Secundò: Quia Scriptura, vbi in particulari agit de Chriſti meritis & de eius pro nobis ſatisfactione, planè ſignificat, in illis fuiſſe obſeruatam rationem iuſtitiæ.

Confirmatur: quia docet potiori ratione & iure, eos qui accipiunt abundantiam gratiæ & donationis Chriſti, regnaturos in vita per vnum IESVM Chriſtum, quàm mors delicto vnius regnet in omnes; atqui mors ſecundum exactam iuſtitiæ rationem, iuſtoque Dei iudicio regnat in omnes filios Adæ; ergò etiam ſecundum exactam iuſtitiæ rationtm per vnum IESVM Chriſtum, reſtituuntur vitæ, & in vita regnabunt, qui abundantiam gratiæ eius accipiunt.

54 Patet Aſſumptum ad Rom. cap. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis* (id eſt, potiori ratione & iure) *abundantiam gratiæ &c. accipientes in vita regnabunt per vnum* IESVM *Chriſtum.* Deinde, quando Scriptura de noſtra liberatione per Chriſtum factâ agit, vtatur ferè ſemper nominibus quæ iuſtitiæ actum & propriam rationem deſignant & important: dicit enim Chriſtum ſoluiſſe debitum noſtrum, extinxiſſe chirographum quod aduerſum nos erat; Pſalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* ad Coloſſenſes 2. cap. *Expolians principatus & poteſtates*, &c. Item dicit, cum emiſſe nos pretio: 1. ad Cor. 6. *Empti enim eſtis pretio magno*, & cap. 7. *Pretio empti eſtis*: dicitur etiam ipſe nos redemiſſe, Iſaiæ cap. 49. *Nunquid tollitur à forti præda*, &c. ac infrà, *Et ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob*: Eramus namque in iniquitatibus noſtris venditi: vt cap. 50. habet idem Propheta: 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis*: ad Titum cap. 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret*: Exoluere autem, delere chirographum pro altero, emere pretio magno, redimere venditos, omnia hæc ſignificant actus iuſtitiæ proprij nominis; ergò &c.

Probatur Concluſio Secundo ex Patribus: Chryſoſtomus Homilia 10. in epiſtolam ad Rom. Si quis propter debitum decem nummorum in carcerem conijciatur, inquit, veniat autem alius qui non ſolum ſoluat illos nummos, ſed etiam innumera auri talenta largiatur, ita & nobiſcum factum eſt; ergo Chriſtus ex iuſtitia pro nobis ſoluit, ſicut is qui ſolueret decem nummos, & alia dona adijceret: Cyp. ſerm. de Aſc. Dom. Sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit pro mundo, diſſimilitudo: cum ipſe exiguo argento emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, vt dubium eſſe non poſſit, quin pretij magnitudo ſuperet negotium, nec æquari poſſit damnum, quod damnatio iuſtè meruerat, obedientiæ Chriſti, quæ gratis vſque ad mortem progreſſa eſt, &c. Athanaſius lib. de Incarnatione non longè à principio, Corpus, inquit, aſſumpſit quod pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret, & mortem in omnibus quaſi ſtipulam ignis, conſumeret ſuis meritis & ſatisfactione: Ambroſius de Incarnatione cap. 6. Ex nobis accepit, quod pretium offerret pro nobis; vt nos redimeret ex noſtro. Vbi fruſtra ita vrgeret Ambroſius, Chriſtum accepiſſe ex nobis quod pretium offerret: & rurſum vt nos ex noſtro redimeret, niſi vellet nos ſecundum rationem iuſtitiæ per Chriſtum redemptos, Vt tamen declaret valorem oblationis ex perſona ſumi, addit: Et quod noſtrum non erat, ex ſuo nobis diuina largitate conferret, ſecundũ noſtram igitur ſe obtulit naturam, vt vltra noſtram operaretur naturam: Proclus Epiſcopus homil. de Chriſti Natiuit. quæ habetur in Conc. Epheſ. cap. 7. Neceſſarium, inquit, 56

Digitized by Google

quît, erat vt eiuſmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad amuſſim iuſtitiæ exæquaret. Auguſtinus Enchiridij cap. 49. Vt Diabolus veritate iuſtitiæ, non violentiâ poteſtatis oppreſſus, &c. & lib. 13. de Trinitate cap. 13. Non autem Diabolus potentiâ Dei, ſed iuſtitiâ ſuperandus fuit, & cap. 14. Quæ eſt igitur iuſtitia, quâ victus eſt Diabolus? quę niſi iuſtitia Iesv Chriſti? Quod latius explicat citato cap. 49. Enchiridij. Idem docent Gregorius lib. 17. moralium cap. 18. Leo ſerm. 1. de Natiuit. & 11. & 12. de paſſione, & Theodoretus dialogo 2. & alij Patres. Quamuis enim his terminis Iuſtitiæ proprij nominis, Iuſtitiæ perfectæ, aut Rigoroſæ rarius vtantur, tamen ex modo quo Chriſti iuſtitiam & ſatisfactionem exaggerant, ſatis eundem ſenſum indicant.

56 Probatur denique ratione: quia neque ex parte Dei, aut eius offenſæ: neque ex parte Chriſti aut eius ſatisfactionis: neque ex parte vtriuſque ſimul repugnat, quo minus ſatisfactio pro nobis oblata dicatur ſecundum iuſtitiæ rigorē perfecta ſolutio pro debitis noſtris: neque quominus opera Chriſti, quibus nobis ad cæleſtem hæreditatem ius recuperauit, dicantur merita iuſtitiæ proprij nominis & perfectæ: vt ex ſolutionibus obiectionum magis conſtabit; ergò cum illud ipſum Scripturæ præſeferant, & Sancti Patres aut doceant aut ſupponere videantur, nullo modo id negandum erit. Sed ex diuerſis capitibus graues contra poſitam Concluſionē occurrunt difficultates: vnde Scholaſtici nonnulli exiſtimarunt veri nominis, & perfectam iuſtitiam inter Deum & Chriſtum non admittendam.

Prima itaq; difficultas eſt,

57 Quia ſatisfactio Chriſti nec vt ab ipſo procedebat & Patri offerebatur, videtur fuiſſe actus iuſtitiæ propriè dictæ: neque vt ab ipſo Deo acceptabatur.

Probatur: quia Chriſtus non tenebatur ex iuſtitia mori pro hominibus, aut pro illis ſatisfacere: eſto quod ex obedientia ratione mandati ſibi impoſiti, teneretur. Deinde, Deus non tenebatur ſatisfactionem à Chriſto oblatam acceptare: quia perſona offenſa non tenetur ſatisfactionem acceptare ab aliquo, quàm ab ipſo offendente: vt patet ex communi omnium ſenſu, qui prudenter & ſecundū æſtimationem moralem de ſatisfactione iudicant. Et ratio poteſt eſſe, quia ſatisfactio pro iniurijs reſpicit actiones & perſonas: vnde niſi is qui offendit, ſatisfaciat in propria perſona ſe ſubmittēdo aut pœnas luendo, non videtur reſarciri propriè improportio illa, ſiue inæqualitas quæ inter perſonam offendentem & offenſam interceſſit: ſecus eſt de reſtitutione, quia hæc reſpicit res ipſas, vnde ſi reddatur res æqualis, nihil refert quod ab vno vel ab altero reddatur. Denique debitum, ſiue obligatio ex iuſtitia ad aliquid præſtandum, videtur adferre quandam imperfectionem; ergo non poteſt in Deo locum habere; ergò Chriſtus non meruit apud Deum ſecundum rigorem iuſtitiæ.

Reſpondetur: Abſolutè loquendo, nullâ factâ promiſſionis aut pacti præſuppoſitione, verum omnino eſſe, quòd neque Chriſtus fuerit ex iuſtitia obligatus ad ſatisfaciendum, ſiue moriendum pro humano genere; neque Deus fuerit obligatus ad mortem Chriſti acceptandā in compenſationē iniuriæ ſibi à nobis illatæ, quantumuis Chriſtus eam in ſatisfactionē offeret: quia non tenebatur vllius-alterius ſatisfactionem admittere, vt argumentum bene declarat, præſertim cum ipſe ſit ſupremus iudex & dominus: Nego tamen inde ſequi, Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ſatisfactionem ſecundum iuſtitiam perfectam, vel merita eius non eſſe merita iuſtitiæ: quia ad iuſtitiæ rationem non eſt neceſſe, quod exercitium actus proueniat ex obligatione iuſtitiæ, ſed ſatis eſt, quod ſeruetur integra ratio & æqualitas requiſita: vt patet in primis in emptione & venditione, quæ vt ſint actus iuſtitiæ, & vnus dicatur ſoluere ſecundum rigorem iuſtitiæ, & alteri dicatur ſolutum ſecundum iuſtitiam, non eſt neceſſe, quod iſte fuerit obligatus ex iuſtitia emere, aut hic ex iuſtitia obligatus vendere. Similiter ſi Rex habeat plures captiuos, & aliquis gratuito motu velit illos redimere iuſto pretio, ſi Rex acceptet pretium oblatum, ea conditione, vt captiuos dimittat, dicetur iſte ſecundum rigorem iuſtitiæ pro eis ſatisfeciſſe: quamuis neq; ipſe teneretur eos redimere, neque Rex admittere ſolutionem, præueniendo contractum. 58

Quamuis ergò, Chriſtus non eſſet ex iuſtitia obligatus pro nobis ſatisfacere, tamen quia ex affectu ſaluandi diuini iuris, illiuſque condignè & ad æqualitatem reparandi, quatenus per peccatum læſum erat, fuit paratus & præſentauit ſe humiliare coram Deo etiam vſque ad probroſam mortem crucis, & mortis ſupplicium ſubire: & quia hæc ipſa oblatio à Deo fuit admiſſa & acceptata, inde fit, quod ſecundum veram & perfectam iuſtitiam Chriſtus dicatur pro nobis ſatis- 59

feciſſe, ac nos redemiſſe, ſuppoſitis videlicet æqualitate & condignitate oblationis Chriſti in ratione honorificationis Dei, ad iniuriam quam Deus ſuſtinuit, & in ratione pretij ad cœleſtem gloriam, quam dicimus eum nobis ſecundum iuſtitiam promeruiſſe. Fuiſſe verò æqualitatem valoris in ſatisfactione, & meritis Chriſti ad diuinam iniuriam compenſandam, & ad gloriam nobis promerendam, imò & exceſſum fuiſſe, oſtendimus dubio præcedente.

60 Sed dices: Si quis ſponte ſiue ſuâ voluntate ſine cõuentione colat vineam alterius, & dominus vineæ reddat illi denariũ diurnum, quem laborantibus ex conuentione ſolet ſoluere, non dicetur dominus vineæ ex iuſtitia ſoluiſſe denarium illum: neque alter dicetur ex iuſtitia illum promeritus, licet opus illo dignum fecerit, eo quod dominus non tenebatur compenſare laborem illius; ergò ſimiliter, quamuis Deus acceptauerit Chriſti ſatisfactionem, & eius intuitu humano generi remiſerit offenſam, non tamen dicendus erit remiſiſſe ex iuſtitia, nec Chriſtus ſecundum iuſtitiam dicendus erit meruiſſe illam remiſſionem.

61 Reſpondetur, inter Chriſtum & Deum interueniſſe pactum: promiſerat enim Chriſto, ſi poneret animam ſuam, quod videret ſemen longæuum, & quod pro eo, quod laboraret anima eius ipſe videret, & ſaturaretur, & in ſcientia ſua ipſe iuſtus iuſtificaret multos: vt ſuprà dubio 1. ex Iſaia oſtendimus. Quamuis ergò præueniendo promiſſionem & pactum, vt diximus, non eſſet Deus ex iuſtitia obligatus admittere Chriſti labores, paſſionem, & mortem in compenſationem & ſatisfactionem pro debito humani generis, tamen factâ iam promiſſione ſub conditione ſatisfactionis præſtandæ per Chriſtum, tenebatur Deus illam admittere, & eius intuitu offenſam remittere. Quemadmodum qui liberè promittit brauium ſub conditione victoriæ, tenetur is ex iuſtitia vincenti brauium reddere, etſi victor abſque obligatione in ſtadio eucurrerit: iſta enim obligatio quæ naſcitur ex promiſſione ſub conditione operis tanquam pretij vel meriti, quando opus habet cum præmio promiſſo proportionem, ſufficit vt is qui opus præſtat, dicatur ex iuſtitia mereri præmium, & promittens teneatur ex iuſtitia reddere promiſſum, quamuis citra obligationem promiſerit. Vnde

62 Negandum eſt, quod Secundò allegatur in obiectione, videlicet, Imperfectionis eſſe ad aliquid teneri ex obligatione iuſtitiæ; vel maioris claritatis gratiâ diſtingui poteſt: nam debitũ quod omninò poteſt ab extrinſeco prouenire, vel quod obligat debitorem vt ſe totaliter priuet aut exuat dominio illius quod debet, iſtud inducit imperfectionem; ſed debitum quod non poteſt oriri niſi ex propria & libera debitoris voluntate, & cui poteſt ſatisfacere uon ſe priuando dominio rei quam debet, ſed communicando eam, retento ſibi eius ſupremo dominio, nullam dicit imperfectionem.

Declaratur, quia ſecundum communem doctrinam omnium, ſuppoſito quod Deus dixit aut promiſerit ſe aliquid facturum, tenetur illud præſtare ex fidelitate, idque abſque imperfectione in ipſo: & ratio eſt, quia non tenetur ad illud ex reſpectu ad aliquam legem vel auctoritatem extrinſecam cui ſubijciatur, ſed ex propria & intrinſeca ac naturali ſuâ rectitudine, quia mentiri, & ſeipſum negare non poteſt: In genere igitur ad aliquid obligari ex ſuppoſitione proprij actus, non ponit in Deo imperfectionem: ſed neque imperfectionem inducit, quod dicatur teneri ex obligatione iuſtitiæ, qnia iuſtitia non minus eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quàm veritas & fidelitas: vnde in Scripturis paſſim Deo attribuitur, & docet D. Thomas ex profeſſo lib. 1. contra Gentes cap. 93. eam in Deo reperiri. 63

Quare operari ex iuſtitia, aut ex debito iuſtitiæ, neque in ſuo conceptu includit imperfectionem, neque imperfectionem per ſe præſupponit in eo qui ſic operatur: quamuis in hominibus communiter habeat aliquam imperfectionem adiunctam, puta quia vel contta ſuam voluntatem homo fit debito obnoxius, aut ſi non abſolutè contra ſuam voluntatem, ſaltem vt maius commodum conſequatur, vel aliquod incommodum euadat. Præterea, non poteſt debito ſatisfacere niſi exuendo ſe dominio rei quam debet: huiuſmodi autem imperfectiones in Deo locum non habent, quamuis ex iuſtitia debeat: quia, vt dictum eſt, non niſi ſuâ liberâ voluntate debet, idque, non vt ipſi aliquod commodum accedat, ſed vt alios ad bene agendum, & ad ea quæ ipſi placita ſunt exequẽda, prouocet, & vt ipſos beatos efficiat, non ſe alicuius rei dominio priuando, ſed ſeſe illis communicando. 64

Sucunda difficultas eſt,

Quod vera & propriè dicta iuſtitia debeat eſſe inter perſonas diſtinctas: quia iuſtitia eſt virtus quę eſſentialiter reſpicit alterũ, vt docet Ariſtot. 5. Ethic. c. 5. & eum illo cæteri Philoſophi morales; atqui non poteſt 65

teſt

Digitized by Google

reſt hoc locum habere in ſatisfactione Chriſti: Primò, quia Chriſtus per ſe primò ſatisfecit Deo pro hominibus: ipſe autem non eſt altera à Deo cum ipſe Deus ſit; ergò eius ſatisfactio non fuit ad alterum, nam illa vox Ad alterum, indicat diſtinctionem ſuppoſitorum, vt ſentit D. Th. 2. 2. qu. 59. art. 2.

Deinde neque euacuabitur, ſi quis dixerit Chriſtum Dei Filium ſatisfeciſſe Deo Patri, & ſic eius ſatisfactionem fuiſſe ad alteram perſonam: quia inprimis omninò dicendum eſt, Chriſtum non tantum Deo Patri, ſed toti Trinitati ſatisfeciſſe, quemadmodum enim Deus per ſe primò fuit offenſus, & ſic tota Trinitas, ita & per ſe primo debuit Deo, & toti Trinitati ſatisfieri. Secundò præter hoc, alia tunc occurrit difficultas, quia & inter Filium & Patrem non conſiſtit iuſtitia: vt docet Ariſtoteles 1. Ethicor. cap. 6. ergò non ſatisfecit Chriſtus ſecundum iuſtitiam propriè dictam.

66 Reſpondetur, iuſtitiam propriè dictam non eſſe, niſi inter perſonas diſtinctas iuxta communem rerum ordinem: quia iuxta hunc non fit, quod duæ naturæ intellectuales habentes voluntates diſtinctas liberas, & propria dominia, conueniant in vno ſuppoſito: & proinde, neq; quod vnū ſuppoſitū habeat diſtincta iura; ſed quādo ſupernaturali diſpoſitione & modò ſupra naturæ ordinē, duæ eiuſmodi naturæ conueniunt in vna perſona, tunc poſſe etiam veram iuſtitiam eſſe eiuſdem ad ſe ipſum, in quantum ratione diuerſarum naturarum in quibus ſubſiſtit, habet diſtinctas voluntates, & conſequenter diuerſa propria dominia: quod locum habet in Chriſto Domino. Et idcirco idem Chtiſtus, quatenus homo, potuit ſibi vt Deo ſecundum propriam rationem iuſtitiæ ſatisfacere: ſufficiens enim ratio ad alterum interuenit, quia ſecundum diuerſas naturas & per diuerſas voluntates liberas ſatisfactionem reſpectiuè obtulit & acceptauit.

67 Confirmatur primò: quia hîc homo Chriſtus habet proprium domioium per voluntatem humanam eorū actuum, quos per talem voluntatem operatur, quod diſtinctum eſt à proprio dominio voluntatis eius diuinæ: nam hoc eſt altius, & commune tribus perſonis; illud verò eſt inferioris rationis & proprium Chriſti hominis.

Confirmatur Secundò ſimilibus exemplis, quia non minus obedieotia & religio eſt ad alterum, quàm iuſtitia; ſed Chriſtus vt homo veram obedientiam; & orationis, ac religionis cultum præſtabat ſibi vt Deo; ergò &c.

Accedit, quod & in humanis poſſit quodammodo eſſe iuſtitia eiuſdem ad ſe ipſum vt vices diuerſarum perſonarum ſuſtinet: v. g. quando tutor pupillorum ſibi ſatisfacit ex bonis ipſorum, quoad ea quæ illi debebant.

Quod verò allegatur, non eſſe iuſtitiam 68
inter filium & patrem, intelligendū eſt de Filio adhuc ſub patria poteſtate cōſtituto, qui nullum adhuc proprium habet dominium: nam alioquin inter filium emancipatum habentem res proprias, & ſui iuris exiſtentem, & patrem poteſt verſari iuſtitia propriè dicta: vt contractus emptionis & venditionis, & alij iuſtitiæ actus; Chriſtus autem vt homo habuit particulare & proprium dominium ſuarum operationū liberarum, & ſic potuit inter ipſum & Deum Patrem intercedere iuſtitia.

Tertia difficultas eſt,

Quod ad ſatisfactionem ſecundum perfe- 69
ctam iuſtitiam requiratur, vt non fiat ex bonis creditoris: vt DD. communiter docent: ſi enim in ſatisfactionem alteri tribuam, quod illius erat, is poſt ſatisfactionem non habebit amplius, quàm antea: vnde non fuerit reparata inæqualitas, quæ antea erat; atqui hæc conditio non videtur locum habere in ſatisfactione Chriſti. Primò, quia opera per quæ Chriſtus ſatisfaciebat, magis erant ſub dominio Dei, quàm ſub humano dominio Chriſti hominis: erant enim res creatæ, & titulo creationis omnia ſuot Dei. Deinde, quia valor ſatisfactionis Chriſti proueniebat ex parte perſonæ diuinæ, cui etiam exhibebatur ſatisfactio; ergò ex bonis creditoris.

Reſpondetur, diſtinguendum eſſe inter 70
ſolutionem aut reſtitutionem quæ fit ad ponendam æqualitatem in rebus datis & acceptis, & inter ſatisfactionem propriè dictam, quæ tantum fit ad recompenſandam iniuriam illatam: nam in iſtis propriè locum habet, quod non poſſint fieri ex bonis creditoris, quia ratio ſolutionis ac reſtitutionis in eo ſita eſt, vt creditor qui minus iuſto habet in rebus, accipiat à debitore rem aliquam, ſiue quoad dominium, ſiue quoad poſſeſſionem ſaltem, quâ iniquè fruſtrabatur, vt ſic oriatur æqualitas in rebus datis & acceptis inter debitorem & creditorem: quando autem res quæ à debitore in ſolutionem aut reſtitutionem offertur, eſt de numero earum rerum, quas creditor iam in ſuo habet dominio & poſſeſſione, tunc nihil creditori accedit, & ſic inæqualitas quæ antea erat, non tollitur. Verùm, quia ſatisfactionis propriæ dictæ ratio non conſiſtit in tranſlatione dominij aut poſſeſſionis rerum, ſed in hoc ſolùm, quod tantùm reuerentiæ

 & hono-

& honoris impendatur, quantũ iniurię illatũ fuit: idcirco, vt per ſatisfactionẽ reſtauretur debita æqualitas quæ læſa fuit, ſufficit quod ſatisfaciens in actũ ſuũ habeat illud dominiũ quod eſt intrinſecum omni operanti liberè in opus quod liberè exerçet: quia non fit iniuriæ compenſatio, & reſtitutio honoris per abdicationem alicuius rei à ſe vel à ſuo dominio, ſed per voluntariam & liberam ſui ſubmiſſionem aut humiliationem, & alterius recognitionem. Quod cum æque fieri poſſit, etiã in ordine ad Deum, ſtante hoc quòd ipſe ſit harum actionum ſupremus dominus, quàm ſi earum dominus non eſſet (non enim ideo minus per eas honoratur, quandoquidem liberè eas Chriſtus defert) idcirco id cum perfectâ iuſtitiâ ſatisfactionis Chriſti non pugnat.

71 Vnde non rectè quidam exiſtimant ex defectu huius conditionis prouenire, quòd purus homo pro peccato ſatisfacere non poſſit ſecundum perfectam iuſtitiam: Id enim non ex hoc capite, vt ex dictis aduerti poteſt, ſed aliũde prouenit, puta, quia puri hominis actiones nõ poſſũt habere ſufficiẽtem valorem & condignitatem ad iniuriã quæ per peccatum Deo infertur.

Neq; obſtat iſtam Chriſti humiliationẽ, & diuinæ majeſtatis recognitionem accepiſſe tantam præſtantiam & dignitatem ex parte perſonæ Verbi, vt poſſint iniuriam adæquare: (ex eo enim fuerunt iſtæ Chriſti actiones Deo tam honorificæ, quia procedebant à natura ita eleuata, vt in perſona Verbi ſubſiſteret, atque adeo ipſum Verbũ illas actiones exerceret) Non, inquã, hoc obſtat: quia præſtantia & valor inerãt ipſis Chriſti actionibus, quãuis ex reſpectu ad Verbũ, & ſic quemadmodum ipſi actus, ita & ipſorum dignitas, & inde accedens ad Deum honorificatio ſuberant liberæ humanæ voluntati Chriſti, quod ſufficit, vt iniuriæ compenſatio dicatur facta ſecundum iuſtitiam, quantum requiritur ex parte dominij quod ſatisfaciens debet habere in opus ſuum ſatiſfactorium, quo alteri honorem reſtituit.

Quarta difficultas eſt,

72 *Quod ad perfectam iuſtitiam dicatur requiri, vt ſolutio ſiue ſatisfactio fiat ex aliàs indebitis; hæc autem conditio non videatur in Chriſti ſatisfactione locum habuiſſe: quidquid enim in Dei honorem vel operari, vel pati potuit, multis id alijs titulis Deo debebat: vt inprimis titulo gratitudinis propter infinita beneficia ſibi vt homini, ſiue humanitati ſuæ collata: quandoquidẽ enim verũ eſſet humanę naturæ ſuppoſitum, exercere debuit munus, & exoluere obligationẽ ſuppoſiti; atq; adeo gratias Deo referre pro beneficijs naturæ ſuæ humanæ collatis: quemadmodum & Chriſtum feciſſe legimus. Deinde & titulo obedientiæ: poterat enim Deus exigere à Chriſto omnia opera humana pro ſuo cultu.

Reſpondetur, vt dicta conditio ſit ad 73
perfectam iuſtitiam neceſſaria, debet intelligi cum limitatione de aliàs eidem indebitis titulo iuſtitiæ, quod ſatis in rebus humanis declarari poteſt: nam ſi creditor meus ſit in extrema neceſſitate, teneor ex charitate ſuppeditare illi neceſſaria, & tamen ſatisfacio illi ſecundum iuſtitiam, ſi alio titulo ſim illi ex iuſtitia obligatus, & debitum illud ſoluam, quo ſimul neceſſitati ſuæ ſubuenit: ſimiliter, ſi is qui mihi aliquando benefecit, indigeat ſubſidio, titulo gratitudinis teneor illi præſtare ſubſidium: ſi tamen aliunde ex iuſtitia illi debeam, potero ſimul debito iuſtitiæ ſatisfacere.

Vnde licet Chriſtus Dominus ex grati- 74
tudine, vel ex obedientia erga Deum, potuerit illi debere actionęs & paſſiones ſuas, non tamen debebat ex peculiari debito iuſtitiæ: docet enim D. Aug. lib. 18. de Trinit. cap. 14. ſolum Chriſtum liberum fuiſſe à debito mortis, quo videlicet ſecundum iuſtitiam morti eſſet obnoxius: & ideo potuit Chriſtus, moriendo ſcilicet, ſatisfacere pro debito iuſtitiæ, cui humanum genus ſubiacebat. Accedit, tam infinitum eſſe valorem operum Chriſti, vt ſufficere potuerint ad ſoluendum omne debitum, licet ex varijs, & quodammodo infinitis titulis eſſet ortum. Quia, quemadmodum propter valoris infinitudinem, tantum intenſiuè valet vnum eius opus, quantum omnia, vt ſuprà dictum fuit, ſic & tantum valet pro multis debitis, quantum pro vno.

Declaratur, nam vnum Chriſti opus ſufficere poterat ad gratiarum actionem pro omnibus beneficijs ſuſceptis, & vnum aliud opus ad ſatisfaciendum pro hominibus; atqui tantũ valoris habet vnumquodlibet eius opus, quantum omnia ſimul; ergò multiplex debiti ratio non potuit minuere iuſtitiæ perfectionem in ſatisfactione Chriſti.

Sed contra primam reſponſionem repli-
cabit aliquis: Si ex mutuo quis debeat loco 75
pio, v. g. decem; & poſtmodum voueat dare eidem loco decem, non ſatisfaciet is vtrique debito, ſoluendo decem ſemel; ergò ſoluendo illud quod ex religione, aut aliâ virtute debetur, non ſatisfit debito iuſtitiæ, ſi illud aliunde ſimul concurrat.

Reſpondetur Neg. Conſ. per ſe loquendo. Declaratur, quia ſi quis voueat ſoluere

pio loco

pio loco decem, quos debet illi, & ſoluat, ſatisfaciet ſimul debito religionis & debito iuſtitiæ. Sed in caſu porpoſito per accidens euenit, quod ſoluendo ſemel decem, non ſatisfaciat vtrique debito, quia videlicet ex intentione vouentis cadit votum in materiam ab alia obligatione iuſtitiæ liberam, & ſic augetur quantitas debiti: quia noua obligatio fertur in materiam diuerſam, non quidem ex natura ſua, & quaſi pugnaret cum altera obligatione, vt iam oſtendimus, ſed ex intentione operantis. Accedit ſimul, quod in dicto caſu non tantùm concurrat obligatio ex virtute religionis, ſed ex promiſſione, & obligatio ex promiſſione habeat quandam rationem iuſtitiæ, neque per omnia ſit ſimilis obligationi ex gratitudine, vel ex charitate aut obedientia.

Quinta difficultas eſt,

76 Quod ad perfectam & rigidam iuſtitiam ex communi doctrina requiratur, quatenus ſatisfactio non fundetur in liberalitate aut gratia creditoris; atqui tota Chriſti ſatisfactio videtur in gratia fundata. Primò, quia tota nititur in gratia vnionis hypoſtaticæ, quam Deus gratis humanæ naturæ contulit. Deinde, quia ipſamet bona opera, per quæ Chriſtus ſatisfaciebat, erant dona Dei; non videtur ergò Chriſti ſatisfactio poſſe dici facta ſecundum iuſtitiam perfectam.

Reſpondetur, vt Conditio allegata ſit neceſſaria ad perfectam iuſtitiæ rationem, debere eam ſic intelligi: quòd ſatisfactio non poſſit fundari in liberalitate & gratiâ creditoris, taliter videlicet, vt ipſe acceptet pretium, meritum, vel honorē delatum in ſolutionem debiti, aut in obligationem ad reddendum præmium, aut in ſatisfactionem pro iniuriâ perpeſſâ, quamuis iſta in rei veritate & ſecundum iuſtam æſtimationem non habeant valorem, proportionem, & dignitatem ad debitum, ad præmium vel iniuriam, pro quibus reſpectiuè offeruntur: ſed à creditore gratioſè tantùm admittuntur, licet inæqualia ſint, & eorum intuitu remittit debitum, vel ad premium reddendū ſe obligat, aut offenſam ignoſcit. Quo pacto Scotus & Durand. videtur exiſtimaſſe Chriſti opera, & paſſiones in ſatisfactionem fuiſſe à Deo acceptata, quamuis in ſe condignitatem ad iniuriam reparandam non haberent: qui proinde & hîc perfectam iuſtitiam negant.

77 Sed quod creditor fecerit aliquam gratiam debitori prius, aut aliquem ipſi fauorem impenderit, non impedit quo minus debitor poſſit ſecundū perfectā iuſtitiam creditori ſatisfacere: v. g. ſi creditor mutuauerit, imò donauerit ſuo debitori aliquas alias pecunias, vt in illis negotietur & lucretur vnde ſibi ſoluat: imò eſto, quod creditor ſimul aſſiduè dirigat eius negotiationem, tamen vbi iſte debitor profecerit, ſi tunc ſoluat tantum, quantum debebat, dicetur ſecundum perfectam iuſtitiam debitum ſuum ſoluiſſe. Sic ergo, quamuis Chriſti ſatisfactio fundata ſit in gratia creditoris, ſiue Dei læſi, quatenus humanam Chriſti naturā gratioſè & gratis eleuauit ad ſubſiſtendum in perſona Verbi, vnde facta eſt potēs & ſufficiens ad exoluēda debita noſtra, ſicuti fundata eſt ſolutio creditoris, de quo diximus, cui creditor gratis mutuauit, aut donauit pecunias, ex quibus debitor laborando & negotiando fit potens ad ſoluendum, potuit nihilominus ea ſimiliter eſſe ſecundum perfectam iuſtitiam: quia ſuppoſitâ primâ illâ gratiâ ipſe iam ſuis laboribus & actionibus ac paſſionibus tantundem & plus honoris Deo retulit, quàm per peccatum fuerat ablatum.

Sed dices, Si v. g. Petrus cui debentur centum, donet debitori centum vt ſibi inde ſatisfaciat, & ita debitor ſoluat, non poterit dici, quod debitor ille ſatisfecerit Petro ſecundum iuſtitiam, ſed potius quod Petrus liberaliter remiſerit; ergo ſimiliter non videtur dicendum, quod Deo Patri ſatisfactum ſit ſecundum iuſtitiā pro reatu humani generis, ſed potius quod liberaliter omnino condonauerit offenſam.

78 Reſpōdetur Primò: quod ad Antecedēs attinet, poſſe illud negari: quia ſolutio debitoris ſubſequuta liberalem donationem Creditoris, in veritate & proprietate eſt actus iuſtitiæ; debitor enim de ſuo iam dat alteri tantum quantum deerat ad ponendam æqualitatem inter illos: licet homines moraliter res æſtimando in tali caſu non ſic ibi apprehendant rationem iuſtitiæ quæ ſequitur, ſed magis rationem gratiæ quæ proximè præceſſit. Et hinc

Reſpondeo Secundò: Neg. etiā Conſeq. & ratio eſt, quia aliud eſt dare alicui liberaliter illud idem in ſpecie quod ſibi debetur, eo fine vt hoc ipſum mox reddendo alter exſoluat debitum: Aliud verò eſt dare debitori tantùm quaſi ſemen aliquod aut quaſi inſtrumentum, cuius virtute & ſubſidio debitor ſuâ induſtria & labore ſibi cōparat vel præſtat illa, quibus creditori ſatisfaciat: nā licet quando priori modo cum Debitore agitur, tunc ſecundum moralem apprehenſionē & æſtimationem non omninò ſine ratione dici poſſit magis creditor remiſiſſe debitum, vt iam indicauimus, quàm accepiſſe ſatisfactionem: Non ſic tamen, quando agitur poſteriori

modo cum debitore; quia & verè, & iuxta moralem quoque æſtimationem dicetur debitor tunc ſecundum iuſtitiam ſatisfeciſſe creditori, ſi ex ſuis lucris vel ſuis laboribus creditori tantundem reddiderit, quantum ei debebatur, vt per exempla ſatis eſt mox declaratum num. 77. Hoc autem poſteriori modo ſecundum proportionem quandam ſe habet gratia humanitati Chriſti à Deo præſtita tum Vnionis, tum etiam habitualis: ſunt enim iſtæ gratiæ quaſi radix, virtus, & ſemen operum & paſſionum, quibus Chriſtus pro nobis ſatisfecit; & ſic longè diſpar eſt ratio inter caſum allegatum in obiectione, & inter Chriſti ſatisfactionem, quæ non conſiſtit formaliter in ipſa gratia habituali vel Vnionis, ſed in actionibus & paſſionibus Chriſti.

Neque obſtat quod & in operibus exercendis Deus concurrerit, & auxilium præſtiterit: quia eo non obſtante omnia Chriſti opera ſatisfactoria facta ſunt dependenter à libera humana voluntate eius, ab eaque liberè promanarunt, ratione cuius dependentiæ & promanationis liberæ, fuerunt ipſa ſub particulari & proprio dominio Chriſti hominis: quam dominij & proprietatis rationem, diximus ſuprà circa tertiam difficultatem omnino ſufficere, vt bona ſint ipſius ſatisfacientis, ſic vt per ea ſecundum perfectam iuſtitiam ſatisfacere poſſit pro iniuriâ alteri illatâ: quia in hoc ſatisfactionis genere potiſſimum attenditur, voluntaria & libera ſubmiſſio & humiliatio ſatisfacientis.

79 Ex dictis igitur patet, in Chriſti ſatisfactione obſeruatam eſſe perfectam & propriè dictam ſiue rigidam iuſtitiam. Si quis tamen vellet diſtinguere inter perfectam, & inter rigidam ſiue rigoroſam iuſtitiam, ſic vt eam ſolam vocaret rigidam, vbi ſatisfaciens in nullo per omnia eſt dependens à creditore ſiue à læſo, tunc dicendum erit reconciliationem humani generis non factam eſſe ſecundum eiuſmodi iuſtitiæ rigorem, vt ex dictis poteſt colligi, licet interim perfectæ iuſtitiæ ratio in Chriſti ſatisfactione ſit inuenta.

80 Addunt denique nonnulli alias adhuc conditiones tanquam ad perfectam iuſtitiam requiſitas, in quibus Chriſti ſatisfactio videtur defeciſſe: vt quod ſatisfactio debeat fieri potiſſimùm pro iniuria ab eadem perſona quæ debet, ſiue quæ offendit: item quod ſatisfactio debeat eſſe talis, vt creditor vel læſus teneatur illam admittere: denique quod debeat eſſe inter æquales. Sed

Quod ad primam ex iſtis attinet, hæc non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, quod læſus nolit admittere redemptionem aut ſatisfactionem alterius, & Iudex aliud non decernat: alioquin ſi læſus velit admittere, quia videt ſibi inde plus honoris acceſſurum, & ſibi amplius ſatisfactum iri, quàm vel ex ſatisfactione offendentis, vel ex eius condigna punitione, poterit tunc altera perſona ſatisfacere ſecundum iuſtitiæ æqualitatem quantum offenſa ipſa merebatur, & ſic in Chriſti ſatisfactione accidit.

Ad Secundam quod attinet, non requiritur etiam ad perfectam iuſtitiam, quòd creditor teneatur admittere ſolutionem aut ſatisfactionem nullâ factâ hypotheſi: ſed ſatis eſt, quod teneatur ex conuentione aut pacto illam admittere, modo in ratione valoris offeratur condigna debito. Quod ſimiliter in Chriſto locum habuiſſe, declaratum eſt ſuprà.

Tandem, quod iuſtitia debeat verſari inter æquales, abſolutè verũ non eſt: quamuis hic etiam fuerit æqualitas inter perſonam ſatisfacientem (tametſi ſatis facientem ſecundum inferiorem naturam) & Deum ipſum cui ſatisfiebat.

DVBIVM SEXTVM.

Vtrùm Chriſtus ſibi aliquid meruerit?

CONCLVSIO eſt affirmatiua & cõmunis Doctorum in Tertium diſt. 81
18. quam negat Caluinus lib. 2. Inſtitut. cap. 7. §. vlt. vbi contrà ſic opponit: Quid enim opus fuit deſcendere vnicum Dei Filium, vt ſibi acquireret aliquid noui? & conſilium ſuum exponens Deus omnem dubitationem eximit: non enim Filij vtilitati conſuluiſſe dicitur Pater in eius meritis, ſed eum tradidiſſe in mortem; neque ei pepercisse, quia mundum diligeret. Sic ille.

Reſpondetur Verum eſſe, Dei Filium non propter ſuum commodum, ſed propter nos aſſumpſiſſe humanam naturam: quia Incarnatio fuit humanitatis exaltatio, non diuinæ perſonæ, quæ inde nihil commodi accepit, ſed potius exinaniuit ſeipſũ ſerui formam induendo, & ſub eâ majeſtatem occultando. Similiter etiam verum eſt, Chriſti labores, paſſionem, & mortem propter nos ab eo ſuſcepta fuiſſe; non enim erant ipſi propter ſe neceſſaria; ſed poſtquam humanam & paſſibilem naturam, noſtri gratiâ aſſumpſiſſet, & corpus prout fini Incarnationis congruebat, induiſſet mortale, & nondum omni perfectione & gloria cõſummatum, potuit; imò & conueniens fuit, quod ipſe ſuis meritis corporis

Digitized by Google

corporis gloriam ſibi compararet: quandoquidem glorioſius ſit aliqua, non tantũ titulo filiationis, ſed etiam ſuis meritis adipiſci: niſi ſint talia, quorum priuatio etiam ad tempus, magis derogaret dignitati, & perfectioni, quam per titulum meriti poſſint accreſcere. Nec interim quoque ſint talia, vt eorum carentia ſit ad tempus neneceſſaria ratione muneris & finis perſonæ præſtituti. Neque per hoc minuitur in aliquo charitas Chriſti erga nos, quia ſimpliciter noſtri, non ſui cauſâ naturam paſſibilem aſſumpſit, & omnes labores & paſſiones ſuſtinuit: quandoquidem alio etiam titulo ipſi deberentur quæcunque ſibi promeruiſſe ponitur. Sed huius Concluſionis veritas magis conſtabit ex dicendis infrà: vbi in particulari explicabitur, quænam ſibi meruerit.

DVBIVM SEPTIMVM.

Vtrùm Chriſtus ſibi meruerit hypoſtaticam vnionem?

82 CONCLVSIO Prima: Anima Chriſti ſiue humanitas eius, non meruit; imò nec mereri potuit prædeſtinationem ſiue electionem ſui ad hypoſtaticam vnionem. Eſt communis & certa doctrina, loquendo de Incarnatione prout de facto peracta fuit, videlicet ſimul tempore cum animæ creatione, & humanitatis formatione ſiue compoſitione.

Probatur, quia cùm meritum ſit cauſa vel ratio præmij, neceſſe eſt quòd antecedat præmium, vel in re ipſa ſecundum exiſtentiam, vel ſaltem ſecũdum præſentiam obiectiuam in cognitione præmiantis, vt eius intuitu præmium conferat; atqui non potuit meritum in anima Chriſti antecedere prædeſtinationem ſeu electionem ipſius ad vnionem in re ipſa, vt per ſe notorium eſt: quia iſta electio ab æterno eſt; omne autem meritum cœpit eſſe in tempore ſecundum realem exiſtentiam: neque etiam antecedere potuit ſecundum præſcientiam præmiantis: quia præſcientiam talis meriti futuri antecedit voluntas dandi gratiam, quâ fiat tale meritum: quę gratia in anima, ſiue humana natura Chriſti, vel eſt ipſa gratia vnionis, vel manans ex vnione: vnde iſta voluntas dandi gratiam, vel eſt ipſa electio ad vnionẽ, vel ſupponit vnionem; ergò ipſa præcedit præſcientiam meritorum; non poſſunt igitur merita humanitatis Chriſti eſſe ratio electionis eius ad vnionem.

Obijcitur, Deus conditionatè præſcie-
83 bat merita animæ Chriſti futura ſi à perſona Verbi aſſumeretur, ante eius electionem ad hypoſtaticam vnionem; ergò videtur quod etiam iſta electio potuerit cadere ſub merita animæ Chriſti. Reſpondetur Neg. Conſ. quia iſta præſcientia conditionata cum non ponat merita tanquam pro aliquâ temporis differentiâ abſolutè exiſtentia, non ſufficit vt eius ratione dici poſſit electio illius humanitatis facta propter ipſius merita: quia ex quo meritum eſt moralis cauſa ipſius præmij, vt præmium dicatur illi deberi, aut eius gratiâ reddi, neceſſum eſt ipſum poni ſimpliciter in Eſſe ſaltem tanquam in aliqua parte temporis abſolutè & re ipſa exiſtens, & vt tale cognitum à præmiante.

CONCLVSIO Secunda: Anima Chri- 84
ſti ſiue eius humanitas non meruit quoque ſuam ipſam vnionem, ſiue executionem electionis ad vnionem.

Probatur Primò ex illo Dauidis, *Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut Filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſupra opera manuum tuarum,* &c. quibus verbis ſatis ſignificatur illud factum fuiſſe ſine merito hominis ſic exaltati. Quod verò illa verba de Chriſto intelligantur, ſatis ſignificat Apoſt. ad Heb. 2. vbi inter alia ſcribit, *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus* IESVM, *propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Quibus indicatur exaltationem illam primam humanitatis ante omne meritum fuiſſe; at verò gloriam & honorem, quæ poſt paſſionem obtinuit, ex merito fuiſſe cõſecutum.

Probatur Secundò ex D. Aug. de Prędeſt. Sanct. cap. 15. Eſt, inquit, præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe Mediator Dei & hominũ homo Chriſtus IESVS: qui vt hoc eſſet quibus tandem ſuis, vel operum fidei pręcedentibus meritis, natura humana quæ in illo eſt, comparauit: quaſi diceret, Omnino nullis. Vide eundem lib. de Corrept. & gratia cap. 11. Enchir. cap. 36. & lib. 13. de Trinit. cap. 17.

Probatur denique ratione: quia neque 85
meruit illam vnionem operibus ijs quæ tempore vel naturâ eam præceſſerint, neque ijs, quæ illam ſubſequuta fuerint; ergò ſimpliciter non meruit. Probatur Antecedens, non ijs quæ præceſſerint tempore: id enim fide tenendum eſt contra Photinum & Neſtorium eorumque aſſeclas; non etiam illis quæ præceſſerint naturâ tantum, quia ſubſiſtentia vtpote complementum rei in proprio eſſe ſubſtantiali, ſecundum naturæ ordinem antecedit operationem: prius naturâ igitur debet cogitari humanitas ſubſiſtere ſiue in proprio, ſiue in alieno ſuppoſito, quàm poſſit cogitari,

Google

cogitari, operari, & conſequenter, quàm mereri. Nec denique meruit operibus ſubſequentibus ipſam Incarnationem: quia cum meritum ad præmium comparetur ſicut via, ſiue vt medium ad finem, poſtulat ipſum naturâ ſuâ quòd antecedat præmiũ. Deinde maximè congruum fuit, vt ſupremum Dei opus, quod omnis meriti fundamentum eſt, non in merito, ſed in ſolâ Dei liberalitate & gratiâ fundaretur.

86 Quod de Chriſti anima ſiue humana eius natura diximus, id etiam de ipſo Chriſto dicendum eſt: videlicet, neque Chriſtum meritum fuiſſe prædeſtinationem Incarnationis, neque eam mereri potuiſſe; quia iſta merita, neque in duratione, neque in præſcientia potuerunt antecedere hanc prædeſtinationem, cùm ab ea proficiſcantur. Quòd autem fuerint præcognita vt poſſibilia, vel vt conditionatè futura, non ſufficit, vt ſint ratio volendi Incarnationem, niſi fortaſſis per modum finis, ſic quod fiat prædeſtinatio Chriſti vt exceantur & ſint merita; non autem fiat, quia ſunt aut videntur merita illius: nam ad hoc debent ſupponi abſolutè à parte rei, in aliqua ſaltem temporis differentia, quia cauſant moraliter per modum cauſæ efficientis.

87 Tertiò ſimiliter dicendum eſt, neque Chriſtum meritum de facto fuiſſe Incarnationis executionẽ, idq; propter rationes ad ſecundam Concluſionem allegatas, quę cum proportione poſſunt Chriſto applicari: & colligitur ex Scripturis, quæ hoc myſterium tribuunt ſingulari Dei dilectioni, miſericordiæ, & gratiæ: Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*: Lucæ 2. *Per viſcera miſericordiæ*, &c. *in quibus viſitauit nos, oriens in alto.*

88 Obijcitur Primò: Apocal. 5. dicitur Agnus qui occiſus eſt dignus accipere diuinitatem; ergò &c. Reſpondetur Agnum illic dici ob occiſionem, dignum accipere diuinitatem, ſcil. in manifeſtatione apud mundum, vt videlicet ab hominibus agnoſcatur, colatur, & adoretur, vt Deus.

89 Obijcitur Secundò, Pſalm. 44. de Chriſto ſcripitur, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus*, &c. ſed vnctio iſta facta fuit in Incarnatione; ergò &c. Reſpondetur, Voculam iſtam *Propterea* non deſignare cauſam meritoriam ſiue moralem efficientem, ſed finalem: & ita ſignificatur, quod ſit vnctus eo fine, vt diligeret iuſtitiam & odiſſet iniquitatem. D. Hieron. quidem epiſtola ad Principiam refert, quoſdam ſic exponentes illud *Propterea*, vt intelligatur ſignificari cauſa meritoria, quos etiam non refutat. Aſt verò intelligit vnctionem, non Incarnationis, ſed exaltationis quæ in reſurrectione Chriſto obuenit propter antecedentia merita.

90 Conclvsio Tertia: Non eſt tamen omninò improbabile, Chriſtum ſecundum abſolutam Dei potentiam mereri potuiſſe, vt Incarnatio re ipsâ fieret, ſiue ipſum mereri potuiſſe Incarnationis à Deo prædeſtinatæ executionem. Ita Suarez ſuprà ad quęſt. ſecundam diſp. 10. ſect. 4. cum alijs nonnullis.

Probatur Primò: Quia non oſtenditur in hoc euidens contradictio, vt ex dicendis magis patebit; ergò &c.

Probatur Secundò & declaratur ſimul: Quia inprimis in Chriſti operibus fuit valor ſufficiens ad eiuſmodi præmium, vt ex dictis dubio 4. conſtat. Deinde poſtquam Deus præordinauit Filium ſuum carnem aſſumere, poterat ordinare quod executio illius in tempore fieret, quodque omnino gratiosè & gratis, vel quod fieret intuitu ipſorum operum, quæ præuidebatur hic homo Chriſtus Iesvs in tempore operaturus: quemadmodum quando gratis & abſq; hominis meritis eligit aliquẽ ad gloriam, poteſt liberè conſtituere, vt ille ad gloriam ad quam eſt electus, non perueniat abſque meritis: præueniendo videlicet omnem Dei liberam ordinationem. Neque poteſt dici, hoc propterea fieri poſſe, quia hic opera pręcedunt ipſam glorię donationem, quæ in tempore fit: non autem iſtud fieri poſſe, quia merita Chriſti & tempore & naturâ ſequuntur executionẽ Incarnationis præordinatæ. Quamuis enim propterea alterum ſit magis conſentaneum rerum ordini & naturis (vnde etiam de facto ſic per merita ad gloriam electi perueniunt, non autem, vti diximus, Chriſtus de facto meruit Incarnationis executionem) tamen non arguit abſolutam impoſſibilitatem huius: quia potuit Deus ſic velle conferre huic humanitati gratiam vnionis ad quam pręd eſtinata erat, vt non abſolutè gratis in tempore donaret, ſed quaſi ſub conditione, & dependenter à futuris operibus, in eorum videlicet quę futura pręcognoſcebat, pręmium per modum anticipatę cuiuſdam ſolutionis. Quemadmodum ſi Rex tribuat militi arma & equum in ſtipendium futuri laboris & militię, quę in equo & armis miles pręſtabit: ad hoc enim non requiritur, quòd opus meritorium re ipſa antecedat tempore vel naturâ donationem talis ſtipendij aut præmij, ſed ſatis eſt, vt ipſum quod aliquando futurũ eſt, pręexiſtat in cognitione eius, qui bonum hoc per modum pręmij aut ſtipendij concedit.

91 Obijcitur Primò: ex dictis videtur

ſequi,

ſequi, quod idem ſit cauſa ſui ipſius: quia Incarnatio eſt cauſa meritorum Chriſti: merita autem dicuntur hic poſſe eſſe cauſa Incarnationis, & in ratione meriti per modum cauſæ moralis efficientis.

Reſpondetur tantummodo ſequi, quod Incarnatio vt præordinata ſit cauſa Incarnationis, vt in tempore executioni mandatur: quia merita Chriſti ſunt effectus Incarnationis vt prædeſtinatæ, in quantum conſiderantur, vt adhuc tantum præcognita; ipſa autem vt præcognita eſſent cauſa Incarnationis, vt actualiter ſit in tempore: in quibus nullum eſt incommodum.

92 Obijcitur Secundò: Repugnat Chriſtum ordinare ſua opera per modum meriti ad obtinendam Incarnationem, cum huiuſmodi ordinatio ſupponat Chriſtum incarnatum; ſed ad meritum videtur neceſſarium; vt qui meretur ordinet & referat actiónes ſuas ad præmium; ergo &c.

Reſpondetur, ad meritum non eſſe ſimpliciter neceſſariũ, quòd is qui mereri dicitur, referat actiones ſuas ad præmium tanquam adhuc percipiendum: nam Chriſtus ex communi ſententia omnium, meruit Patriarchis antiqui Teſtamenti gratiam, & tamen non retulit opera ſua ad eiuſmodi gratiam tanquam per præmij modum adhuc donandum. Vnde dicimus ſufficere, vt quis mereri dicatur aut meritus fuiſſe, quod vel referat opus ſuum ad prę̨mium obtinendum, vel referat ad ſatisfaciendum conditioni, ſub qua prę̨mium iam antea per modum anticipatę ſolutionis donatum fuit. Sic autem non repugnat Chriſtum referre opera ſua ad Incarnationem ſuam.

93 Obijcitur Tertiò: Si Chriſtus mereri potuit executionem hypoſtaticę vnionis prę̨ordinatæ; ergo poterit etiam homo mereri collationem primæ gratię; ſed hoc fieri non poteſt; ergò &c.

Reſpondetur, conueniens omnino fuiſſe, gratiam quę ſimpliciter prima eſt, & primum ſupernaturalium noſtrarum operationum fundamentum & principium, abſolutè gratis donari, vt per omnia nobis gratia ſit, & non dependenter à meritis ſequentibus: ideoque nec defacto poſſe ſub meritum cadere iuxta conuenientem rerum ordinem, & leges meriti à Deo conſtitutas: ex quo etiam fundamento diximus, Chriſtum defacto non eſſe meritum ſuam Incarnationem: negatur tamen non potuiſſe per abſolutam potentiam aliter fieri; potuiſſet enim Deus, ſi ita illi placitum fuiſſet, ordinare, vt primam gratiam quam homini prę̨parauit, conferret illi dependenter ab operibus futuris, puta ſub conditione operum quę prę̨ſcitur per gratiam facturus, vt per illa poſtmodum eam mereretur. Sed hic modus dandi gratiam & eam merendi eſt imperfectior, & minus rerum ordini congruus, vt dictum eſt, vnde neque à Deo inſtitutus aut obſeruatus.

DVBIVM OCTAVVM.

Vtrùm Chriſtus ſibi meruerit gratiam habitualem cum cæteris virtutibus infuſis, & gloriam animæ?

CONCLVSIO Prima: Non implicat 94
Chriſtum Dominũ ſibi gloriam animæ, & etiam gratiam habitualẽ promeruiſſe. Declaratur enim id dupliciter potuiſſe fieri. Primò, quia non implicat Chriſtum ab initio conceptionis ſuæ ad tempus caruiſſe gloriâ aut gratiâ habituali; atqui eo poſito, ex nullo tunc capite ſe oſtendit repugnantia in eo quod Chriſtus illa mereretur.

Confirmatur: quia perſona non potuit non eſſe grata, etiam abſque iſtis donis: ſimiliter & opera naturæ humanæ propter perſonæ dignitatem & grata, & ſufficientis valoris fuiſſent ad eiuſmodi præmia, vt ex ſuprà dictis conſtat: potuit etiam diuina promiſſio Chriſto fieri de illis donis concedendis ſub conditione operum; ergo &c. Vide dicta ſuprà qu. 7. art. 1. Neque obſtat, quod gratia habitualis dicatur cõmuniter principium omnis meriti: quia non eſt principium ſimpliciter neceſſarium, niſi in perſona, quæ per ſe non eſt ſufficienter Deo grata, quod in Chriſto Domino, vtpote Filio Dei naturali, locum non habet.

Quod verò attinet ad neceſſariam ele- 95
uationem naturalium potentiarum ad operandũ opera ſupernaturalia, potuiſſet ea fieri per auxilium ſupernaturale actuale. Verũ huiuſmodi carentia gratiæ & gloriæ, etiã ad modicũ tempus, nõ decuit Chriſtũ.

Alio quoque modo mereri ea potuit: 95
quia etiam ſuppoſito quod Chriſtus habuerit gratiam habitualem & gloriam à primo inſtanti creationis animæ eius, prout eum habuiſſe ſuprà docuimus, tamen ſecundum abſolutam potentiam adhuc potuit ea mereri.

Probatur: quia in genere loquendo, non eſt neceſſe, quod meritum tempore antecedat præmium, ſed ſufficit quod ſit naturâ prius: vt patet ex merito quo iuſtus meretur iuſtitiæ augmentum: datur namque hoc augmentum eodem tempore vel inſtanti, quo meritum peragitur. Nulla enim eſt ratio cur dicatur differri, quando-
quidem

Digitized by Google

quidem Deus meritum dum fit, acceptet, & potens ſit illi præmium eodem inſtanti reddere: ipſa quoque iuſtitia ſanctificans ſit tale præmium quod cum actu meritorio, neque ratione ſui eſſe, neque ratione ſtatus merentis habeat repugnantiam. Potuit igitur etiam Chriſtus primo inſtanti conceptionis ſuæ, actu aliquo naturâ priori mereri gratiam & gloriam, licet eas ſimul eodem inſtanti temporis acceperit.

Confirmatur: quia poteſt Chriſtus intelligi naturâ prius, antequam intelligatur habere gratiam habitualem & gloriam, ſufficienter eſſe diſpoſitus & inſtructus ad faciendum opus meritorium, v. g. quatenus intelligitur ſuppoſitum completum in natura humana exiſtens per ſe Deo gratum habens ſcientiam Dei, & auxilium ſupernaturale eleuans eius voluntatem; ergò &c. Neque obſtat quod gloria animæ non ſolet ſimul dari cum merito, quia inde non infertur abſoluta repugnantia, præſertim in Chriſto qui non ex fide, ſed ex alia Dei cognitione opera ſupernaturalia exercuit: deinde quia decuit illum à principio fuiſſe comprehenſorem, vt ſuprà fuit demonſtratum. Sed

97 Obijcitur: Implicat eandem gratiam eſſe ſimul perfectam & imperfectam, conſummatam & non conſummatam; atqui gratia quæ eſt principium merendi gloriam eſt imperfecta & gratia non conſummata; gratia verò quæ ſemper gloriæ eſt coniuncta, ſemper eſt perfecta; non potuit igitur in Chriſto ſimul eſſe meritum cum gloria.

Reſpondetur ad minorem, quod gratia, quæ eſt principium merendi in nobis, vocetur imperfecta & non conſummata: quia nos, quam diu ſumus in ſtatu merendi, non habemus illam conſummatam per gloriam, ſed tamen non eſſe de abſoluta neceſſitate gratiæ, quâ exercetur meritum, quod ipſa ſit hâc ratione imperfecta aut non conſummata. Nam extra controuerſiam eſt, quod habitualis Chriſti gratia nunquam à gloria fuerit ſeparata, & tamen fuerit principium meritorum Chriſti, quibus tam ſibi, quàm nobis meruit. Quare non fuerit neceſſarium dicere, gratiam Chriſti aliquando fuiſſe imperfectam aut non conſummatam conſummatione gloriæ, etiamſi ponatur ſecundum abſolutam potentiam potuiſſe mereri tum habitum gratiæ, tum gloriam: quia cum eius ſtatu merendi conſiſtebat gloria animæ.

98 Obijcitur Secundò: Impoſſibile videtur moueri ad terminum, & eſſe in termino; ſed mereri gloriam eſt moueri ad gloriam; ergò impoſſibile eſt, eſſe in gloria quæ eſt terminus, & illam mereri: quia hoc eſt ad illam moueri.

Reſpondetur, Aſſumptum verum non eſſe, ſi intelligatur vniuerſaliter de motu vt etiam comprehendit actiones inſtantaneas: quia cum his ſimul tempore, ſiue duratione exiſtit terminus earum; meritum autem Chriſti potuit eſſe in inſtanti: vt docet D. Thomas infrà qu. 34. art. 3. vnde & terminus eius ſiue præmium potuit eodem inſtanti ſimul eſſe.

Quare dum D. Thomas hic art. 3. in Corpore dicit: Quia cum meritum non ſit, niſi eius quod nondum habetur, oportet quod Chriſtus aliquando iſtis, (videlicet gratia & gloria) caruiſſet, non eſt exiſtimandus docere, ſecundum abſolutam Dei potentiam non potuiſſe conſiſtere meritũ gratiæ & gloriæ, cũ hoc quòd nullo tamen inſtanti temporis iſtis caruiſſet: ſed ſecundum ordinariam Dei legem & agendi eius modum, ita rem debuiſſe ſe habere, ſi poneretur ea meritus fuiſſe. Non enim diſputare hic intendit D. Thomas quid fieri abſolutè potuiſſet, ſed quid factum ſit.

Conclvsio Secunda: Chriſtus 99
defacto habuit gratiam habitualem, & gloriam, & cæteras animæ virtutes, non ex ſuis meritis. Ita D. Thomas hic art. 3. Magiſter & plerique alij Doctores in Tertium diſt. 18. Bonauent. ibidem art. 3. qu. 1. Richardus ſimiliter art. 2. qu. 1. Paludanus qu. 2. Durandus qu. 3. Scotus & Gabriel qu. vnica.

Probatur, quia iſti habitus, tanquam proprietates quædam modo connaturali, conſequuntur ipſam vnionem hypoſtaticam, vt videlicet anima tum in ſe, tum in ſuis potentijs perficiatur, tam in ordine ad eſſe ſupernaturale quaſi formale, quàm etiam in ordine ad exercendas operationes ſupernaturales: ita vt non conuenienter intelligatur ordine naturę intercedere, ſiue antecedere operatio aliqua ab anima egrediens, quâ habitus illos ſibi acquirat; ergò non debent poni animę Chriſti conceſſi, quia ipſe naturâ prius illos fuerit meritus per aliquẽ actum naturâ antecedentem ipſorum infuſionem; ſed potius debent intelligi tanquam proximè infuſi iure connaturalis proportionis debitæ, ſecundum quam debebantur animæ vnitæ hypoſtaticè perſonę diuinę, vt ipſa dignè eſſet intrinſecus ornata pro exigentia perſonæ, & vt illis mediantibus exerceret 100
modo perfectiori opera ſupernaturalia.

Confirmatur: quia debet anima Chriſti intelligi ſemper operata fuiſſe modo perfectiſſimo, quantum ordinarius curſus, & ordo rerum permittunt & exigunt; atqui modus ille operandi imperfectus eſt,

quan-

quando operatio procedit à principio nõdum intrinſecè & habitualiter completo & perfecto, ſed tantummodò quaſi extrinſecè eleuato & ſuppleto; atqui hoc modo intelligeretur anima Chriſti feciſſe opus meritorium, quo habitus illos ſupernaturales fuiſſet promerita: vt ex dictis circa primam Concluſionem poteſt colligi; ergo potius dicendum eſt, quod abſque merito pretio, & iuxta connaturalẽ ordinem acceperit dictos habitus tanquam debitos naturæ aſſumptæ à Verbo in vnitatem perſonę. Accedit ratio D. Th. quia ſecundũ legem Dei ordinariam, ſequitur pręmium eſſentiale non tantùm naturâ, ſed etiam duratione ipſum meritum: Quãdoquidem ergo Chriſtus à primo inſtanti creationis animę habuerit eſſentialem beatitudinem, non eſt quare præter ordinarium modum dicatur, meritis ſuis eam ſibi comparaſſe.

101 Sed obijcitur Primò: Perfectius & nobilius eſt habere aliquid per proprium meritum, quàm ſine ſuo merito: vt hîc art. 3. habet D. Th. in Corp. quandoquidem igitur ſimul poſſint ſtare, quòd Chriſtus meruerit gratiam & gloriam, & nihilominus iiſdem nunquam caruerit, vt modo dictum fuit: conſequenter videtur omnino dicendum, quod de facto ea obtinuerit ſuis meritis.

Confirmatur: quia D. Th. non aliâ de causâ videtur docere Chriſtum non ſibi illa meruiſſe, quàm quia ſupponit, ſi meruiſſe dicatur, quòd tum aliquo tempore iſtis caruerit: quod plus imperfectionis adfert, quàm perfectionis addat ratio meriti; ergò &c.

102 Reſpondetur: Perfectius eſſe aliquid habere ex proprio merito, quàm ſine merito, niſi aliunde occurrat inconueniens: Quamuis autem ſecundum abſolutam potentiam poſſit fieri præter ordinariam legem, quòd Chriſtus eſſet meritus gratiam & gloriam, & nullo tamen inſtanti temporis, iiſdem caruiſſet; nihilominus alia tunc occurrunt incommoda: vt quod anima eius operaretur, & potentiæ eius elicerẽt actus ſupernaturales naturâ prius, quàm formaliter & habitualiter in ratione eſſe ſupernaturalis eſſent eleuatæ & perfectæ ad eiuſmodi actus exercẽdos: quod eſt modo imperfecto, & præter conuenientem rerũ ordinem operari: Vnde hoc minus Chriſtum decuit, vti diximus. Rurſum ſequeretur, quod ſcientiâ abſtractiuâ & imperfectâ cognouiſſet naturâ priùs Deum, quã ſcientiâ claræ viſionis: cum tamen ad magnam Chriſti perfectionem videatur pertinere, quòd primus eius intuitus ad diuinam eſſentiam, fuerit ad eam terminatus vt eſt in ſeipſa: potiſſimùm, cum Chriſtus non ſit intelligendus proficere in cognitione ab imperfecto ad perfectum, ne quidem ordine naturæ, ſed potius exiſtimandus ſit ab optimo & perfectiſſimo actu, tanquam ſibi maximè conſentaneo & connaturali ratione perſonæ, ſtatim inchoaſſe.

Accedit, quòd Chriſtus nihilominus etiam quodammodo meriti dignitatem in ordine ad iſta habuerit: quia exercuit poſtmodum opera eiuſmodi bonis ac præmijs proportionata ac digna.

Obijcitur Secundò: D. Thomas infrà queſt 34. art. 3. videtur docere, animam 103
Chriſti ſanctificatam fuiſſe per propriam diſpoſitionem, videlicet per motum liberi arbitrij: quod ſi autem motus ille liberi arbitrij habuerit rationem diſpoſitionis reſpectu ſanctificationis eius, cur non etiam habuerit rationem meriti reſpectu eiuſdem: potiſſimùm cum D. Th. ibidem doceat, motum illum liberi arbitrij in primo inſtanti fuiſſe meritorium.

Reſpondetur: D. Th. non docet loco cit. id quod aſſumitur: ſed docet ex propoſito Chriſtum in primo inſtanti ſuę conceptionis meruiſſe, videlicet tum nobis, tum etiam ſibi ea quæ poſtmodum fuit cõſecutus, vt corporis gloriam, & nominis exaltationẽ: prout colligitur ex reſpõſione ad Tertium: vt autẽ hanc doctrinam confirmet, dicit Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſe motum liberi arbitrij in Deum: quod ſic probat: quia perfectius eſt ſanctificari ſecundùm proprium actum, quàm ſine actu proprio. Vbi illa præpoſitio, *ſecundum*, non ſignificat tãtummodo habitudinem diſpoſitionis præuiæ ad ſanctitatem acquirendam, ſed generaliter habitudinem ſimul exiſtentiæ aut concomitantiæ. Quod patet ſatis ex eo, quia dicit ibidem, paruulos ſanctificari ſecundùm fidem parentum vel Eccleſiæ: Certum autem eſt, fidem parentum non habere ſe per modum diſpoſitionis ad ſanctitatem infantis: neque enim ſecundùm proportionem fidei parentum, accipit infans plus aut minus habitualis ſanctitatis, quando baptizatur.

Vult ergò hoc principaliter D. Thomas 104
Chriſtum Dominum eo inſtanti, quo ſanctificabatur anima eius, habuiſſe actualem motum liberi arbitrij ſimul in Deum, ipſique ſanctificationi proportionatum; quia hoc perfectius eſt, quàm ſine cognitione & motione affectus accipere ſanctitatem, ſicuti paruuli ſanctificantur. Quomodo autem iſte actus in particulari ſe habuerit ad ſanctificationem animæ Chriſti, non intendit ibi explicare: habuit verò ſe ad illam, ſicuti effectus commen-

commenſuratus ad magnitudinem & perfectionem cauſæ: quod aliquo modo indicat in reſpon. ad Secundum, vbi ſic ſcribit: Et hoc modo anima Chriſti in principio ſuæ creationis conſecuta eſt gratiam, quâ poſſet mereri. Vbi ſignificat gratiam fuiſſe cauſam primi actus meritorij, non autem meritum fuiſſe cauſam, aut diſpoſitionem ad ipſam gratiam: vnde & motus iſte liberi arbitrij non fuit actus, qui naturâ antecederet gratiam ſanctificãtem, ſed potius, qui naturâ ſequatur per modum liberi conſenſus, quo anima Chriſti quæ ſanctificabatur, diligeret ſuum ſanctificatorem, eique gratias ageret: qui actus, & ſi qui alij ſint ſimiles, non eſt diſpoſitio præparans, ſed eſt actus ornans & conſummans ſanctificationem: quemadmodum actus ſecundus perficit primum. Quam doctrinam D. Thomas clariùs inſinuat ſuprà qu. 9. art. 3. ad Secundum.

DVBIVM NONVM.

Vtrùm Chriſtus fuerit promeritus ſuos actus ſupernaturales, & actualia auxilia gratiæ?

105 CONCLVSIO Prima: Chriſtus Dominus non meruit actus ſupernaturales, in quibus eſſentialiter conſiſtebat beatitudo animæ illius, neque bona illa quæ ad beatitudinem ſunt neceſſaria. De actibus, in quibus beatitudo conſiſtit, ſatis ex dictis conſtat; de cæteris autem bonis quę ad illius conſummationem ſunt requiſita, eadem videtur eſſe ratio. Similiter neque meruit primum ſuum actum meritorium, neq; aliquid eorum quę ad illum prærequiruntur. Patet, quia hoc ipſo quo eſt primus actus meritorius, non ſupponit aliud meritum.

106 CONCLVSIO Secunda: Chriſtus meruit cęteros omnes actus ſupernaturales, quos poſt primum actum meritorium exercuit, quatenus ſunt dona Dei, ſiue quãtum ad ſupernaturalem concurſum, quem Deus ad illos exercendos exhibuit: & conſequẽter, ad omnia auxilia actualia gratię, omneſq; effectus ſupernaturalis prouidentię, ac beneficia humanitati ſuę collata.

Probatur breuiter: quia omnes huiuſmodi gratiæ ex ſe ſunt conuenientia obiecta, ſiue conueniẽtia præmia meriti, vtpote quę ſunt Dei dona ſupra rationẽ naturę: & primus Chriſti actus meritorius habuit omnes cõditiones meriti in ordine ad eiuſmodi bona promerenda, vt facile vnuſquiſque poteſt aduertere diſcurrendo per ſingulas, vt ſuprà ſunt explicatæ: Non apparet igitur ratio, quare negetur Chriſtus accepiſſe iſta ex ſuo merito. Neque obſtat, quod ratione hypoſtaticę vnionis eſſent animę eius debita: quia debitum iure connaturalis proportionis, vel titulo hæreditario, & debitum titulo meriti, abſolutè non repugnant.

Dixi in Concluſione, In quantum iſti 107
actus erant dona Dei: quia ſi conſiderentur pręcisè vt ab humanâ voluntate Chriſti erant dependentes, ſecundum hoc non videntur cecidiſſe ſub meritũ: nemo enim dicitur propriè mereri, quod ipſius & ab ipſo eſt, in quantum tale; atqui illi actus vt ſic, peculiariter erant Chriſti ſecundum humanam naturam & ab illa; ergò &c. Quod verò ad valorem operum Chriſti, quem ex vnione ad Verbum habuerunt, quemadmodum iſte non eſt peculiare donum Dei ſupernaturale ab ipſâ vnione hypoſtaticâ & operibus, ſic quoque non eſt dicendum, quod Chriſtus peculiariter valorem illum meruerit.

DVBIVM X.

Vtrùm Chriſtus meruerit ſibi corporis gloriam, ſuiq; nominis exaltationem?

CONCLVSIO Vnica: Chriſtus Do- 108
minus vtrumque ſibi promeruit. Eſt D. Thomę hîc art. 3. & communis DD. in Tertium diſt. 18. & ita certa, vt abſque temeritate negari non poſſit. Probatur ex Scripturis, ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur*, &c. vbi prępoſitio illa, *Propter*, non tantùm conſecutionẽ vnius poſt alterum, quam Caluinus ſolam hîc vult ſignificari, ſed etiam iuxta vim & proprietatem ſuam, ſignificat vnum eſſe alterius cauſam. Quod clarius indicat idem Apoſt. ad Heb. 2. *Videmus* IESVM, *propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum*. Vbi non dicit Apoſt. Poſt paſſionem mortis, quod conuenientiùs dixiſſet, ſi tantùm intendiſſet ſignificare vnius poſt aliud cõſecutionem: ſed dixit, *Propter paſſionem mortis*: vt ſignificaret, paſſionem eſſe cauſam illius coronationis: nulla autem hîc alia ratio cauſæ poteſt intercedere quàm meritoriæ: quod etiam inſinuat nomen coronationis, quod victoriam & præmium importat: Lucę 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam:* quaſi diceret, Nonne ſecundum Scripturas debuit per paſſionem ſibi parare viam ad gloriam, Ioannis 17. *Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod mihi dediſti vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum.* Quæ Chriſti oratio efficaciſſima fuit & meritoria. Vnde Diuus Auguſtinus Tract. 104. in

Ioannem ſic ſcribit, Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium. Similem orationem fecit Chriſtus Ioannis cap. 12. Huc etiam & pertinet illud Apoc. cap. 5. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, id eſt, diuinitatis ſuæ manifeſtationem: vt ſuprà explicuimus.

109 Idem docent Sancti Patres, & interpretes ad citata Apoſtoli loca: & Auguſtinus in Pſalm. 109. dicit Dauidem id ſignificaſſe iſtis verbis, *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput*, &c.

Probatur Secundò ratione; Quia hîc concurrunt omnes conditiones ad meritum requiſitæ: & perfectius eſt, quando alia non obſtant incommoda, habere aliquid ex ſuis meritis, quàm ſine meritis: potuit autem Chriſtus ea mereri nullo incommodo interueniente; ergo &c.

110 Ad corporis verò gloriam pertinent Chriſti reſurrectio, corporis glorioſi dotes, & ſolemnis aſcenſionis eius triumphus: ad Nominis autem exaltationem referenda ſunt in primis manifeſtatio & recognitio diuinitatis eius per vniuerſum mundum: item collatio regiæ & iudiciariæ poteſtatis eius in omnes homines, imò in vniuerſum orbem, ſaltem quoad poſſeſſionem eius cum vſu & exercitio: ſcribit enim Apoſtolus ad Rom. 14. *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur.*

Huc ad nominis exaltationem etiã referri poſſunt præclara illa teſtimonia dignitatis & maieſtatis eius quæ à Patre illi data legimus in Euangelio: quale fuit poſt Baptiſmum eius Matth. 3. & in Transfiguratione Matth. 18. Idem dicendum videtur de manifeſtatione eius factâ Magis, & de laudibus Angelorum in die Natiuitatis: quia licet hæc omnia propter vtilitatem noſtram facta ſint, ſicut & eius reſurrectio etiam, & aſcenſio, tamen ad exaltationem & gloriam nominis Chriſti ſimul pertinebant: quare illa tum nobis,

111 tum ſibi meruiſſe potuit.

Sed opponit hîc Caluinus: Quibus meritis aſſequi potuerit homo, vt Iudex eſſet mundi, Caput Angelorum, atque vt potiretur ſummo Dei imperio, atque in eo reſideret majeſtas illa, cuius milleſimam partem cunctæ Angelorum & hominum virtutes non poſſunt attingere?

Reſpondetur: Dum Caluinus in his ſe turbari ſimulat ob magnitudinem & præſtantiam titulorum & donorum, non ſatis attendit ad dignitatem & præſtantiam operum Chriſti, de quibus ſuprà egimus: imò maius fuit mereri expiationem peccatorum totius mundi, quàm mereri, vt cõſtitueretur iudex totius mundi. Quare, cùm hoc Scriptura Chriſto expreſse tribuat, non eſt cur tam admirabundè inquiratur de ſufficientiâ, magnitudine, & dignitate meritorum eius, quibus hæc alia, quæ minora ſunt, meruerit. 112

Notandum tamen eſt, loquendo de titulo ſupremi Regis & Domini, qui eſt proprius Dei, & per communicationem idiomatum homini tribuitur, veriſſimè dici Chriſtum non meruiſſe, vt ſummo Dei imperio potiretur, neque vt eſſet Caput hominum & Angelorum in ea qualitate ſiue auctoritate quâ Caput eſt eorum in quantum Deus: quia hos majeſtatis titulos non magis mereri potuit, quàm ipſam Incarnationem. Vnde locuti ſumus de Regiâ & iudiciariâ poteſtate Chriſto conceſſâ vt homini.

Circa quod vlterius obſeruandũ, Chriſtum quidem à principio conceptionis ſuæ habuiſſe quoq; dictam poteſtatem, quaſi in radice ac in verâ proprietate, & ſic eam non meruit: quo pacto etiam habuit dignitatem Capitis, quam ſimiliter ſic non meruit: & ideo diximus, eũ meruiſſe collationem illius poteſtatis quoad poſſeſſionem cum vſu & exercitio, eiuſque manifeſtationem & recognitionem apud homines.

DVBIVM XI.

An Chriſtus nobis meruerit peccatorum remiſſionem & primam gratiam ſanctificantem?

CONCLVSIO eſt affirmatiua pro vtraque parte: & certa de Fide. 113

Probatur Primò ex Scripturis: ad Coloſ. 2. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta*: 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*: 1. Ioannis cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*: Apocalip. cap. 1. dicitur lauiſſe nos in ſanguine ſuo: ad Rom. cap. 5. *Ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi*. Vide plura eodem cap. huc pertinentia: vbi Apoſtolus etiam ſignificat omne peccatum omnino, tum originale, tum actuale ſiue perſonale per Chriſtum tolli: ad Titum cap. 2. *Vt nos redimeret ab omni iniquitate*: 1. Ioannis cap. 1. *Sanguis* IESV, &c. *emundat nos ab omni peccato*: ad Epheſ. cap. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* Neq; tantùm meruit peccatorum remiſſionem ijs qui noui Teſtamenti tempore fuerunt,

ſed & illis, qui natiuitatem eius præceſſerunt: ſcribit enim Apoſtolus ad Heb. cap. 9. *Et ideo noui Teſtamenti Mediator eſt: vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant:* & ad Rom. 3. docet, omnes peccaſſe, & egere gloriâ Dei: ac iuſtificari gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto IESV. Vbi tam ad præcedentes, quam præſentes, & ſequentes reſpicit: non enim aliud nomen datum eſt hominibus ſub cælo in quo ſalui fiant. Propterea etiam Apoc. cap. 10. dicitur Agnus occiſus ab origine mundi, quia quotquot ab origine mundi, peccatorum remiſſionem, & iuſtitiam conſecuti ſunt, virtute ſanguinis huius Agni, ſecundum fidem conſecuti ſunt.

114 Eadem eſt conſtans doctrina omnium SS. Patrum: & ex propoſito traditur in Conc. Mileuitano, & Arauſicano 2. ferè per tota: & nouiſſimè definita eſt per Conc. Trid Seſſ. 6. cap. 7. Huius iuſtificationis cauſæ ſunt, inquit, finalis quidem gloria Dei, &c. meritoria autem dilectiſſimus Vnigenitus ſuus, Dominus noſter IESVS Chriſtus.

Probatur Secundò: Quia Chriſti opera & paſſiones fuerunt ſufficientis valoris & pretij ad peccata omnia ad æqualitatem compenſanda in ratione ſatisfactionis, & ad nobis vitam iuſtitiæ promerendam in ratione meriti, & acceſſit Patris promiſſio ac conuentio: vt patet ex dictis ſuprà dubio 1. huius quæſtionis; ergò &c.

115 Sed duæ hîc occurrunt difficultates.

Prior eſt, Si Chriſtus nobis meruerit peccatorum remiſſionem & primam iuſtitiam, quomodo igitur Apoſtolus dicat, nos iuſtificatos gratis? quandoquidem ratione meriti Chriſti, nobis remiſſio peccatorum debeatur.

Poſterior eſt, Vtrùm Chriſtus dici debeat meruiſſe omnibus omninò hominibus peccatorum remiſſionē & gratiam ſanctificantem? Ratio dubitandi, vnâ ex parte eſt, quod Scripturæ generaliter loquantur: vt 1. Ioannis 2. *Non pro noſtris autem tantùm; ſed & pro totius mundi,* & 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi:* Ex alterâ verò parte occurrit, quod manifeſtè conſtet, non omnes aſſequi peccatorum remiſſionem, & iuſtitiā: vnde videretur Deus non reddere, quod Chriſti meritis ex iuſtitia debetur; atque ita iniuſtus eſſe, ſi Chriſtus omnibus omnino hominibus peccatorum veniam meruerit.

116 Ad priorem difficultatem Reſpōdetur, Primam iuſtificationem dici fieri gratis reſpectu noſtri ſcilicet, id eſt, ſine noſtro merito de condigno, & hoc ſenſu Apoſtolum dixiſſe nos iuſtificatos gratis: vt ſatis indicat Conc. Trid. Seſſ. citata cap. 8. Nihil, inquit, eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Hinc & illud Aug. de Prædeſt. SS. cap. 15. vbi dicit, tam gratis iuſtificari hominem, quàm gratis Deus factus eſt homo, non ſimpliciter omninò, ſed reſpectiuè intelligendum eſt: vt ſenſus ſit: tam ex nullo merito peccatoris, illi infundi iuſtitiam, quàm ex nullo Chriſti merito, eius humanitati collata fuit gratia vnionis hypoſtaticæ.

Dixi, Sine noſtro merito de condigno: quo ſenſu etiam Conc. Trid. intelligendum eſt: nam loquendo de merito de congruo, locum habet illud Aug. epiſt. 105. Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat.

Sed replicabit aliquis: Apoſtolus ad 117
Rom. 4. dicit, Chriſtum traditum propter delicta noſtra: reſurrexiſſe autem propter noſtram iuſtificationem; atqui per reſurrectionem ſuam non meruit; ergo non eſt nobis meritus iuſtitiam.

Reſpondeo Primò: Eandem eſſe rationem remiſſionis delictorum (loquendo de illis quæ iuſtitiam excludunt, vt originale, & mortale) & ipſius iuſtificationis: quia remiſſio eiuſmodi delictorum non fit, niſi per gratiam iuſtificationis, cuius ipſa remiſſio eſt effectus formalis. Si igitur per mortem meruerit peccatorum remiſſionem, ſequitur etiam illum meruiſſe cauſam eius formalem, ſcilicet iuſtitiam: ſicuti qui cauſa eſt expulſionis tenebrarum, eſt cauſa luminis, quo formaliter expelluntur.

Reſpondeo Secundò: Apoſtolum dicere reſurrexiſſe Chriſtum propter noſtram iuſtificationem, id eſt, vt reſurrectio eius eſſet exemplar noſtræ iuſtificationis eo ſenſu, quo dicit cap. 6. eiuſdem epiſt. *Vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* vel vt alij volunt, dicitur reſurrexiſſe Chriſtus propter noſtram iuſtificationem, quia eius reſurrectio vtilis fuit, imò quodammodo neceſſaria, vt homines in illum tanquam mediatorem & redemptorem humani generis, crederent, & ſic per ipſum iuſtificarentur. Quis enim in crucifixum tanquàm Deum & Saluatorem mundi, crederet, ſi non fuiſſet inter mortuos liber, & à mortuis reſurrexiſſet? Cum quo tamen bene conſiſtit, quod paſſione & morte ſuâ nobis iuſtificationem meruit.

Ad poſteriorem difficultatem Reſpon- 118
deo & dico Primo: Certum omnino eſſe, quod Chriſtus Dominus exhibuerit Deo

pro no-

Digitized by Google

pro nobis ſatisfactionem, quæ fuit ſufficiens abſolutè ad compenſanda omnia cunctorum hominum peccata, & præſtiterit opera, quæ ſufficientis erant valoris & pretij in ratione meriti ad promerendam omnibus hominibus omnium peccatorum veniam, & gratiæ ſiue iuſtitiæ recuperationem.

Patet hoc ex dictis ſuprà Dub. 4. de infinitudine ſatisfactionis & meritorum Chriſti. Et conuincunt etiam id ad minus Scripturæ allegatæ, quæ generaliter dicunt, Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi, & eſſe Saluatorem omnium: vt 1. ad Timoth. 4. *Licet maximè Fidelium*, vt ibidem additur.

119 Dico Secundò: Chriſtus quoque ſatisfactionem & merita ſua Deo Patri pro omnibus hominibus obtulit, quatenus intuitu ſatisfactionis & meritorum eius remitteret peccata, & iuſtitiam infunderet omnibus iuxta rationem diuinę ordinationis & pręſcripti: ſi videlicet, ipſi circa ſe aut in ſe, vel alij circa illos exercerent ea, aut applicarent, quæ Deus requirit & inſtituit tanquam media quædam, per quæ Chriſti ſatisfactio & meritum applicareotur hominibus ad peccatorum veniam & ſalutem. Vnde etiam fit, quod nullus omninò iſtis beneficijs fruſtretur qui ea præſtat, aut cui iſta adhibentur, quæ ex diuina ordinatione prærequiruntur. Neque enim Deus Chriſto promiſit, neque Chriſtus hoc à Deo per merita ſua obtinere contendit, quod abſolutè omnes hoc ipſo, quo corporaliter concipiuntur aut generantur, mox iuſtificarentur: ſed quod illis peccatorum venia indulgeretur, qui vel per Baptiſmum regenerantur, vel per conuenientes diſpoſitiones ad gratiam illam, iuxta diuinum ordinationē, eſſent pręparati.

Ex quibus intelligitur, quomodo Chriſtus rectè & verè dicatur eſſe propitiatio pro peccatis totius mundi, & ſatisfeciſſe pro peccatis omnibus; & nihilominus non fiat illi iniuria, neque meritis eius per hoc, quod non omnes defacto remiſſionem peccatorum conſequantur. Vtrùm verò Chriſtus etiam meruerit nobis illa media, per quæ ad perfectam participationem ſatisfactionis eius, videlicet, ad ipſam peccatorum veniam, & iuſtitiam perueniatur, ac ipſam iſtorum mediorum applicationem, dicemus Dubio ſeq.

120 Conclvsio Secunda: Meruit Chriſtus etiam nobis gloriam, & vitam æternam, videlicet eodem modo quo peccatorum remiſſionem, & iuſtitiam. Eſt de Fide, & ſequitur ex Concl. pręc. Nam per gratiam efficimur filij & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, atque ita per illam ius acquirimus ad hęreditatem, & cęleſtem gloriam: vt docet Apoſt. ad Rom. 8. *Si filij, & hæredes*, &c. & ad Titum cap. 3. *Vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*, & ad Rom. 5. *Multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum* Iesvm *Chriſtum.* Vbi regnum Sanctorum in vita æterna Chriſto adſcribit; meruit ergo nobis gloriam. Vnde paruulis in gratia decedentibus datur gloria ex meritis Chriſti, eſtq; ijs ex iuſtitia debita, non ob merita propria, ſed ob merita Chriſti.

Confirmatur idem: quia Chriſtus Dominus ſuâ morte aperuit nobis ianuam regni cęlorum, quę antea fuerat hominibus clauſa. De qua re latius tractat D. Thomas infrà qu. 52.

DVBIVM XII.

Vtrùm meruerit nobis Chriſtus diſpoſitiones ad primam gratiam ſanctificantem & Sacramentorum applicationem, per quæ ſolet iuſtitia infundi?

121 NEgatiuam partem tenuit Capreol. in Tertium diſt. 18. ob quaſdam D. Th. auctoritates: vt quia hâc quęſt. art. 4. ad Tertium, vt explicet quomodo ſalus noſtra ſit ex gratia, & non ex iuſtitia, poſito quod Chriſtus nobis meruerit ſalutē, recurrat eò: quod hoc ſit gratię, quod homini conceditur regenerari in Chriſto: vnde videtur quod D. Thom. exiſtimet, ipſum regenerari non eſſe adſcribendum meritis Chriſti; quibus tamē adſcribitur gratię infuſio, quę in ipſa regeneratione fit: & rurſum: quia q. 29. de Veritate ar. 7. ad Quartū dicit, quòd meritum Chriſti non ęqualiter omnibus quoad efficaciam applicatur, partim eſſe ex libero arbitrio, partim ex diuina electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus Chriſti confertur, & alijs iuſto iudicio ſubtrahitur. Quibus verbis totam rationem efficacię & applicationis meritorum Chriſti videtur referre in ſolam diuinam miſericordiam, & nullo modo in merita ipſius Chriſti. Eandem opinionem ſecuti ſunt Driedo de capt. & redempt. generis hum. Tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. & Ruardus art. 6. contra Lutherum circa medium. Accedit etiam pro parte Ferrarien. lib. 4. contra Gentes cap. 55. Volunt autem iſti diſpoſitiones, & Sacramentorū v. g. Baptiſmi ad paruulum applicationem, eſſe quidē gratuita dona Dei miſerentis, & ſuâ bonitate hęc pręparantis illis, quibus per Chriſti meritum, iuſtitiam conferre decreuerit: ſed non eſſe præmia ex Chriſti merito nobis donata: quemadmodum & ipſe Chriſtus ex miſericordia & dilectione Patris

quâ mundum dilexit, nobis donatus eſt, idque non ex eius meritis: ita vt iuxta illos tum demum Chriſti ſatisfactio & pretium per ipſum oblatum pro nobis, incipiat nobis ſubuenire, quando defacto peccata nobis remittuntur, & iuſtitia reſtituitur.

122 Huius opinionis duplex poteſt eſſe fundamentum: vnum, quia alioquin iuſtificatio noſtra fieret omnino ex iuſtitia, & nullo modo ex gratia, ſaltem reſpectu Chriſti: quod Capreolus ob primam auctoritatem D. Thomæ allegatam videtur exiſtimare tanquam inconueniens: & poteſt videri eſſe contra doctrinam Apoſtoli diuerſis locis, præſertim in Epiſt. ad Rom. vbi docet, Nos gratis iuſtificari, & quia gratia iam non eſſet gratia, ſed iuſtitia & merces.

Alterum fundamentum & pręcipuū eſt, quia quod huic potius quàm illi applicetur Chriſti meritum efficaciter ad ſalutem, non videtur eſſe ex Chriſti merito, ſed ex ſola diuina electione & miſericordia, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. cap. 1. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſiliū voluntatis ſua*, & ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagines Filij ſui, &c. hos & vocauit.* & ad Heb. cap. vlt. *Deus autem pacis, &c. aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, &c. faciens in vobis quod placeat coram ſe per* Iesvm *Chriſtum.* Vbi Apoſtolus applicationem & diſpoſitionem videtur referre in beneplacitum Dei; effectum autem in Chriſtum.

123 His tamen non obſtantibus, doctrina illa nullo modo admittenda eſt: ſed tanquam Scripturis, & Sanctis Patribus, ac communi ſenſui Eccleſiæ non ſatis conſentanea, reijcienda eſt. Pro materiæ explicatione autem ſit

Conclvsio Prima: Chriſtus non meruit nobis illam bonam Dei voluntatem quaſi generalem, quâ præuiſo lapſu humani generis, voluit illud reſtaurare & ad ſalutem, redeundi media præparare. Hanc Concluſionem cum prædictis Doctoribus tenent neceſſariò omnes illi, qui docent Filium Dei non aſſumpturum fuiſſe carnem, ſi Adam non peccaſſet, quod ſuprà quæſt. 1. ex Diui Thomæ & antiquorum Scholaſticorum ſententia tanquam probabilius, & Scripturis ac Cōcilijs magis conformè ſtatuimus. Hoc pręſuppoſito

124 Probatur: Ratio enim quare Deus voluit Filium aſſumere carnem, fuit quia volebat reſtaurare hominem lapſum, ipſumque à peccatis liberari ac redimi; vnde voluntas reſtaurandi hominem, ratione prior eſt voluntate Incarnationis Filij; ergò voluntas iſta non poteſt eſſe propter merita Chriſti præcognita: quia merita & ipſa Incarnatio illo inſtanti rationis, quo intelligimus Deum voluiſſe reſtaurare hominem lapſum, nondum erant pręcognita vt abſolutè futura; ergò non fuerunt illius voluntatis ratio motiua: ſed contrà potius voluntas ſaluandi hominem fuit ratio volendi Incarnationem, & Chriſti merita.

Quod probatur ex Scripturis Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ad Rom. 8. *Qui & proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Similia habentur ad Epheſ. cap. 2. Quibus locis Scriptura voluntatē illam bonam Dei Patris reſtaurandi genus humanum per Incarnationem Filij ſui, tribuit ſoli charitati & miſericordiæ diuinæ; non eſt igitur iſta voluntas adſcribenda meritis Chriſti, quaſi Chriſtus nobis meruiſſet, quod Deus præcognito lapſu Adæ vellet genus noſtrum reſtaurare. Vnde D. Auguſtinus Tract. 3. in Ioannem ſcribit: Non ita Chriſtus nos Patri reconciliauit, vt inciperet amare quos oderat, ſicuti reconciliatur inimicus inimico vt deinde ſint amici, & inuicem diligant, qui oderant inuicem: ſed iam nos diligenti reconciliati ſumus ei, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Ex mente igitur D. Aug. intelligitur Deus nos dilexiſſe, priuſquàm Chriſtus nos ei reconciliauerit; illa autem dilectio non eſt alia, niſi quâ nos lapſos in culpam, ex ſola ſua miſericordia voluit reparare: quâ in re, natura humana maiorem accepit à Deo gratiam, quàm Angelica: vt ibidem in fine declarat Auguſtinus docens, Id non poſſe niſi diuinæ gratiæ & liberalitati adſcribi. 125

Conclvsio Secunda: Omne tamen auxilium gratiæ præuenientis & adiuuantis, omniſque bona cogitatio & motio, quæ homini dantur aut immittuntur, vt ſe ad iuſtitiā diſponat à primâ vocatione, ſiue remotiſſimâ diſpoſitione vſque ad diſpoſitionē vltimam & proximā, ſunt effectus & præmia meritorum Chriſti, quæ Chriſtus nobis promeruit. Eſt contra DD. ante citatos. Colligitur autem ex D. Th. ſuprà qu. 7. art. 9. vbi docet, Chriſto datam eſſe gratiam tanquam principio vniuerſali in genere habentium gratiam, cuius virtus ſe extendit ad omnes gratiæ effectus, & operationes; bonæ autem inſpirationes & motiones ſanctæ in mentibus impiorum ſunt quidam effectus diuinæ gratiæ: & 126

quęſt. 8.

quæſt. 8. art. 3. ad Secundum docet, Fideles qui charitatem oon habent, percipere à Chriſto quendā actum vitæ, qui eſt credere; atqui credere eſt diſpoſitio quędam ad iuſtitiā; vult ergò D. Thomas etiam diſpoſitiones ad iuſtitiam nos habere ex meritis Chriſti. Rurſum citata qu. 29. de Veritate eodem art. ad Octauum dicit, Chriſti meritum ſufficienter operari tanquam cauſam vniuerſalem ſalutis humanę: ſed oportere cauſam illam ſingulis applicari per Sacramenta,& per fidem formatam, quæ per dilectiooem operatur: Et ideo, inquit, requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti: (videl. meriti huius applicatio per fidem & Sacramenta) cuius tamen meritū Chriſti, inquit, eſt cauſa. Idem apertè docet Barth. Medina in hunc locum qu. 6.. Vega lib. 4. in Conc. Trid. per totum, & lib. 15. cap. 9. & 10. Hoſius in Confeſſ. Fidei: Indicat quoque Scotus in Tertium diſt. 19. quęſt. vnica, & recentiores communiter omnes.

127 Probatur Primò ex Scripturis ad Eph. cap. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto*: ad quæ verba ſcribit Ambroſ. Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt: & ſi quis ſpreto Chriſto benedici ſe à Deo putat, errare ſe ſciat. Addit autem Paulus, *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus.* Vbi expreſsè etiam ipſam vocationem noſtram in Chriſto fieri ſignificat: vt notat D. Aug. de bono perſeuerantiæ cap. 9. Vnde immerito hæc verba pro oppoſita opinione allegantur. Idem clarius docet Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 1. *Nos liberauit, & vocauit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto* IESV: ad Philipp. cap. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Ex quo loco colligit D. Aug. Tract. 3. in Ioannem, etiam ipſum initium Fidei, & auxilium patientiæ dari propter Chriſti merita: & ſimiliter per hoc quod cap. 1. Ioannis dicitur, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, vult ſignificari nos non hanc vel illam gratiam tantùm: ſed ſimpliciter, quidquid boni accipimus quod ad ſalutem confert, ex plenitudine Chriſti nos accipere: ad Epheſ. cap. 2. dicit Apoſtolus quod ſumus nos *Creati in Chriſto* IESV *in operibus bonis.* Vbi totum negotium renouationis peccatoris, quia ex nullo eius pręiacente merito vel opere initium ſumit, vocat quandam creationem, quam totam Chriſti meritis tribuit: vt ibidem notat Chryſoſt. Ioannis 12. dicit Chriſtus, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*; igitur, etiam ipſa tractio, quâ homo ad fidem & iuſtitiam trahitur, merito exaltationis ſiue crucis Chriſtin, obis donatur: Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Quæ poſtrema verba interpretatur D. Hieron. in hunc ſenſum: Id eſt, quidquid Deus diſponit, illius (ſcilicet Chriſti) virtutibus implebitur: quæ Hieron. interpretatio obſeruanda eſt, quia multum conducit ad fundamentum contrarię opinionis diſſoluendum: vt infrà declarabitur.

Probatur Concluſio Secundò ex Con- 128
cilijs: Mileuitanum cap. 3. & 4. Arauſicanum Secundum, & Cæleſtinus Papa Epiſt. ad Epiſc. Galliæ docent, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad omnem bonum motum, ſiue vt credamus, ſiue vt Sacramentū Baptiſmi requiramus, ſiue vt Deum diligamus, vt in amore perſtemus. Vbi gratiam Dei non diſtinguunt à gratia quæ nobis per Chriſtum datur, ſed omnem gratiam Dei, quam docent nobis eſſe neceſſariam, clarè ſupponunt per Chriſtum dari: vt patet ex can. 21. Concil. 2. Arauſicani: vbi dicit, Si ex natura, iuſtitia eſt, iam gratis Chriſtus mortuus eſt. Quo ſatis declarat Concilium ſe intelligere illam gratiam, quam docebat neceſſariam ad iuſtitiam obtinendam, dari nobis per Chriſtum: Vnde addit: Ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum impleretur, qui dixit, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit ſe veniſſe vt quæreret, & ſaluaret quod perierat. Vbi inprimis notandum, quod venerit non tantùm vt ſaluet proximè, ſed etiam vt quærat: deinde, quod Concilium dicat, naturam noſtram per illum reparari: quia reparatio incipit à primo effectu, quo homo ad meliorem formam diſponitur, & non conſiſtit in ſolâ infuſione formæ perfectæ; ergò per Chriſtum datur nobis etiam primus effectus quo ad iuſtitiam vocamur aut diſponimur. Et cap. 16. habet idem Concilium, Aſcendens in altum, captiuā duxit captiuitatem: dedit dona hominibus: inde habet, inquit, quicunque habet, quiſquis autem ſe habere inde negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

Sed manifeſtius hanc doctrinam nobis tradit Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 5. vbi ſic habetur: Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per IESVM Chriſtum præueniente gratiâ ſumendum eſſe: hoc eſt, ab eius vocatione, &c. vbi planè videtur definire ipſam Dei primam vocationem ex Chriſti meritis fieri.

Probatur Tertiò: ex vſu orādi Eccleſię, 129

quæ omne beneficium gratiæ, etiam conuerſionis ad fidem aut ad iuſtitiam ſemper rogat ac petit per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum: habet igitur communis Eccleſiæ ſenſus, omnem abſolutè gratiam nobis à Deo propter Chriſti merita donari. Vnde & Auguſt. in Pſalm. 108. ſic ſcribit, Oratio quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.

130 Probatur denique ratione: quia Chriſti meritum fuit prius ante omne gratiæ auxiliū cuiuſcumq; rationis datū hominibus lapſis: in re ipſa quidē prius quoad illud omne quod datur hominibus poſt Chriſtum natum: in præſcientiâ verò Dei abſolutâ prius, quoad auxiliū, quod collatū fuit ante Chriſti natiuitatem; ergo potuit Deus ſic velle exequi hominum ſalutem, vt nulli impertiretur quodcumque gratiæ vel auxilij donum, niſi ex intuitu ſatisfactionis & meritorum Chriſti. Quandoquidem ergo hoc ipſum iuſtitiæ eius videatur magis conueniens, & faciat ad maiorem Chriſti dignitatem, imò ad perfectam redemptionis rationem videatur pertinere, vt omne liberationis noſtræ medium per eum habeamus, qui nos redimere dicitur, nulla poteſt eſſe ratio, quare id Chriſto Domino denegetur: Vnde fit

131 CONCLVSIO Tertia: Chriſtus meruit abſolutè omnibus, qui ad iuſtitiam perueniunt mediorum omnium applicationem, per quæ peccatorum remiſſionem & gratiam iuſtificantem conſequuntur. Sequitur ex dictis: & declaratur breuiter: quia mediorum applicatio partim conſiſtit in præparationibus & diſpoſitionibus operantis, vt in congrua vocatione, apprehenſione Fidei, in peccatorum deteſtatione; partim conſiſtit in Sacramentorum vſu, quæ ex opere operato gratiam conferūt: atqui inprimis diſpoſitiones omnes ipſius operantis tam remotæ quàm proximæ: v.g. vti prima vocatio, ſic & ipſa contritio, donantur nobis ex Chriſti meritis: vt patet ex dictis circa præc. Concluſ. & potiſſimum ex doctrina Concilij Trid. ſimiliter ex iiſdem meritis nobis communicatur voluntas requirendi Sacramenta, ac iiſdem fruendi facultas: quod ſatis conſtat Primò ex Conc. 2. Arauſicano can. 25. vbi ſic habetur, Hoc enim ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui ipſius inſpirat, vt & Baptiſmi gratiam requiramus, &c. Concilium autem ibi per totum Can. ſupponit, illam Dei miſericordiā nobis per Chriſtum impendi: vt ſuprà oſtendimus. Deinde, nulla eſt ratio cur præuiæ diſpoſitiones operantis ad gratiam percipiendam, dicantur potius per Chriſtum donari, quàm ipſe vſus Sacramenti quo gratia confertur: eſt namque vſus hic non minus Dei donum, quàm ad fidem vocatio, & alia media quibus homo ad iuſtitiam adducitur; imò Baptiſmus paruuli eſt veluti efficax quædam vocatio & adductio ad fidem & iuſtitiam: vnde etiam illa Dei prouidentia quâ fit vt priuſquam moriatur, baptizetur, & quod parentes, vel aliquis illorum loco, habeat voluntatem & curam, vt baptizetur, eſt ſpecialis Dei gratia præueniens; cur ergo non adſcribetur Chriſto ſicut omne gratiæ auxilium præueniens quod datur adulto?

Sed difficultas occurrit,

An poſſit dici Chriſtus meruiſſe omnibus hominibus applicationē ſuæ ſatisfactionis 132
& ſuorum meritorum: niſi enim & hanc omnibus meruerit, non videbitur poſſe dici pro omnibus ſatisfeciſſe, & omnibus meruiſſe ſalutem. Quid enim iuuat obtuliſſe ſufficiens pretium, ſi reus non obtinuerit facultatem eo fruendi, ſibique illud applicandi.

Reſpondeo & dico Primò: Chriſtus non meruit omnibus applicationem ſuæ ſatisfactionis & meritorum, vſq; ad actualem conſecutionem remiſſionis peccatorum & ſalutis; illam tamen eo vſque meruit omnibus electis.

Prior pars patet: quia non omnibus ità 133
applicantur Chriſti merita per media à Deo ordinata, vt actualiter & cum effectu obtineant peccatorum veniam & perueniant ad ſalutem; ergo non meruit omnibus iſtam ſuorum meritorum efficacem applicationem: quia alioquin Deus non redderet Chriſti meritis quod ex iuſtitia eis deberet.

Pars poſterior colligitur ex dictis: quia actualiter, & cum effectu fit electis applicatio meritorum Chriſti vſque ad ſalutis conſecutionē; ſed oſtenſum eſt, per Chriſtum applicari omnia media, per quæ ad iuſtitiam & ſalutem peruenitur. Deinde Scriptura manifeſtè declarat Chriſtum aliter craſſe pro illis quos Pater dederat ei ſaluandos, quoſq; Pater elegerat, quàm pro omnibus alijs: Ioannis 17. *Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*, &c. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi*, &c. *ſanctifica eos in veritate*: ac rurſum: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt, per verbum eorum in me*: ac tandem: *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum*;

mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi. Quæ Chriſti preces ac modus orandi planè ſignificant ipſum voluntate abſolutâ rogaſſe Patrem, vt ſua ſatisfactio & merita ſeruirent ad ſalutem cum reali effectu illis, quos Pater elegerat & Chriſto dederat: quo pacto non orauit pro omnibus alijs; de iſtis enim ſpecialiter loco citato dicit, *Et pro eis ego ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*, id eſt, me in hoſtiam & ſacrificium per mortem offero, vt virtute & efficaciâ ſacrificij huius conſequantur ſanctitatem & ſalutem in re ipſa. Quam orationem eo quod efficax ſit, notat Iuſtinus reſponſ. 23. ad quæſtiones Gentilium, non fuiſſe factam pro Iuda. Vide D. Thomam infrà qu. 21. art. 4. ad Secundum, vbi dicit, Chriſtum non oraſſe pro omnibus crucifixoribus, neque pro omnibus qui erant credituri in illum: ſed pro his ſolùm, qui erant prædeſtinati, vt per ipſum vitam conſequerentur æternam.

134 Dicò Secundò: Poteſt tamen Chriſtus dici meruiſſe omnibus applicationem ſuorum meritorum ſecundum quid in potentiâ quâdam, quatenus videlicet ad vſum omnium meruit Sacramentorum inſtitutionem, eorumque virtutem & efficaciam ſanctificandi omnes diſpoſitos, quibus ea applicarentur: à quorum perceptione diuina bonitas neminem quoque poſitiuâ voluntate voluit eſſe excluſum; imò quâdam voluntate antecedente cupit omnes eorum fieri participes, quemadmodum cupit omnes omnino homines ſaluos fieri. Quod ſecundum Proſperum in recapitul. 8. negari non debet: vbi ita ſcribit, Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum prædeſtinatorum numerum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei: & lib. de vocat. Gentium dicit, Apoſtolum per illa verba 1. ad Timoth. cap. 4. *Speramus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, confirmare bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem: Partem tamen quâdam humani generis ſpecialibus beneficijs ad ſalutem proueḣi: quorum enim placuit Deo ſpecialiter miſereri, eis voluit præparari peculiaria & efficacia beneficia & auxilia, quibus contra carnis & mundi illecebras, & ſæuitiam, & Dæmonis oppugnationes ipſi de facto præualerent, ad iuſtitiam peruenirent, & finaliter in charitate diſcederent. Et vt hæc beneficia eis concederentur, orauit Chriſtus, & meruit: & huius precum & meritorum intuitu iſta in executione Deus confert. Vide D. Aug. de correp. & gratia cap. 12.

Quoad cæteros verò dimiſit illos communi prouidentiæ, iuſtoiudicio ſuo: quâuis cognoſceret eos, vel non niſi admodum remotè habituros acceſſum ad actualem participationem redemptionis Chriſti, vel eos neglecturos propinquam, vel etiam iuſtitiam iterum derelicturos, licet aliquando ad tempus iuſtificati forent: noluit enim illis de certioribus medijs prouidere: *Non enim fecit taliter omni nationi*: vt dicitur Pſal. 147. 135

Nihilominus, quia Chriſtus neminem voluit eſſe excluſum; imò voluntate quâdam inefficaci hoc deſiderauit, vt omnes ſuæ ſatisfactionis, quam pro omnibus offerebat, fierent participes, rectè hinc dicitur pro omnibus ſatisfeciſſe, & vniuerſalis omnium eſſe Redemptor.

Ad fundamenta verò quod attinet opinionis contrariæ ſuprà explicatæ 136

Reſpondetur, Ad auctoritatem quidem D. Thomæ: ſatis conſtare ex dictis, eum ſentire etiam diſpoſitiones præuias ad iuſtitiam, & Sacramentorum applicationem ac vſum per Chriſtum haberi. Quod igitur hîc art. 4. ad Tertium reſpondet, eſſe gratiæ, quòd concedatur homini regenerari, intelligendum eſt, eſſe gratiæ reſpectu ipſius hominis, cui id conceditur: non autem reſpectu Chriſti Domini, qui id meruit: niſi forſitan quis reſpiciat, quatenus ex gratia fuit quod Deus Pater cum Chriſto conuenerit, & ſub conditione meritorum eius promiſerit Chriſto eiuſmodi præmia: Quæſt. autem 29. de Veritate, actualem applicationem meritorum Chriſti refert in diuinam electionem: quia hæc eſt prima radix & origo huius actualis applicationis cum effectu ſalutis: ſed cum eo conſiſtit, quod nihilominus Chriſtus nobis eam meruerit: quia cùm cognoſceret diuinam voluntatem abſolutam quâ hos elegit efficaciter ad gloriam, ipſe quoque Chriſtus ſpecialiter pro illis orauit, & paſſionem ſuam pro ijs obtulit, vt diuina electio in illis conſequeretur effectum: quia vt ſuprà ex D. Hieron. diximus: quidquid Deus diſpoſuit (circa hominum videl. ſalutē) hoc Chriſti virtutibus adimpletur.

Ex quibus conſtat, ad primum argumentum quid dicendum ſit: videlicet, Homines iuſtificari gratis ſecundū Apoſtoli doctrinam, ſed reſpectiuè: quia ipſi de condigno iuſtificationem non merentur, neque ad eam ſe ſuis viribus ſolis poſſunt vel remotè diſponere aut præparare: non autem gratis reſpectu Chriſti qui cōdignum pretium & ſatisfactionem Deo Patri obtulit pro noſtrorum delictorum expiatione, & infuſione iuſtitiæ: neque in hac doctrina vllum occurrit inconueniens. 137

Ad Secun-

138 Ad Secundum dicendum eſt, Non eſſe quidem ex Chriſti meritis, quòd non electis non applicentur efficaciter eius merita: (hoc enim non eſt præmij, ſed potius iuſtitiæ, ſiue occulti Dei iudicij ac hominum malitiæ aut culpæ) eſſe tamen ex eius meritis, quod electis applicentur cum effectu ſalutis: v. g. quòd huic puero morituro applicetur Baptiſmus, quod illi adulto tantummodo attrito applicetur Sacramentum pœnitentiæ, & ſic de reliquis. Quod oſtendimus iam ſimul poſſe conſiſtere cum eo, quòd illud idem originaliter proueniat ex electione diuina.

139 Quod ad Scripturas allegatas attinet, illæ magis noſtræ ſententiæ fauent quàm oppoſitæ, ſi bene examinentur: vt ſuprà de teſtimonio allegato ex epiſt. ad Epheſ. oſtendimus. Similiter, quos præſciuit & prædeſtinauit, hos quidem & vocauit: ſed vocauit ex Chriſti meritis, quemadmodum & illos per Chriſti merita iuſtificauit, vt ibidem ſequitur: In teſtimonio autem allegato ex epiſt. ad Hebr. dicitur Deus aptare in omni bono iuxta beneplacitum ſuum, ſed additur, ipſum hoc facere per IESVM Chriſtum.

DVBIVM XIII.

Vtrùm Chriſtus meruerit nobis omnia gratiæ auxilia & ſpiritualia bona quæ poſt primam iuſtificationem conferuntur?

140 CONCLVSIO Prima: Omnes omninò effectus ſacramentales, ſiue ſint augmentum gratiæ aut gloriæ, ſiue ſpiritualis poteſtas, ſiue peccatorum venialium aut pœnæ temporalis remiſſio, ſiue auxilium aliquod actuale, quod tempori & loco ex Sacramentorum virtute conferatur: omnes, inquam, hos effectus meruit nobis Chriſtus Dominus. Patet, quia Sacramenta omnem vim ſuam habent ex Chriſti meritis: vt omnes docent, & non aliud ſunt, quam veluti canales & organa, per quæ Chriſti merita nobis applicantur. Vide Conc. Trid. Seſſ. 7. in proœmio.

141 CONCLVSIO Secunda: Omnia gratiæ auxilia quæ iuſtificatis conferuntur etiam citra virtutem Sacramentorum, donantur quoque ob Chriſti merita.

Probatur iiſdem Scripturæ, Conciliorum & SS. PP. teſtimonijs, quibus Dub. præc. confirmatæ ſunt 2. & 3. Concluſiones: quia pleraque generaliter loquuntur. Et declaratur, quia ex iſtis auxilijs quædā ſunt veluti connaturalia gratiæ ſanctificanti, & charitati, ad eum quaſi modum, quo concurſus generalis eſt connaturaliter debitus vnicuique facultati operatrici: & hæc auxilia intelliguntur cadere ſub idem meritum cum ipſis habitibus: quia donantur nobis iſti habitus, non ſolùm vt per illos ſimus boni & ſancti, ſed etiam vt per illos bene operemur; ergò qui nobis illos meruit, is quoque meruit concurſum neceſſarium ad ipſorum operationem: Alia verò ſunt auxilia extraordinaria & vberiora, quæ ſubinde conferuntur homini iuſto, præueniendo eius preces aut bona opera, videlicet ex ſolo beneplacito diuino: & nulla ſubeſt de his dubitandi ratio, quin Chriſtus ea nobis impetrauerit & meruerit. Et confirmari poteſt ex omnibus Dub. præc. ad ſecundam Concluſ. adductis: & potiſſimum ex illis, quæ ex Conc. Arauſicano 2. ſunt allegata: Aliquando autem conferuntur propter preces & alia pietatis opera, quibus iuſtus ampliora gratiæ auxilia meretur; & de his eadem videtur ratio, quæ de augmento gratiæ & gloriæ quod iuſtus meretur: an ex Chriſti meritis donetur, de quo mox dicemus.

CONCLVSIO Tertia: Chriſtus meruit iuſtificatis, qui in iuſtitia vſque ad finem vitæ perſeuerant, iſtam perſeuerantiam, & deceſſum in iuſtitia. 142

Probatur, Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te vt nõ deficiat fides tua*, Ioan. 17. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo*, &c. *Cũ eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo*: & infrà: *Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.* Vbi ſeruare à malo, non eſt impedire maleuolorum odia & perſecutiones, ſed auxilium præbere efficax, ne ſuccumbant, & ne vincantur, ſed omnia aduerſa & tentationes ex charitate ſuperent.

Probatur Secundò: Quia Conc. Trid. Seſſ. 6. can. 16. perſeuerantiam illam vocat, magnum donum, & de eodem dicit cap. 13. Quod quidem (videlicet perſeuerantiæ munus) aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit reſtituere: quare cum Chriſtus nobis minora dona meruerit, negandum non eſt, quod nobis hoc maximum donum meruerit.

Probatur Tertiò: Quia donum perſeuerantiæ conſiſtit in diuerſis gratiæ auxilijs, protectionibus, remotionibus occaſionum lapſus, ac in eiuſmodi totius electorum vitæ derectione, & gubernatione diuinā, cum quibus infallibiliter ipſi vſque in finē perſeuerent: atqui omnia illa auxilia, & totam illam ſingularis diuinæ prouidentiæ rationem, non tantùm ſingulas partes ſeorſim, ſed omnes vt ſimul connexas, & vt habentes infallibilem ordinem ad charitatem finalem, Chriſtus electis meruit,

Digitized by Google

meruit: ac peculiariter ad hunc effectum & finem efficaciter obtinendum, merita & paſſionem ſuam Deo Patri obtulit; ergò &c.

Confirmatur: Quia eo poſito manifeſtiùs conſtat, quod Chriſtus modo completiſſimo ſit auctor ſalutis electorum, eiuſdemque ſalutis cauſa meritoria.

143 CONCLVSIO Quarta: Chriſtus Dominus meruit nobis ipſos actus bonos, quibus nos meremur. Colligitur ex Scriptura Ioannis 15. vbi Chriſtus ſe comparat viti, & iuſtos palmitibus: ac ſubiungit: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis*, &c. *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Ad quæ verba reſpiciens Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 16. dicit, Quod Chriſtus IESVS tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat (haud dubiè ex meritis eius promanantem) quæ virtus, inquit, bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur: ad Epheſ. cap. 2. ſcribit Apoſt. quod in Chriſto IESV omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Similia plura habet eiuſdem epiſt. cap. 4. Ex quibus teſtimonijs planè efficitur, omnem actum perfectum & fructum bonum, ac conſequenter omne meritum noſtrum ex influxu Chriſti & meritorum eius prouenire. Quod tamen intellige ad eum ſenſum, quo diximus ſupra Dubio 9. Chriſtum ſibi promeruiſſe ſuos actus bonos, primo dumtaxat actu meritorio excepto, videl. in quantum actus iſti à Deo & Dei dona ſunt. Vide dicta ibid. n. 107.

144 CONCLVSIO Quinta: Augmentum gratiæ & gloriæ, quod iuſti merentur bonis ſuis operibus, hoc ipſum etiam meruit illis Chriſtus. Sed pro pleno intellectu huius Concluſionis

Nodandum eſt, quatuor modis ſiue conſiderationibus poſſe intelligi Chriſtum mereri nobis tale augmentum gratiæ & gloriæ.

Primò quidem, quia promeruit gratiam ſanctificantem & omnia alia auxilia, quibus iuſti excitati, confortati, ac eleuati exercent opera meritoria, & digna eiuſmodi præmijs.

Secundò: quia meruit bonis operibus iuſtorum, vt eſſent ſufficientis valoris, & ſufficienter proportionata ad eiuſmodi præmium, quaſi dignitatem & proportionem ex ſe non haberent.

Tertiò: quia meruit bonis operibus Iuſtorum, diuinam promiſſionem, quâ promiſit illis reddere gratiæ & gloriæ augmentum per modum mercedis ſiue præmij: quantumuis enim opera Iuſtorum in ſe eſſent digna & proportionata ad eiuſmodi mercedem, niſi tamen Deus promiſiſſet, & quaſi pactus eſſet de tali mercede illis reddenda, non foret ipſe obligatus eam reddere: potiſſimùm cum alijs multis titulis poſſit iſta opera à nobis exigere.

Quartò: quod Chriſtus illud ipſum augmentum gratiæ & gloriæ ſecundum ſe, nobis immediatè meruerit, ſic vt nobis & proximè propter Chriſti merita, & proximè propter noſtra opera debeatur.

Cæterùm Concluſio poſita veritatem habet ſecundum primum, tertium & quartum modum. 145

De primo patet, quia iam ſuprà ſatis declaratum eſt, ipſam primam iuſtitiam, & omnia gratiæ auxilia, tum quæ illam antecedunt, tum quæ commitantur & ſubſequuntur nobis ob Chriſti merita concedi; ergò meruit nobis Chriſtus hactenus ad minus augmentum gratiæ & gloriæ, quia nobis virtutem meruit ad illud promerendum. Sed iuxta hunc modum præcisè loquendo, diceretur tantummodo illud meruiſſe quaſi in radice.

Quod ad ſecundum modum attinet, nō 146 videtur dicendum, quod eo ſenſu Chriſtus nobis meruerit illud augmētum, quia opera bona Sanctorum ab ipſo habitu charitatis, & Spiritu Sancto illis inhabitante, vnde & proficiſcuntur, accipiunt ſufficientem valorem, dignitatem, & proportionem ad tale præmium, quandoquidem opera eiuſdem ſint ordinis ſupernaturalis cum gratia & gloria: quare non indigent valore extrinſecus accedente, vt reddantur commenſurata eiuſmodi bonis tanquam ſuis præmijs.

Sed probatur de tertio modo: Quia in- 147 primis promiſſio iſta fuit neceſſaria, vt opera noſtra bona haberent completam rationem meriti ad tale præmium: nam valor & condignitas abſque conuentione non obligant Deum ad præmium tale reddendum, vt dictum fuit: quod autem Deus huiuſmodi promiſſionem & conuentionem fecerit, magnum fuit beneficium & gratia hominibus præſtita: Non eſt igitur quare negetur talis promiſſio facta propter Chriſti merita.

Confirmatur ex illo Apoſt. 2. ad Tim. cap. 1. *Paulus Apoſtolus* IESV *Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto* IESV. Vbi promiſſio vitæ ſignificatur nobis facta in Chriſto, id eſt, ob Chriſti merita: & hâc ratione rectè dicitur, quod Chriſtus meruerit quod opera noſtra ſint meritoria, habeantque meriti rationem, quia eis promeruit præmij promiſſionem: non autem quod merita eius

dent

Digitized by Google

dent proximè valorem & condignitatem ad præmium, vt quidam non rectè explicant, quandoquidem hæc ſufficienter habeant à charitate, & à Spiritu Sancto inhabitante vnde procedunt.

148 Probatur denique quod etiam quarto modo (de quo maior poſſet eſſe dubitatio) Chriſtus meruerit nobis illud gratiæ & gloriæ augmentum, ex Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 16. Bene operantibus vſque in finem, inquit, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum IESVM miſericorditer promiſſa; & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddẽda. Quibus Conc. ſatis liquidè ſignificat, eandẽ vitam ſiue gloriam, quæ bene operantibus proponitur tanquam merces operibus ipſorum bonis reddenda, etiam ijſdem dandam eſſe titulo filiationis vtpote Filijs Dei promiſſam, idque per Chriſtum IESVM; ergò gratia & gloria quę nobis redduntur ex noſtris meritis, etiam dantur proximè propter merita Chriſti, quatenus nobis adoptionem & ius ad hæreditatem meruit: Ad quem ſenſum accommodat Hilarius illud Pſalm. 116. *Ecce hæreditas Domini, Filij, merces*, &c. dicens ipſam hæreditatem Sanctorum eſſe mercedem Filij, videlicet Chriſti. Vnde ad illam admittimur tanquam duobus titulis nobis debitam: quod nullam habet in ſe inconuenientiam: nam poteſt etiam filius apud patrem mereri bona, quæ aliàs iure hæreditario illi debentur: idq; plurimùm valet ad declarandum, quâ ratione merita noſtra nullo modo minuunt gratiam nobis à Deo per Chriſtum præſtitam, neque obſcurent, aut præiudicent dignitati & efficaciç meritorum Chriſti: quin potius ſint nouum argumentum maioris diuinæ beneuolentiæ erga homines, & maioris quoque excellentię ac efficacię meritorum Chriſti: nam idem quod meremur noſtris operibus, meruit nobis quoque Chriſtus, & quod opera noſtra habeant promiſſionem prçmij, ipſe meruit: & virtutem vnde procedunt, atque adeò ipſos actus bonos ipſe nobis meruit, vt dictum eſt: & commendatur magis Dei erga nos dignatio & gratia, quod nobis non tantùm ſalutem voluerit præſtare, ſed etiam nos admittere in conſortium ad eam promerendam, ipſumque Deum nobis obligandum, quod & honorificentius & ſalubrius nobis exiſtit: quia ſic ad ſtudioſè agendum magis prouocamur.

149 CONCLVSIO Sexta: Chriſtus meruit nobis remiſſionem peccatorum venialium, etiam illam quę fit extra Sacramentum per dolorem, & pia opera pœnitentis.

Probatur: quia Scripturæ generaliter adſcribunt Chriſto omnium peccatorum remiſſionem, 1. Ioannis cap. 1. *Sanguis IESV Chriſti, Filij eius, emundat nos ab omni peccato.* Vbi ſermonem etiam de peccatis venialibus eſſe, patet ex ſequẽtibus, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus*, &c. Rurſũ, Sancti dicuntur lauare & dealbare ſtolas ſuas in ſanguine Agni, Apoc. cap. 7. Et ratio eſt, quia Chriſtus Dominus eá intentione & fine obtulit Deo Patri paſſionem & mortem ſuam, vt propitius foret, & offenſam omnem remitteret omnibus illis, qui præſtarent ea quæ Deus ex parte ipſorum requirit. Neque obſtat, quod pœnitentia iuſtorum ſuper venialibus delictis, & opera ipſorum ſatisfactoria poſſint ſufficere ad illa compenſanda: quia poteſt Deus, & propter Chriſti merita & ſatisfactionem, & propter pœnitentiam operantis ea remittere. Deinde, Chriſtus meruit iuſtis gratiam ſanctificantem, & ius adoptionis Filiorum Dei, vnde facti ſunt grati & digni, vt ſi in minoribus delinquant, quòd idipſum, quando cum dolore hoc porrigunt, eis remittatur. Præterea ex Chriſti meritis habent virtutem omnem, quâ id corrigant.

CONCLVSIO Septima & vlt. Chri- 150
ſti meritis denique adſcribi etiam debet remiſſio pænæ temporalis, quæ fit per noſtra opera ſatisfactoria per modum redemptionis. Pro hac Concluſione facit inprimis, quòd etiam ad mundationem & purgationem hominis pertineat pænarum debitarum exolutio: vnde in purgatorio, vbi luuntur pænæ temporales reſtantes, dicuntur animæ purgari; atqui lotio, mundatio, dealbatio dicuntur in Scriptura fieri in ſanguine Agni. Deinde probatur ratione: quod enim ipſa pæna tota in ſpecie non exigatur, ſed permittatur redimi operibus charitatis, eſt diuinæ benignitatis & gratiæ; ergo Chriſtus id nobis meruit: quia quidquid beneficij & gratiæ homini poſt lapſum impendit Deus in ordine ad finem ſupernaturalẽ, id omne ex Chriſti meritis præſtare, fatendum eſt. Præterea remiſſio pęnę poteſt fieri proximè & propter Chriſti ſatisfactionem, & etiam propter ſatisfactionem noſtram, ſic vt mediante noſtrâ applicetur nobis ſatisfactio Chriſti.

Confirmatur ex Conc. Trid. Seſſ. 14. 151
cap. 8. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum IESVM: & paulo poſt: In quo (videlicet Chriſto) viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur

Patri,

Patri, & per illum acceptantur à Patre. Quod inprimis locum habet in iſtis ſatisfactionibus, quæ à pœnitentibus ex motione Spiritus Sancti adhuc ante ipſam iuſtificationem, fiunt, quatenus conducunt mediante Sacramento ad peccatorum & pœnarum remiſſionem. Deinde etiam in illis quę poſt iuſtificationem exercentur, modo & ratione iam explicatis.

152 Dixi in Concluſione, Quæ fit per noſtrà opera per modũ redemptionis: quia ſi reatus pœnæ non per modũ redemptionis remittitur propter noſtra opera, ſed per ipſius in ſpecie luitionem, aut ſaltẽ per cõdignam paſſionem vſque ad æqualitatem extinguitur, non videtur tunc iſta liberatio ab vlteriori obligatione ad pœnam, neceſſario ad Chriſti merita referri, niſi in radice: quandoquidem fiat obligationis exſtinctio per rigoroſam ſolutionem, ſeu potius per perpeſſionem ipſius pœnæ. vnde & ceſſatio pœnę quę fit in purgatorio poſt condignam ſatispaſſionem, & pœnarum in ſpecie luitionem, non fit proximè propter Chriſti merita, quandoquidẽ tantum pœnarum luatur, quantum debetur; ſecus eſt de remiſſione quæ ibidem fit per indulgentias, ſuffragia, & ſatisfactiones viuorum.

DVBIVM XIV.

Vtrùm Chriſtus meruerit electis ipſorum electionem ac prædeſtinationem?

153 NOtandum eſt, Duo in hac diuinâ electione importari: Vnum abſolutum, quod eſt eligere hunc efficace voluntate ad gloriam ante præuiſa opera bona: Alterum eſt reſpectiuum, & quaſi extrinſecum, videlicet non eodem modo efficaciter alium eligere ad gloriam.

154 Conclvsio Prima: Quod hos elegerit Deus ante præuiſa ipſorum opera voluntate efficace ad gloriam, potius, quàm illos, non fit ob Chriſti merita, ſed ex ſolo beneplacito diuinæ voluntatis.

Probatur: Quia Scriptura quando de hac electione agit, eam referre ſolet in conſilium & propoſitum diuinæ voluntatis: ſicuti ſemel atq; iterũ facit expreſſis verbis, cap. 1. ad Epheſ. Deinde Ioannis cap. 17. Vbi Chriſtus ſpecialiter orat pro electis, & dicit eos ſibi à Patre datos, videlicet ad ſaluandum, illos indicans Patris voluntatem eſſe cauſam diſcretionis, & electionis horum præ alijs, *Tui erant*, inquit, *& mihi eos dediſti*. In quæ verba ſic ſcribit Toletus, Diſcipuli dicuntur fuiſſe Dei & Patris, non ſolùm propter creationem (totus enim mundus tam boni quàm mali hâc ratione ipſius ſunt) ſed ipſius dicuntur per æternam electionem: quia illos ſibi delegerat.

155 Probatur Secundò ratione: Quia ſi dicatur Deus Pater elegiſſe hos præ illis propter Chriſti merita, tum oportebit dicere, quod Deus præuiderit Chriſtum humanâ voluntate plus diligere hos, quàm illos, eoque nomine inſtantius & abſolutius offerre merita ſua pro his, quàm pro illis: nam alioqin non intelligitur quomodo diuina voluntas ſe determinauerit ad diligendum hos potius efficaciter, quàm illos ex reſpectu ad meritaChriſti: Hoc autẽ inprimis reſpectu electorũ qui Chriſti natiuitatem anteceſſerunt, vix poteſt intelligi. Deinde cum hoc ſit grauiſſimum, & maximè ſublime & arcanum diuinæ prouidentiæ negotium, non videtur illud vltimate reſoluendum in humanam voluntatem Chriſti, ita videlicet, vt voluntas diuina abſoluta dicatur hîc ſequi voluntatem humanam Chriſti; ſed potius contra dici debet, humanam Chriſti voluntatem ſe conformare, & ſubſeruire voluntati diuinæ, ſic vt eligat quos nouerat diuinâ voluntate electos. Vnde Apoſtolus ad Rom. cap. 11. in fine, totum hoc myſterium referens in Dei beneplacitum, ſic exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi*, &c. Huc etiã referri poteſt illud Chriſti, Mat. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Neq; obſtat quod alibi Chriſtus dicatur elegiſſe Apoſtolos: nam vt intelligatur humanâ Chriſti voluntate factum, debet tamen intelligi, quatenus ipſe liberè conformauit ſuam voluntatem humanam voluntati diuinæ, & ſic eos elegit quos ſciebat ab æterno à Deo Patre electos.

Conclvsio Secunda: Iſta tamen Dei voluntas quâ prælegit prædeſtinatos conſiderata præciſè, vt eſt efficax ipſorum dilectio, habuit fundamentum & rationem in Chriſti meritis. 156

Probatur ex Script. ad Epheſ. cap. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Vbi aperte loquitur de actu efficaci diuinæ voluntatis, quo ante præuiſa electorum opera illos elegit, non quia futuri erant ſancti, ſed vt eſſent ſancti: vt circa hæc verba frequenter D. Auguſt. diuerſis locis, & cum illo pleriq; expoſitores põderarunt. Quod verò ſermo ſit de ipſa dilectione, ſeu efficaci voluntate dandi gloriã prędeſtinatis,

deſtinatis, conſtat ex ſubiunctis verbis, *Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate*: vnde & additur: *qui prædeſtinauit nos* &c. *per* IESVM *Chriſtum in ipſum.* quam totam expoſitionem indicauit ibidem Ambroſius, & clarius docuerunt Anſelmus & D. Thomas: & D. Auguſtinus de prædeſt. Sanct. cap. 17. & 18. & de corrcp. & gratia cap. 7.

157 Confirmatur: quia dum Paulus dicit nos eſſe electos in Chriſto, certum eſt, ipsũ loqui de hac electione, quatenus dilectio eſt, ſiue quatenus per illam efficaciter ordinatur prædeſtinatus ad ſummum bonum obtinendum: nam ſub ratione comparationis quâ hi præ illis diliguntur, & ſic eligi dicuntur in proprietate electionis, iam oſtendimus non poſſe, nec debere ſic in Chriſtum referri prædeſtinatorum electionem.

158 Quod verò apud Apoſtolum in illâ particula, *In ipſo* denotetur habitudo cauſæ meritoriæ, non autem cauſæ finalis (licet nunnulli ſic interpretati fuerunt) poteſt colligi primò ex diuerſo loquendi modo Diui Pauli: nam paulò infrà, quando agit de cauſa finali, & docet electos prædeſtinatos ad gloriam & honorem Chriſti, tunc dicit, *in ipſum*, non *in ipſo*: Deinde, quia mox ſubiungit eodem dicendi genere, *In quo habemus redemptionem.* Vbi euidenter ſignificatur habitudo cauſæ meritoriæ: ſicut & inferius *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus*: & rurſum: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Huc etiam facit illud 2. ad Timoth. cap. 1. *Nos liberauit, & vocauit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto* IESV *ante tempora ſæcularia.* Vbi dilectionem hanc, de quâ egimus, vocat diuinum propoſitum, & gratiam nobis in Chriſto ab æterno conceſſam: vt ibidem exponit D. Thomas.

Confirmatur ex Chryſoſt. homilia 1. in epiſt. ad Epheſ. Per quem nos benedixit, inquit, per eundem nos elegit. Quibus verbis indicat expoſitionem ſuprà datã illius particulæ *In Chriſto*, vt æquiualeat huic *Per Chriſtum* ſeu *propter Chriſti meritum.*

159 Sed contra obijcitur: Si Deus dilexit hos prædeſtinatos propter meritum Chriſti; ergò ante illam efficacem dilectionem ſupponitur præuiſum illud meritum vt ordinandum ſeu offerendum à Chriſto pro his electis potius, quàm pro cæteris hominibus: conſequens videtur falſum, & contra priùs dicta; ergò &c.

Reſpondetur Negando Conſeq. Sufficiebat enim quod in illo ſigno præuiderit Deus Pater merita Chriſti vt ſufficientem rationem diligendi homines ſaltem aliquos actu efficaci ad gloriam: quod exemplo poteſt declarari: Si namq; Dux aliquis, aut miles bene meritus de Rege offerat merita ſua, vt aliquibus aut alicui ex filijs præmium aliquod conferat vel dignitatem, quamuis ipſe non deſignet hunc filium potius quàm illum, ſed ex voluntate Regis electio talis fiat, nihilominus veriſſimè dicitur, Regẽ voluiſſe huic filio benefacere propter merita patris.

CONCLVSIO Tertia: Chriſtus etiam meruit electis ipſorum prædeſtinationem, ſiue omnium mediorum præparationem, quibus infallibiliter & certiſſimè ſunt liberandi & ſaluandi. 160

Probatur ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM *Chriſtum.* Vbi præpoſitio *per* non videtur poſſe deſignare aliam habitudinem, quam cauſæ meritoriæ. Confirmatur ex Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 5. vbi dicit: Ipſius iuſtificationis exordium, etiam primam ipſam hominis vocationem eſſe à præueniente gratia per IESVM Chriſtum: primus igitur prædeſtinationis effectus, & proinde tota prædeſtinatio debent adſcribi meritis Chriſti.

Probatur Secundò: Quia Chriſtus meruit electis diuinam dilectionem efficacem ad gloriam ante opera ipſorum præuiſa: vt modo dictũ eſt; atqui tota prædeſtinatio ex hac dilectione naſcitur: nam ideo abſolutâ voluntate voluit illis Deus præparare, atq; adeo præparauit ea auxilia tali ordine & ſerie, quibus certiſſimè ſunt liberandi, quia efficaciter eos ad gloriam dilexit; ergò meruit illis ipſam prædeſtinationem, quæ non eſt aliud, iuxta D. Aug. quam eiuſmodi mediorum præparatio, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.

Sed obijcitur: Non meruit Chriſtus 161 ſuam Incarnationem, vt antea dictum fuit; atqui Incarnatio videtur eſſe primum & præcipuum medium quo electi liberantur: ergò non meruit illis totam prædeſtinationem. Deinde multa dona naturalia, quatenus ad ſalutem conferunt, ſunt effectus prædeſtinationis, v. g. naſci in loco vbi viget fides Chriſtiana, naſci ex parentibus Catholicis, & alia ſimilia: quæ tamẽ non videtur promeruiſſe Chriſtus; ergò &c.

Reſpõdetur, Incarnationem potius debere dici cauſam ſalutis prædeſtinatorum, quàm propriè medium: Incarnatio namq; à Deo eſt ordinata ratio ex generali intentione reparandi genus humanum lapſum, vt ſupra diximus: non ex particulari efficaci dilectione prædeſtinatorum, quia præordinatâ iam Incarnatione, & præcognitis futuris Chriſti meritis, elegit Deus

ex maſſa

Digitized by Google

ex maſſa damnationis aliquos efficaciter, quos dedit Chriſto peculiariter ſaluandos: media autem prædeſtinationis electorum ſunt effectus qui procedunt ex hac particulari & efficaci ipſorum dilectione: Vnde argumentum concludit quidem Chriſtum non meruiſſe nobis omnes omnino cauſas noſtræ ſalutis: quia non illam primam generalem Dei voluntatem, quâ decreuit reſtaurare noſtrum genus lapſum, ſicut nec ipſam Incarnationem: nō autem quod non meruerit totam prædeſtinationem: quia hæc incipit à primo effectu qui confertur ex efficaci illa & particulari dilectione electorum.

162 Quod ad Confirmationem attinet, dicendum eſt, Chriſtum nobis etiam promeruiſſe illa naturalia dona, quæ ad ſalutem æternam conferunt, quatenus ex ſpeciali intentione & dilectione prædeſtinato conferuntur: quâ de re plura diximus in prima Parte in Tract. de Prædeſt.

DVBIVM XV.

Vtrùm Chriſtus meruerit Angelis gratiam & gloriam?

163 CONCLVSIO Prima: Chriſtus non eſt paſſus aut mortuus pro Angelis. Eſt communis & certa doctrina. Probatur ex Auguſtino Enchir. cap. 61. Non enim, inquit, pro Angelis mortuus eſt Chriſtus: & patet ex tota hiſtoria Euangelica, quæ vbique ſignificat propter homines, non propter Angelos, Chriſtum mortuum eſſe. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt*, inquit Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 5. *ergo omnes mortui ſunt*; ſed Angeli ſancti non ſunt, neque fuerunt mortui; ergò neque pro illis mortuus eſt Chriſtus: ſed neque pro Angelis apoſtatis: quia nullum ſalutis remedium pro illis à Deo fuit ordinatū. Vnde quod ſcribit D. Hieron. in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. Chriſtum veniſſe vt totum Eccleſiæ corpus ſanaret, quod infrà ſic explicat: vt Angelus ex fuga id eſſe incipiat quod creatus eſt, & homo qui de paradiſu fuerat eiectus, ad culturam paradiſi iterum reſtituatur, intelligendus eſt tantùm recenſuiſſe ex Origine: non autem ita ſenſiſſe aut approbaſſe, quantum ad Angelum refugam: nam epiſt. 59. ipſe Hier. ponit inter Origenis errores, quod docuerit damnatos Angelos aliquando reuocandos eſſe ad ſtatum Angelorum ſanctorum.

164 CONCLVSIO Secunda: Chriſtus quoque non meruit Angelis, ſiue gratiam, ſiue gloriam quę eſt præmium eſſentiale: poteſt tamen dici eis meruiſſe aliquam gloriam accidentalem. Eſt communis & recepta apud omnes ferè antiquos Theologos. Vide Bonauent. in Tertium diſt. 13. art. 2. qu. 3. Durandum ibid. qu. 2. Paludanum qu. 1. art. 3. Alenſem 3. p. qu. 12. memb. 2. art. 3. §. 5. & idem docet illic D. Thomas q. 2. art. 2. & q. 29. de Veritate art. 4. ad Quintum, & manifeſtius art. 7. ad Quintum vbi ſic ſcribit: Angeli autem non ſunt viatores, quantum ad pręmium eſſentiale, & ideo quantum ad hoc, nihil eis meruit Chriſtus: ſunt autem aliquo modo viatores reſpectu præmij accidentalis, in quantum nobis miniſtrant, ad quod valet eis meritum Chriſti: vnde dicitur ad Epheſ. cap. 1. quòd per eum reſtaurantur, quę in cælis & quę in terra ſunt. Quod & ſic explicat D. Aug. Ench. c. 61. Non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus, inquit, ſed idem etiā pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo, quoniam cum eis quodāmodo redit in gratiam poſt inimicitias, quas inter homines & ſanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione, ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur, & cap. 62. In ipſo quidem inſtaurantur quæ in cęlis ſunt, cū id quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Ex quibus manet explicata ſecunda pars Concluſionis.

Sed contra D. Th. auctoritates pro pri- 165
ma parte Concluſionis allegatas, citat Suarez hic diſp. 42. ſect. 1. ad art. 4. quæſt. 19. alia D. Thomæ verba, quando exponit illud Ioan. cap. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*: quæ ſic refert: Omnes accepimus, ſcilicet omnes Apoſtoli, Patriarchę, Prophetę, & iuſti qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli: ac rurſum, quia plenitudo gratiæ quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis. Verùm hæc verba non potui in Commentario D. Th. ſuper dictis verbis Ioan. inuenire, ſed alia in quibus Angelorum nulla fit mentio, quę ſunt hæc: Ex hoc autem coniecto (loquitur in perſona Ioan. Baptiſtæ) priorem me fore Chriſtum, quòd ex eius plenitudine ego quidem, & ante me Prophetæ, accepimus gratiam ſecundam pro prima: & infrà ex Chriſoſt. Non præcurſoris eſt verbum, ſed diſcipuli: quaſi diceret: etiam nos omnes duodecim, & omnis multitudo fidelium, & qui nunc ſunt, & futurorum de plenitudine eius accepimus. Alia huc pertinentia apud D. Thomam
illo loco non reperio. 166

Probatur itaque prima pars Concluſionis, quæ principalis eſt: quia nuſquam Scriptura ſignificat Chriſtum de cælis deſcendiſſe, vt Angelis gratiam & gloriam

mereretur; ſed vbique inculcat veniſſe, vt quæreret ouem perditam, vt quæreret, & ſaluum faceret quod perierat: quod nobis ſit natus Saluator: quod nobis puer datus ſit, & ſimilia: mirum autem foret, ſi ex eius meritis Angeli accepiſſent gratiam & gloriam, quod Scriptura id perpetuo ſilentio ſubticeret. Vide Ambroſ. Anſel. Bedam, Theophil. & alios in c. 15. Lucæ: vbi is qui perdiderat ouem vnam, dicitur reliquiſſe nonaginta nouem in deſerto, vt quæreret quæ perierat: ad Heb. c. 2. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare.* Quibus verbis expreſſe ſignificat Apoſt. Chriſtum qui ſanctificaret, & eos qui per Chriſtum ſanctificarentur, eſſe omnes ab vno videl. Adamo; ergò per Chriſtum non ſunt ſanctificati Angeli, quia ab hoc vno non deſcendunt. Et ne quis dicat omnes eſſe ex vno, videlicet Deo, quod etiam Angelis competit, obſtat id quod adiungitur: *Quia ergò pueri communicarunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Quod ſatis declarat illic ſub ijs, quos non confunditur vocare fratres, & quos ſanctificaſſe dicitur, non comprehendi Angelos. Deinde non reperimus in Scriptura, quod Chriſtus ſoleat Angelos nominare fratres ſuos.

167 Probatur Secundò: Quia quotieſcumque Sancti Patres explicant quid Chriſti aduentus profuit Angelis, nihil aliud dicunt: quàm per Chriſtum eſſe reparatas ſedes Angelorum, hominibus videlicet ad illas aſſumptis, & inimicitias quas inter illos, & nos cauſarunt peccata noſtra, dum genus noſtrum deſerendo iuſtitiam & SS. Angelorum ſocietatem cœperat adhærere Angelis deſertoribus, per Chriſtum fuiſſe ſublatas: vnde gaudium magnum accidentale ad ſanctos Angelos redundauit & nouam quandam ac ſingularem amicitiam cum hominibus contraxerunt. De merito autem Chriſti quoad gratiam & gloriam Angelorum, nihil dicunt.

168 Patet ex ſupra citatis verbis Aug. & ex Chriſoſt. Theodoreto, Theophyl. Beda, & alijs commentatoribus in cap. 1. ad Epheſ. ad illa verba, *Inſtaurare omnia in Chriſto*, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt: & in cap. 1. ad Coloſ. ad iſta verba, *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Vide D. Ambroſium ſerm. 10. in Pſalm. 118. vbi hæc clarè docet.

169 Probatur Tertiò: Quia iuxta probabiliorem ſententiam, quæ eſt D. Thomæ, & antiquorum Scholaſtic. non erat Chriſtus venturus in carne, ſi Adam non peccaſſet; ergò Chriſti meritum fuit præuiſum poſt præuiſum peccatum originale; atqui Angeli ordine rationis ſunt præcogniti accipere gratiam & gloriam ante præcognitum peccatum originale; ergò non acceperunt ex Chriſti meritis.

170 Contra Conclusionem verò, nullas video moueri difficultates alicuius momēti, ſed tantummodo coniecturas aliquas ex quibuſdam generalibus locutionibus Scripturæ, aut quorundam Patrum: quæ tamen dum propiùs excutiuntur, facile obſeruantur ad rem non facere. Vnde & Suarez Diſput. 42. Sect. 1. fatetur, neque ex Scripturis, neque ex Sanctis Patribus oppoſitam ſententiam poſſe conuinci, licet illam ſequatur: quia loca quæ videri poſſint fauere, commodè poſſunt intelligi de Chriſto vt eſt Verbum Patris, & ſecundum diuinitatem: quod illâ conſideratione ſit cauſa & auctor gratiæ & gloriæ Angelorum, vel de gloria ſiue gaudio aliquo accidentali, quod ex meritis Chriſti Angelis acceſſit: prout circumſtantiæ hunc vel illum ſenſum magis admittunt. Quod autem dicatur id pertinere ad maiorem Chriſti Domini dignitatem, non magnum eſt argumentum: quia inprimis non omnia quæ nos apprehendimus ad eius dignitatem facere, debemus mox illi affingere, quãdo in Scripturis vel in antiqua & communi Eccleſiæ doctrina non habemus illius rei conueniēs fundamentū, ne dignitas Chriſti & Chriſtianæ religionis exiſtimetur ab aduerſarijs, tantummodo inniti noſtris inuentionibus & ratiocinationibus. Deinde, ſicut hoc dicitur facere ad maiorem Chriſti dignitatem, ita oppoſitum dici poteſt facere ad majorem Dei erga nos miſericordiam, & Chriſti dignationem, & humilitatem, quod etiam pro ſolis hominibus peccatoribus reducendis, & ſaluandis Deus Pater voluerit Filium carnem aſſumere, & Filius hoc munus humile non detrectauerit ſuſcipere: quę meritò nos ad maiorem gratitudinē, & amorem erga Deum, & Chriſtum eius prouocare debent.

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

De conuenientibus Chriſto ſecundum quod Patri fuit ſubiectus.

In duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dicẽdum ſit, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri.

1 CONCLVSIO Diui Thomæ eſt: Chriſtus, loquendo videlicet de illo ſecundum humanam naturam, eſt Patri ſubiectus. Probat, quia quæ naturæ alicui propria ſunt, conueniunt cuilibet habenti illam naturam; atqui natura humana ex ſui conditione habet triplicem ſubiectionem ad Deum: Vnam, ſecundum rationem bonitatis, quia natura diuina eſt ipſa bonitas eſſentialiter, ſiue ipſa eſſentia bonitatis; natura autem humana habet quandam participationem bonitatis diuinæ ex libera Dei communicatione, quâ ſe creaturis communicat: vnde natura humana eſt minor & inferior, ac dependens à bonitate diuina.

Secũdò ſubijcitur humana natura Deo, quatenus ſubiacet operationi diuinæ diſpoſitionis, & ſic etiam Chriſtus ſubijcitur Patri: quia omnia quæ circa humanitatem Chriſti acta ſunt, diuinâ diſpoſitione geſta creduntur. Vnde ſcribit Dionyſ. de cæleſti Hier. cap. 4. quod Chriſtus ſubijcitur Dei Patris ordinationibus: Et hæc eſt ſubiectio ſeruitutis, inquit D. Thomas, ſecundum quod omnis creatura ſeruit Deo: eius ordinationibus ſubiecta.

Tertiò ſpecialiter natura humana ſubijcitur Deo, quantum ad proprium ſuum actum, quatenus propriâ & liberâ voluntate obedit eius mandatis: quam ſubiectionem ſibi competere declarat Chriſtus Ioannis 8. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, & cap. 14. *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: & hæc eſt ſubiectio obedientiæ, de qua Apoſt. ad Philipp. cap. 2. *Factus obediens vſque ad mortem.*

2 Occaſione primi modi ſubiectionis quẽ hîc ponit D. Thomas, quia videlicet Chriſtus ratione humanæ naturæ habet bonitatem participatam inferiorem, & dependentem à bonitate diuina. Quæritur:

An Chriſtus poſſit dici minor Patre?

Reſpondetur, ſic abſoluto ſermone non eſſe loquendum; cum addito tamen rectè dici, Chriſtus vt homo eſt minor Patre.

Ratio prioris partis inprimis eſt: quia ſermo iſte abſolutè prolatus ad minus eſt periculoſus: quia natus ingenerare animis audientium errorem Arrij, qui docuit Filium Dei eſſe minorem Patre: quod facile concipitur ex tali ſermone, quandoquidem vna tantum perſona, quæ eſt Filius Dei, debeat in Chriſto agnoſci. Deinde, quia videtur etiam in rigore, propoſitio iſta ſimpliciter pronuntiata, Chriſtus eſt minor Patre, eſſe falſa: quia dum fit ſimpliciter comparatio inter perſonas aliquas ſecundum perfectiones, intelligitur tunc ea fieri ſecundum omnia, quæ in iſtis perſonis ſunt, niſi reſtringatur ad aliquod particulare eſſe perſonarum: Chriſtus autem ſi conſideretur ſecundum omne ſuum eſſe, non eſt minor Patre, ſed ſimpliciter illi æqualis.

3 Opponet aliquis: Chriſtus abſolutè dicit, Ioan. 14. *Pater maior me eſt*; ergò poteſt etiam abſolutè dici, Chriſtus eſt Patre minor. Reſpondetur, ex ijs quæ Chriſtus ibidem præmittit, ſatis conſtabat, eum loqui de ſe vt homine: dixerat enim, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Vbi illud, Vado ad Patrem, ſatis declarat, quòd agat de ſe ſecundum humanam naturam: quando autem ex antecedentibus & circumſtantijs ſermonis conſtat ſermonem limitatè intelligendum eſſe, tunc neque offenſionem, neque falſitatem continere dici debet: quia ex communi concipiendi modo, propoſitio tunc intelligitur & accipitur ſecundùm ſubiectam materiam, & accommodate ad ſenſum dicentis.

4 Pars poſterior eſt manifeſta: quia per illam particulam *vt homo*, ſignificatur fieri comparatio Chriſti, non ſecundum omne ipſius eſſe, ſed ſecundum eſſe humanum ſolum, ſecundùm quod minor eſt & imperfectior; ſicut omne Eſſe creatum minus eſt, & imperfectiùs Eſſe increato.

Occaſione ſecundi modi ſubiectionis, quem aſſignat D. Thomas. Quæritur:

Vtrùm Chriſtus poſſit dici ſeruus Patris?

5 Reſpondeo & dico primò: Rectè dici poteſt, Chriſtus vt homo eſt ſeruus Patris. Ita docet D. Thomas hîc in reſp. ad Secundum, & art. ſeq. Caiet. hîc: Palud. in Tertium diſt. 12. & alij complures.

mereretur; ſed vbique inculcat veniſſe, vt quæreret ouem perditam, vt quæreret, & ſaluum faceret quod perierat: quod nobis ſit natus Saluator: quod nobis puer datus ſit, & ſimilia: mirum autem foret, ſi ex eius meritis Angeli accepiſſent gratiam & gloriam, quod Scriptura id perpetuo ſilentio ſubticeret. Vide Ambroſ. Anſel. Bedam, Theophil. & alios in c. 15. Lucæ: vbi is qui perdiderat ouem vnam, dicitur reliquiſſe nonaginta nouem in deſerto, vt quæreret quæ perierat: ad Heb. c. 2. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare.* Quibus verbis expreſſe ſignificat Apoſt. Chriſtum qui ſanctificaret, & eos qui per Chriſtum ſanctificarentur, eſſe omnes ab vno videl. Adamo; ergò per Chriſtum non ſunt ſanctificati Angeli, qui ab hoc vno non deſcendunt. Et ne quis dicat omnes eſſe ex vno, videlicet Deo, quod etiam Angelis competit, obſtat id quod adiungitur: *Quia ergo pueri communicarunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Quod ſatis declarat illic ſub iis, quos non confunditur vocare fratres, & quos ſanctificaſſe dicitur, non conprehendi Angelos. Deinde non reperimus in Scriptura, quod Chriſtus ſoleat Angelos nominare fratres ſuos.

167 Probatur Secundò: Quia quotieſcumque Sancti Patres explicant quid Chriſti aduentus profuit Angelis, nihil aliud dicunt: quàm per Chriſtum eſſe reparatas ſedes Angelorum, hominibus videlicet ad illas aſſumptis, & inimicitias quas inter illos, & nos cauſarunt peccata noſtra, dum genus noſtrum deſerendo iuſtitiam & SS. Angelorum ſocietatem cœperat adhærere Angelis deſertoribus, per Chriſtum fuiſſe ſublatas: vnde gaudium magnum accidentale ad ſanctos Angelos redundauit & nouam quandam ac ſingularem amicitiam cum hominibus contraxerunt. De merito autem Chriſti quoad gratiam & gloriam Angelorum, nihil dicunt.

168 Patet ex ſupra citatis verbis Aug. & ex Chriſoſt. Theodoreto, Theophyl. Beda, & alijs commentatoribus in cap. 1. ad Epheſ. ad illa verba, *Inſtaurare omnia in Chriſto*, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt: & in cap. 1. ad Coloſ. ad iſta verba, *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Vide D. Ambroſium ſerm. 10. in Pſalm. 118. vbi hæc clarè docet.

Probatur Tertiò: Quia iuxta probabi- 169
liorem ſententiam, quæ eſt D. Thomæ, & antiquorum Scholaſtic. non erat Chriſtus venturus in carne, ſi Adam non peccaſſet; ergò Chriſti meritum fuit præuiſum poſt præuiſum peccatum originale; atqui Angeli ordine rationis ſunt præcogniti accipere gratiam & gloriam ante præcognitum peccatum originale; ergò non acceperunt ex Chriſti meritis.

Contra Conclusionem verò, nullas vi- 170
deo moueri difficultates alicuius momēti, ſed tantummodo coniecturas aliquas ex quibuſdam generalibus locutionibus Scripturæ, aut quorundam Patrum: quæ tamen dum propiis excutiuntur, facile obſeruantur ad rem non facere. Vnde & Suarez Diſput. 42. Sect. 1. fatetur, neque ex Scripturis, neque ex Sanctis Patribus oppoſitam ſententiam poſſe conuinci, licet illam ſequatur: quia loca quæ videri poſſint fauere, commodè poſſunt intelligi de Chriſto vt eſt Verbum Patris, & ſecundum diuinitatem: quod illâ conſideratione ſit cauſa & auctor gratiæ & gloriæ Angelorum, vel de gloria ſiue gaudio aliquo accidentali, quod ex meritis Chriſti Angelis acceſſit: prout circumſtantiæ hunc vel illum ſenſum magis admittunt. Quod autem dicatur id pertinere ad maiorem Chriſti Domini dignitatem, non magnum eſt argumentum: quia inprimis non omnia quæ nos apprehendimus ad eius dignitatem facere, debemus mox illi affingere, quādo in Scripturis vel in antiqua & communi Eccleſię doctrina non habemus illius rei conueniēs fundamentū, ne dignitas Chriſti & Chriſtianæ religionis exiſtimetur ab aduerſarijs, tantummodo inniti noſtris inuentionibus & ratiocinationibus. Deinde, ſicut hoc dicitur facere ad maiorem Chriſti dignitatem, ita oppoſitum dici poteſt facere ad majorem Dei erga nos miſericordiam, & Chriſti dignationem, & humilitatem, quod etiam pro ſolis hominibus peccatoribus reducendis, & ſaluandis Deus Pater voluerit Filium carnem aſſumere, & Filius hoc munus humile non detrectauerit ſuſcipere: quę meritò nos ad maiorem gratitudinē, & amorem erga Deum, & Chriſtum eius prouocare debent.

QVÆSTIO XX.

De conuenientibus Chriſto ſecundum quod Patri fuit ſubiectus.

In duos Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dicẽdum ſit, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri.

1 CONCLVSIO Diui Thomæ eſt: Chriſtus, loquendo videlicet de illo ſecundum humanam naturam, eſt Patri ſubiectus. Probat, quia quæ naturæ alicui propria ſunt, conueniunt cuilibet habenti illam naturam; atqui natura humana ex ſui conditione habet triplicem ſubiectionem ad Deum: Vnam, ſecundum rationem bonitatis, quia natura diuina eſt ipſa bonitas eſſentialiter, ſiue ipſa eſſentia bonitatis; natura autem humana habet quandam participationem bonitatis diuinæ ex libera Dei communicatione, quâ ſe creaturis communicat: vnde natura humana eſt minor & inferior, ac dependens à bonitate diuina.

Secũdò ſubijcitur humana natura Deo, quatenus ſubiacet operationi diuinæ diſpoſitionis, & ſic etiam Chriſtus ſubijcitur Patri: quia omnia quæ circa humanitatem Chriſti acta ſunt, diuinâ diſpoſitione geſta creduntur. Vnde ſcribit Dionyſ. de cæleſti Hier. cap. 4. quod Chriſtus ſubijcitur Dei Patris ordinationibus: Et hæc eſt ſubiectio ſeruitutis, inquit D. Thomas, ſecundum quod omnis creatura ſeruit Deo: eius ordinationibus ſubiecta.

Tertiò ſpecialiter natura humana ſubijcitur Deo, quantum ad proprium ſuum actum, quatenus propriâ & liberâ voluntate obedit eius mandatis: quam ſubiectionem ſibi competere declarat Chriſtus Ioannis 8. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*, & cap. 14. *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: & hæc eſt ſubiectio obedientiæ, de qua Apoſt. ad Philipp. cap. 2. *Factus obediens vſque ad mortem.*

2 Occaſione primi modi ſubiectionis quã hîc ponit D. Thomas, quia videlicet Chriſtus ratione humanæ naturæ habet bonitatem participatam inferiorem, & dependentem à bonitate diuina. Quæritur:

An Chriſtus poſſit dici minor Patre?

Reſpondetur, ſic abſoluto ſermone non eſſe loquendum; cum addito tamen rectè dici, Chriſtus vt homo eſt minor Patre.

Ratio prioris partis inprimis eſt: quia ſermo iſte abſolutè prolatus ad minus eſt periculoſus: quia natus ingenerare animis audientium errorem Arrij, qui docuit Filium Dei eſſe minorem Patre: quod facile concipitur ex tali ſermone, quandoquidem vna tantum perſona, quæ eſt Filius Dei, debeat in Chriſto agnoſci. Deinde, quia videtur etiam in rigore, propoſitio iſta ſimpliciter pronuntiata, Chriſtus eſt minor Patre, eſſe falſa: quia dum fit ſimpliciter comparatio inter perſonas aliquas ſecundum perfectiones, intelligitur tunc ea fieri ſecundum omnia, quæ in iſtis perſonis ſunt, niſi reſtringatur ad aliquod particulare eſſe perſonarum: Chriſtus autem ſi conſideretur ſecundum omne ſuum eſſe, non eſt minor Patre, ſed ſimpliciter illi æqualis.

Opponet aliquis: Chriſtus abſolutè dicit, Ioan. 14. *Pater maior me eſt*; ergò poteſt etiam abſolutè dici, Chriſtus eſt Patre minor. Reſpondetur, ex ijs quæ Chriſtus ibidem præmittit, ſatis conſtabat, eum loqui de ſe vt homine: dixerat enim, *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Vbi illud, Vado ad Patrem, ſatis declarat, quòd agat de ſe ſecundum humanam naturam: quando autem ex antecedentibus & circumſtantijs ſermonis conſtat ſermonem limitatè intelligendum eſſe, tunc neque offenſionem, neque falſitatem continere dici debet: quia ex communi concipiendi modo, propoſitio tunc intelligitur & accipitur ſecundùm ſubiectam materiam, & accommodate ad ſenſum dicentis. 3

Pars poſterior eſt manifeſta; quia per illam particulam *vt homo*, ſignificatur fieri comparatio Chriſti, non ſecundum omne ipſius eſſe, ſed ſecundum eſſe humanum ſolum, ſecundùm quod minor eſt & imperfectior; ſicut omne Eſſe creatum minus eſt, & imperfectiùs Eſſe increato. 4

Occaſione ſecundi modi ſubiectionis, quem aſſignat D. Thomas. Quæritur:

Vtrùm Chriſtus poſſit dici ſeruus Patris?

Reſpondeo & dico primò: Rectè dici poteſt, Chriſtus vt homo eſt ſeruus Patris. Ita docet D. Thomas hîc in reſp. ad Secundum, & art. ſeq. Caiet. hîc: Palud. in Tertium diſt. 12. & alij complures. 5

Probatur Primò: Quia frequentius in Scripturis appellatur Chriſtus hoc nomine: Iſaiæ cap. 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum*, &c. quæ verba de Chriſto fuiſſe dicta patet ex cap. 12. Math. Vnde ad prædicta verba ſcribit Hieron. Nec mirum ſi ſeruus vocetur factus ex muliere, factus ſub lege, qui cum in forma Dei eſſet, humiliauit ſe formam ſerui accipiens. Vide cap. 45. 49. & 55. eiuſdem Prophetæ; Zachariæ cap. 3. *Adducam ſeruum meum orientem*: & Ezechielis cap. 34. *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum* &c. *ſeruum meum Dauid*. Hinc Cyril. in Defenſione ſexti Anathematiſmi: Si quis dicat ſeruum eum appellari propter vocem ſanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet: cognouerunt enim per reuelantem eis Spiritum Sanctum, quòd Verbum ex Deo Patre fieret homo ad Philipp. 2. *Formam ſerui accipiens*. Huc etiam facit illud Apoſtoli 1. ad Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei*.

6 Probatur Secundò ex Patribus: Cyrillus lib. 12. Theſauri cap. 15. Serui Dei, inquit, nos ſumus ſecundũ naturam; Ipſe, (ſcil. Chriſtus) quidem Dominus ſecundum naturam, quia Deus; ſed ſeruus factus eſt, quia verè homo. Vbi notanda eſt illa cauſalis, *quia verè homo*, quâ fundat ſeruitutem hanc in ratione humanæ naturæ, non in aliquo miniſterio aut vili humilitate. Vide eundem lib. 6. de Trinit. Ante mediũ, vbi ſimilia habet, ſed adiungit, nunc poſt reſurrectionem eius abolitam ignobilitatem & offenſam ſeruitutis eſſe, quia ad claritatem naturalis dominij redijt. Vbi nota, quod non dicat, abolitam eſſe ſeruitutem, ſed ignobilitatem ſeruitutis, quia forma ſerui iam non amplius ſubiacet infirmitatibus, contumelijs, verberibus, & alijs ſeruilibus paſſionibus inſtar mancipij, quemadmodum tempore mortalitatis eius: Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos: Quatenus in confeſſo eſt, inquit, eum hominem eſſe factum, nihil diſcriminis attulerit, ſiue ſeruus, ſiue filius hominis appelletur: omnes enim iſtiuſmodi voculæ in ratione humanitatis benè & propriè competunt, illaque omnia non ſubſtantiam Verbi, ſed hominem eum fuiſſe demonſtrant: Aug. epiſt. 178. circa finem. In qua infirmitate humanitatis, non ſolum ſubditum, ſed etiam ſeruum euidentiſſimè confitemur: ipſo dicente: Ego ſeruus tuus, &c. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 6. Non igitur præiudicatur quod ſubiectus dicitur, qui ſeruus legitur. Vide eundem Præfatione in Pſalm. 35. & Chryſoſt. ad illa verba Pauli ad Philipp. 2. *Formam ſerui accipiens*.

Probatur denique ratione: quia relatio ſeruitutis ad Deum non habet aliud fundamentum in creaturâ generaliter loquendo, præter eſſentialem dependentiam & ſubordinationem quam habet ad Deum, ratione cuius eſt ſub poteſtate & dominio ipſius Dei, vt poſſit illâ vti, prout ſibi placet: ipſa verò creatura ſubiaceat illi ad placitum eius. Vnde Cyrillus dialogo 4. de Trinit. Seruile, inquit, factum eſt, quidquid productum ex nihilo; atqui conſtat humanam Chriſti naturam eſſe dependentem & ſubordinatam ad Deum, tanquã ad habentem ſupremam poteſtatem & abſolutũ dominiũ in illam; habet ergo humanitas eius in ſe fundamẽtũ ſeruitutis ad Deũ. 7

Sed obijcitur Primo: Cõcilium Francfordienſe damnat Elypandum, & Felicem in hoc, quod Chriſtum ſeruum eſſe dixerint: cui ſubſcribit Adrianus Papa in ſua epiſt. vbi ſic ait: Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & quod pudet dicere, ſeruum eum impij & ingrati tantis beneficijs liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſâ fauce ſuſurrare: Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum ſeruum nuncupare: & infra: Etſi in vmbra prophetiæ dictus eſt ſeruus propter ſeruilis formæ conditionem quam ſumpſit, nonquid propterea nomen ſerui ei imponere debemus? ergò videtur quod ſermo ille non ſit vllatenus admittendus. 8

Reſpondetur Primò: Neque Concilium, neque Pontificem negare Chriſtum cum hâc determinatione, In quantum homo, ſiue ſecundum humanam naturam eſſe ſeruum: imò videtur Pontifex id admittere, dum ait: Etſi in vmbra prophetiæ dictus eſt ſeruus propter ſeruilis formæ conditionem: ob quod tamen non vult Chriſtum ſimpliciter dici ſeruum.

Reſpondetur Secundo: Quod Elypandus & Felix videntur fuiſſe in errore Neſtorij, & Chriſtum ſiue IESVM diſtinxiſſe à Filio Dei naturali, non tantùm naturâ, ſed etiam ſuppoſito (quod indicat Ioannes Miriana lib. 7. ſuæ hiſtoriæ de rebus Hiſpaniæ) eoque nomine abſolutè & ſimpliciter vocaſſe Chriſtum ſeruum ad eius diminutionem, & cum excluſione abſoluti dominij ab ipsâ perſonâ Chriſti.

Vndè citatum Concilium in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſic ſcribit: Neque verò alium IESVM Chriſtum, alium Verbum dicemus, vt noua hæreſis calumniatur: & infrà, adducens verba Apoſtoli ad Hebr. 3. *Amplioris gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus*: Quomodo, inquit, amplioris gloriæ, ſi ſeruus ſicut Moyſes, vel ex ſeruo adoptiuus: 9

adoptiuus: & Pontifex in citatis verbis, Vt adoptiuum eum filium quaſi purum hominem, &c. Damnat igitur Pontifex & Cōcilium in ipſis hunc errorem, & ſimul inuehuntur in improbitatē illam in loquēdi modo, quod ad diminutionē & quaſi contemptum Chriſti appellarent illum ſimpliciter ſeruum. Quando autem Scriptura ſacra, potiſſimum Antiqua, & S S. P P. ſubinde vocant Chriſtum ſeruum, tunc ſic illum vocant ratione humanitatis aſſumptæ, quod per adiectas circumſtantias ſatis indicant: idque faciunt, non ad Chriſtum diminuendum, ſed potius ad commendationem laborum eius & virtutum, humilitatis, obedientiæ, tolerantiæ, & ſimilium, quas in humana natura exercuit, vt ſic magis explicent œconomiam myſterij Incarnationis Chriſti: qui proinde nec erroneè, nec blaſphemiam loquuntur: quia ſimul clarè ſemper profitentur æqualem Chriſti cum Patre majeſtatem & poteſtatem.

10 Obijcitur Secundò: Leo ſerm. 1. de natiuit. agens de Chriſto ſic ſcribit: Creata eſt forma ſerui ſine conditione ſeruili; ergo non poteſt Chriſtus, etiam vt homo vocari ſeruus.

Reſpondetur Chriſtum vt hominem non eſſe ſeruum ſeruitute vili & pœnali, contracta ex peccato, cui ſubiacent cæteri homines, quam Leo vocat conditionem ſeruilem: vt ex adiunctis patet: addit enim. Quia nouus homo ſic contemperatus eſt veteri, vt & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis: quaſi diceret: ita Chriſtus aſſumpſit humanitatem ex veteri Adamo, vt veritatem naturæ eius aſſumpſerit; non verò vitium, quod nomine ſeruitutis ſæpius ſignificatur. Cum quo conſiſtit, quod tamen Chriſtus vt homo, ſit ſeruus ſecundum eum modum, quo omnis creatura ſeruit Deo, eius ordinationibus ſubiecta: vt loquitur D. Thomas.

11 Obijcitur Tertiò: Chriſtus etiam in quantum homo, habuit quandam communicationem in bonis cum Patre; ſed ſeruus non habet communicationem cum domino ſuo; ergò &c.

Reſpondetur: Non habuit inprimis Chriſtus in humanitate ſuâ formaliter ipſa bona diuinitatis per eſſentiam, ſed tantum habuit bona participata. Deinde ratio ſerui non excludit omnem communicationem in bonis domini ſui: nam poteſt dominus ſeruum ſuum de bonis ſuis alere, veſtire, & aliquid etiam gratioſè donare; ſed excludit parem communicationem cum herili auctoritate & poteſtate in bona, quemadmodum dominus ea habet; Chriſtus autem ſecundum humanam naturam non habuit parem ſiue æqualem potētiam cum Patre.

Poteſt hic etiam quæri: Quare potius admittatur hæc propoſitio, Chriſtus in quantum homo, eſt ſeruus, quàm iſta, Chriſtus in quantum homo eſt filius adoptiuus: Sed difficultatem illam commodius infrà qu. 23. explicabimus.

CONCLVSIO Secunda: Chriſtus non poteſt ſimpliciter dici ſeruus abſque hâc aut ſimili determinatione, Vt homo, vel ſecundum humanam naturam; non tantùm quia ſermo malè ſonans & periculoſus eſt: ſed etiam, quia in rigore videtur falſus. 12

Quod periculoſus ſit patet: quia ſimpliciter pronuntiatus ingerit mox apprehenſionem, Chriſtum non eſſe abſolutè dominum, & proinde vel Filium Dei qui eſt Chriſtus, eſſe minorem Patre, iuxta hæreſim Arrij: vel duas in Chriſto eſſe perſonas, quarum altera ſit creata & ſerua, vt voluit Neſtorius. Vnde Damaſcenus 3. de Fide cap. 12. Qui ſeruum eum dicunt, inquit, vnum Chriſtum inſtar Neſtorij, in duos diuidunt.

Quod autem in rigore ſit falſus probatur: quia ſeruus importat ſuppoſitū illud quod ſic denominatur, totum & ſecundum omnia ſua eſſe in poteſtate & dominio alterius: quia ſeruus nihil proprij habet, ſed ipſe & omnia eius ſunt ſub poteſtate & dominio domini ſui; atqui omnino falſum eſt, Chriſtum ſecundum omne Eſſe ſuum eſſe ſub alterius dominio, alteriuſque diſpoſitionibus ſubiici: quia non ſecundum Eſſe perſonale, neque ſecundum naturam diuinam. Igitur hæc propoſitio ſimpliciter pronuntiata, Chriſtus eſt ſeruus, in rigore falſa eſt.

Vnde inprimis colligitur, nullo modo dicendum eſſe: Chriſtus eſt ſeruus Verbi aut filij: quod etiam reijcit Conc. Alexandrinum in epiſt. 10. Cyrilli: quam recipit Conc. Epheſinum; vbi ſic legitur: Verbum Dei carni ſecundum hypoſtaſim vnitum, omnium quidem Deus eſt, omnibuſque dominatur: at ſui ipſius nec ſeruus eſt, nec dominus: Stultum enim eſt, imò impium ad hunc modum ſentire aut dicere. Rationem addit, ne vnum Chriſtum, & filium, & Dominum in duos ſcindamus: quia ſcil. dū quis ſimpliciter denominatur dominus, aut ſeruus alicuius, indicatur ſuppoſitorum diſtinctio inter illum qui dicitur ſeruus, & illum cuius dicitur ſeruus. Quare duplici de cauſa, ſermo iſte admittendus non eſt: vt ex dictis patet. 13

Colligitur Secundò, Neque abſolutè dicendum eſſe: Chriſtus eſt ſeruus Patris. 14

Quamuis enim hic intercedat diſtinctio ſuppoſitorum inter Chriſtum & Patrem, tamen ob rationem priùs allegatam, id dici non poteſt: quia ſignificatur quod Chriſtus totus ſit ſub dominio Patris: è contra verò, quia ſubiectum eſſe non importat eiuſmodi vniuerſalitatem ſecundùm omne Eſſe ſuppoſiti quod denominatur alteri ſubiectum eſſe, idcirco hæc propoſitio, Chriſtus eſt ſubiectus Patri, poteſt admitti tanquam vera, quamuis conuenientiùs, vt hic docet D. Thomas, addatur aliqua determinatio, videlicet, In quantum homo, aut, Secundum humanam naturam, non ſic tamen altera.

15 Occaſione tertij modi ſubiectionis, quem commemorat D. Th. quæritur hic,

An Chriſtus fuerit ſubiectus legibus, ſiue præceptis?

Reſpondeo & dico Primò: Chriſtus vt homo fuit capax præcepti; atque adeo legi fuit ſubiectus. Colligitur prior pars ex D. Thoma hîc & infrà qu. 47. art. 2.

Probatur: quia humana Chriſti voluntas non erat ſua regula, ſed à ſuperiori dependebat, à qua habebat dirigi, & cui ſe conformare debebat; ergò præcepti capax erat. Nec obſtat humanam Chriſti voluntatem fuiſſe ſemper impeccabilem: non enim id habuit, quia ex ſua eſſentia eſſet determinata ad bonum, ſicut diuina, ſed ex coniunctione & certa habitudine ad Verbum, ſiue perſonam, vt explicuimus.

Poſterior pars ſimiliter tenetur à D. Thoma 1. Parte qu. 93. art. 4. ad Secundum. Et probatur, quia humana Chriſti voluntas tenebatur lege Dei æternâ, & lege Dei naturali: obligabatur enim amare Deum, non mentiri, & vitare omnia quæ intrinſecè mala ſunt. Quod ad poſitiuas leges attinet,

16 Dico Secundò: Chriſtus non fuit ſubiectus legi antiquæ. Ita D. Thomas infrà qu. 37. art. 4. in Corp. & Soto in Quartum diſt. 2. qu. 1. art. 3. in fine.

Probatur Primò: Quia Apoſtolus ad Galat. 3. dicit, quod lex poſita ſit propter tranſgreſſiones, *Donec veniret ſemen, qui eſt Chriſtus*, vt paulò ante dixerat: & rurſum infrà: *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo*; ergò Chriſtus non fuit legi veteri ſubiectus.

Probatur conſequentia, quia vſque ad illum propter præuaricationem lex iſta poſita fuit, non illi: Rurſum: fuit Pædagogus ducens ad illum, non autem ducens illum: Tertiò ipſe liberat alios per aduentum ſuum, & fidem in ipſum ab illo pædagogo; ergò ipſemet ſub illo non tenebatur. Idem ex cap. ſeq. & ex cap. 6. ad Rom. colligi poteſt. Matth. 12. dum Iudæi calumniarentur, quod non ſeruaret ſabbathum, reſpondit Chriſtus, *Dominus eſt Filius hominis etiam ſabathi.* Quod explicans Auguſtinus qu. 10. in Matth. dicit, Chriſtum ibi oſtendiſſe ſe non eſſe legi ſubiectus, quia erat Filius Dei naturalis & dominus legis. Vide eundem Tract. 17. in Ioannem, & Cyrillum lib. 2. in Ioannem cap. 33.

Probatur Secundò: quia cum lex antiqua eſſet vmbra futurorum, cuius corpus, veritas, & finis erat Chriſtus, per quem & abroganda erat, non conueniebat illam Chriſto eſſe poſitam, vt illius præceptis ligaretur. Accedit quod poſſit dici lata tantum illis, qui ſecundum ſeminalem rationem, & conſuetum generandi modum deſcenderent ex Iudæis, quod in Chriſto locum non habuit.

Sed obijcitur: Ad Galat. 4. dicitur, quod Deus miſerit *Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*; ergò fuit legi antiquæ ſubiectus. 17

Confirmatur: Quia Chriſtus fuit circumciſus; atqui Apoſt. ad Galat. cap. 5. ait, *Teſtificor rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*; ergò &c.

Reſpondetur Chriſtus dicitur factus ſub lege ſecundum obſeruationem, non ſecundum obligationem: quia voluntariè illam obſeruauit, eò quod hoc conduceret, vt ipſe & prædicatio eius à Iudæis facilius acceptarentur.

Ad confirmationem verò dicendum eſt, quod Apoſtolus dum dicit, Omnem circumcidentem ſe fieri debitorem vniuerſæ legis, loquatur de ijs qui ſe circumcidebant ex perſuaſione, quod circumciſio eſſet neceſſaria, eiuſque præceptum adhuc obligaret: qui enim ex illa conſcientia ſe circumcidebant, efficiebantur debitores totius legis, quia non habebant vnde prudenter iudicarent ſe minus teneri ad totam legem, quam ad præceptum circumciſionis. Quod verò alioquin Apoſtolus non intendat docere, quod circumciſio per ſe introducat obligationẽ totius legis, patet cum & ipſe fecerit circumcidi Timotheũ, nec tamen putauerit idcirco illum fieri debitorem legis.

Quod autem Chriſtus dicit Matth. 5. 18
Non veni ſoluere legem, ſed adimplere, hunc habet ſenſum: non veni vt tranſgrediendo conculcem & diſſoluam legem, ſed vt eam adimpleam, inprimis, quamuis ei ſubiectus non ſim, plenè tamen eam obſeruando. Deinde & magis ad ſenſum Chriſti: vt adimpleã, ſicuti veritas adimplet figuram,

&rei

Digitized by Google

& rei exhibitio adimplet promiſſionem, ac vt in quibus lex fuit infirmata, vti in iuſtitiæ & ſalutis collatione, ego iſta adijciã & perficiam. Vide Auguſtinum 16. contra Fauſtum cap. 6. & lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 54.

19 Dico Tertiò: Non fuit etiam Chriſtus obligatus lege poſitiuâ noui Teſtamenti. Probatur, quia ipſe auctor & legiſlator fuit huius mandati, & non eiuſdem ordinis, & ſtatus cum illis quibus legem illam poſuit: lex enim noui Teſtamenti reſpicit hominem inprimis vt à peccatis mundandum: deinde, vt mundatum iam per diuerſa pericula propter eius infirmitatem, deducendum auxilio gratiæ ad cæleſtem hæreditatem & patriam: quæ rationes in Chriſto locum non habuerunt; ergò non erat ratio, cur ipſe lege hâc teneretur.

20 Dico Quartò: Habuit tamen Chriſtus preceptum poſitiuum à Patre ſibi impoſitum de redimendo genere humano per paſſionem & mortem. Ita docet D. Thomas infrà qu. 47. art. 2. ad Primum.

Probatur Primò: Quia Chriſtus Dominus locis diuerſis expreſsè dicit, ſe accepiſſe hoc mandatum à Patre: Ioan. 10. 14. & 15. ad Philip. 2. de eo ſcribit Apoſtolus, quod fuerit *Obediens vſque ad mortem*; ergò cum Chriſtus vt homo potuerit obligari & ſubijci huic præcepto, & Deus Pater abſque iniquitate potuerit imponere: (nihil enim niſi quod ſuum erat, quodque dederat à Chriſto repetebat, vt docet Amb. in Pſalm. 118. ſerm. 18.) tenendum omnino eſt, quod mandatum propriè dictum Chriſto à Patre ſit impoſitum.

Probatur Secundò: Quia ita ſentiunt Nazianz. orat. 4. de Theologia, Ambr. lib. 5. de Fide cap. 5. Aug. Tract. 82. in Ioannem, & Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 20.

Probatur Tertiò ex congruentijs: Prima eſt: quia ſic magis declarat Deus ſuum erga genus humanum amorem, qui tantus fuit, vt etiam Filio mandaret redimere hominem morte ſuâ: Secunda: quia conueniebat, vt ſicut Adam tranſgrediendo mandatum perdidit nos, ita Chriſtus illud obſeruando redimeret nos: Tertia: quia cæteris paribus opus ex obedientia eſt perfectius & Deo gratius: Denique, quia ſic factum eſt quod Chriſtus omni ex parte nobis ſit perfectum humilitatis & obedientiæ exemplum.

21 Obijcitur: Dignius & honorabilius videtur pro perſonâ Chriſti, ſi dicatur, quod etiam vt homo non habuerit præceptũ. Fauet Scriptura Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam.* Vnde videtur quòd non obligabatur eam ponere. Idem videntur docere Baſilius de Spiritu S. c. 8. & Chryſoſt. Homilia 59. 68. & 75. in Ioan, ergò &c.

Reſpondetur, Chriſto indignum nihil reperiri in impoſitione huius præcepti: quia non fuit impoſitum, quaſi humana eius voluntas aliqua indiguiſſet coactione, vel ſine præcepto non ſatis fuiſſet parata & prompta ad obediendum voluntati Patris, ſiue ad illam exequendam: ſed ob rationes iam allatas, vt magis eluceſceret Dei erga nos amor, vt præberetur Chriſto perfectæ obedientiæ materia, inobedientia Adæ compenſaretur obeditione Chriſti, & nobis ſubiectionis relinqueretur exemplum. Quidam autem exiſtimant Chriſtum cognitâ Dei Patris ſui voluntate, quâ volebat eum mortem ſubire pro humano genere, petijſſe à Patre hoc præceptum ſibi imponi, quo magis promptitudinem ſuam ad voluntatem Patris implendam declararet; atque ita nihil præter Chriſti dignitatem circa illum, geſtum eſſe.

Ad id quod allegatur ex cap. 10. Ioannis. Reſpondetur, Chriſtum iſtis verbis hoc ſolum ſignificaſſe, ſe non ex abſolutâ neceſſitate, quam ſuperare non poterat, animam poſiturum, cum poſſet & à ſe vim inimicorum excludere (potuit enim rogare Patrem, & miſiſſet ei pluſquam duodecim legiones Angelorum) & inſuper, etſi vim admitteret, poterat tamen, eo non obſtante, ſeparationem animæ à corpore impedire. Neque hæc aduerſantur præcepto; quod non adducit abſolutam neceſſitatem, ſed ex ſuppoſitione tantum: quæ libertatem Chriſti in morte ſubeundâ non impediuit: vt ſuprà fuit demonſtratum. 22

Quod ad D. Baſilium attinet, manifeſtum eſt ex adiunctis, quod dum præceptum à Chriſto remouet, illũ agere contra Arrianos, & loqui de Chriſto ſecundum diuinitatem. Eodem ſenſu locutus fuit Chriſoſt. quamuis hic poſſit intelligi etiam loqui de Chriſto ſecundum humanam naturam: quia ex propoſito remouet tantùm illam imperfectionem à Chriſto, quæ communiter locum habet in illis quibus mandatum imponitur, quod videlicet voluntas Chriſti nõ indiguerit aliquo imperio aut coactione per comminationem pœnæ vel culpæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſtus ſit ſubiectus ſibi ipſi?

Conclvsio principalis D. Thomæ eſt: Chriſtus non eſt ſibi ipſi ſubiectus ratione ſuppoſiti, ſicuti volebat Neſtorius: ſed eſt ſibi quodammodo ſubiectus, 23

iectus,

exemplum patientiæ, quando non fit quod petimus.

5 Addo denique, Chriſtum vt hominem etiam oraſſe: quia oratio eius erat medium neceſſarium ad multa impetranda, quæ abſque oratione eius, facta non fuiſſent; voluntas enim Chriſti humana per ſeipſam non erat omnium quæ volebat efficax cauſa, vt dictum eſt: voluntas autem diuina, ſiue diuina virtus non fuiſſet illa executa abſque voluntatis humanæ ſupplicatione. Medium tamen neceſſarium intelligo non neceſſitate ſimpliciter abſolutâ, ſed neceſſitate ex ſuppoſitione præordinationis videlicet diuinæ, ita enim Deus ordinauerat, vt multa à Chriſto homine fuerint impetranda per orationem, iuxta illud Pſalm. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam:* quæ ſine illius oratione non fuiſſent conceſſa aut facta. Quemadmodum neque redemiſſet genus humanum, niſi pro illo paſſionem & mortem ſuſtinuiſſet, non quaſi perſona Chriſti, quę ſimul erat Deus & homo, inſufficiens eſſet ad facienda omnia quæ humanâ voluntate volebat, aut quaſi neceſſitas illa orationis oriretur ex infirmitate, aut indigentia perſonæ Chriſti (quod SS. PP. cenſendi ſunt ſolummodo negare. quando ſubinde dicunt, Chriſtum non oraſſe tanquam cui preces fuerint neceſſariæ: vt Ambroſ. lib. 4 de Fide cap. 3. & Damaſc. ſuprà) ſed quia diuina ordinatio facta ſit talis, idque propter multas huius orationis vtilitates & congruentias iam explicatas: quemadmodum & paſſio eius & mors non fuerunt media abſolutè neceſſaria ad noſtram redemptionem, ſed neceſſaria ex ſuppoſitione diuinæ præordinationis ob rationes in ſuperioribus allegatas.

6 Neque his obſtat, quod Chriſtus dicit Ioannis 11. *Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat, dixi: vt credant quia tu me miſiſti*, nam inprimis hic non negat Chriſtus orationẽ ſibi vt homini neceſſariam, vt diuina virtus faceret quod volebat: ſed aſſerit orationem ſuam exaudiri, quando videlicet voluntas eius eſt abſoluta. Deinde altâ voce Patri pro exauditione gratias agit, idque (vt indicat) eo fine, vt populus credat, quia à Deo Patre miſſus ſit cui ſupplicat, à quo exauditur & cui gratias agit, & non exiſtimaret eum eſſe improbum, ac dæmoniũ habere, & Deo, ac diuinæ legi aduerſari, vt obijciebant & calumnioſè improperabant ſæpius Iudæi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Chriſto conueniat orare ſecundum ſuam ſenſualitatem?

7 Reſponſio D. Thomæ eſt: Chriſtus non orauit ſecundum ſuam ſenſualitatem, ita vt oratio eſſet actus ſenſualitatis. Patet, quia ſenſualitas non poteſt tranſcendere ſenſibilia, & proinde neq; in Deũ aſcendere, hoc enim ſpectat ad altiorem facultatem: vnde oratio eſt actus rationis: vt ex profeſſo docetur 2. 2. qu. 83. Alio autem modo, iuxta D. Thomam, poteſt aliquis dici orare ſecundum ſenſualitatem, quia videlicet ratio orando, proponit Deo quod eſt in appetitu ſenſualitatis illius, & hoc ſenſu Chriſtus orauit ſecundum ſenſualitatem, in quantum oratio eius expreſſit ſenſualitatis affectum, tanquam ſenſualitatis aduocata, inquit Thomas; vt patet Matth. 26. & Lucæ 22. Ad illud verò Dauidis Pſalm. 83. quod hic obijci poſſet, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, Reſpondet Thomas, quod caro exultet in Deum viuũ, non per actum carnis aſcendentem in Deum, ſed per redundantiam à corde in carnem, in quantum appetitus ſenſitiuus ſequitur motum appetitus rationalis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm fuerit conueniens Chriſtum pro ſe orare?

8 Conclvsio D. Thomæ eſt: Chriſtus pro ſe ipſo orauit: interdum exprimendo affectum ſenſualitatis, aut voluntatis ſimplicis quæ conſideratur vt natura, vtpote quando orauit à ſe calicem paſſionis transferri: Interdum exprimendo affectum voluntatis deliberatæ: vt dum Ioannis 17. orabat, *Pater venit hora, clarifica Filium tuum*, & quando rogauit gloriam reſurrectionis. Vide huius rei congruentias hîc apud D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm oratio Chriſti fuerit ſemper exaudita?

9 Conclvsio D. Thomę eſt: Omnis Chriſti oratio, quâ aliquid rogauit, quod voluntate abſolutâ petebat fieri, exaudita

exaudita eſt; quâ verò ſolùm expreſſit affectum ſenſualitatis, aut ſimplicem affectum voluntatis vt natura eſt, non ſemper exaudita eſt. Ratio eſt, quia voluntas Chriſti humana abſoluta ſemper fuit conformis abſolutæ voluntati diuinæ, & ſic ſemper impleta: quoad affectum autem ſenſualitatis, aut voluntatis vt natura eſt, non voluit efficace voluntate ipſe Chriſtus illum ſemper adimplere. Vide dicta ſuprà qu. 13. art. 4.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Chriſtus modò quoque in cælis pro nobis oret?

10 Reſpondetur: Chriſtus modò in cælis agit aduocatum noſtrum, & interpellat pro nobis. Eſt doctrina certa de Fide, quam clariſſimè teſtantur Scripturæ: ad Hebr. c. 9. ſcribit Apoſtolus Chriſtum introijſſe in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis: cap. 12. dicit Chriſti ſanguinem, melius loqui quàm ſanguinem Abel, & cap. 7. dicit, quod ſemper ſit viuens ad interpretandum pro nobis: ad Rom. 8. *Chriſtus* IESVS, *qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, & D. Ioan. cap. 2. epiſt. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem*, IESVM *Chriſtum iuſtum*. Sed

11 Difficultas eſt de modo quo nunc interpellat pro nobis: quidam enim videntur exiſtimare ipſum nunc in cælis dici interpellare pro nobis, non quod oratione expreſsâ petat nobis pietatis diuinæ ſubſidia: ſed tantummodo, quia merita eius oculis diuinæ maieſtatis remanent præſentia, & accepta, ipſeque ſe & ſuorũ vulnerum cicatrices per obiectiuã præſentiam exhibeat: quæ omnia ſunt tantùm interpretatiua quædam interpellatio & interceſſio pro illis, quorum causâ ſubijt & perpeſſus fuit talia. Ita ſentire videtur Rupertus lib. 9. de diuinis officijs cap. 3.

12 Verũ modo loquendi Scripturarũ multò conformius eſt dicere, Chriſtum etiam expreſsâ petitione nunc in cælis pro nobis orare. Ita docent D. Th. in Quartum diſt. 15. qu. 4. art. 2. & in cap. 8. ad Rom. Bonauent. opuſc. 39. de vita Chriſti cap. 98. de Aſcenſ: Toſtatus qu. 142. in Matth. & Toletus in cap. 16. Ioannis Annot. 35. Vt enim in hoc ſæculo, inquit, orabat Patrem pro nobis vt homo, ita & nunc in cælis donec redemptionis effectus omni ex parte compleatur.

13 Probatur Primò: Quia Scripturæ allegatę videntur apertè hunc interpellandi modum ſignificare, potiſſimùm ad Rom. 8. & ad Hebr. 7. a: rurſum Ioannis 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis:* vbi ſolatur Apoſtolos ſuper ſuo ab eis diſceſſu: quia poſt aſcenſionem ſuam pro eis rogabit Patrem, vt patet ex antecedentibus & conſequentibus.

Probatur Secundò ex Patribus: Iuſtinus Martyr qu. 105. ad Orthodoxos: Si ſuperatis reſurrectione infirmitatibus carnis, vt Pontifex confeſſionis noſtræ pro nobis interpellat, nonne magis cum adhuc ſubiaceret infirmitati carnis? Vbi comparando interpellationem quam modo Chriſtus facit in cælis cum ea, quam fecit in terris, declarat ſatis ex mente ſua Chriſtum nunc etiam expreſsâ voluntatis ſuæ propoſitione, pro nobis interpellare, quemadmodum fecit exiſtens in terris: D. Auguſt. Præfat. in Pſalm. 105. Oratur in forma Dei, orat in forma ſerui, orat pro nobis, orat in nobis: Bernardus ſerm. de natiuit. Virginis, Exaudiet Matrem filius, & filium Pater. Vide Cyprianum lib. 4. epiſtolarum epiſt. 4. & Ambroſium ſuper cap. 8. ad Romanos. 14

Probatur Tertiò ratione: Quia hic modus orandi per explicitam poſtulationem etiã nunc non dedecet Chriſtũ; non enim propter diuinitatem, quia alioquin neque in hac vita debuiſſet ſic vt homo orare, neq; propter eius glorificationem: quia alioquin neque cæteri beati poſſent dici modò ſic orare pro nobis: è contra verò modus hic orandi perfectior eſt, & maior videtur inde accedere Deo religionis cultus, quando non tantùm obiectiuam præſentiam exhibet, ſed per expreſſum actum pro nobis Patrem interpellat, non quidem de nouo aliquid merendo: ſed pręcedentium meritorum ſuorum, paſſionum, vulnerum quę exhibet, intuitu bona nobis à Patre efflagitando & depoſcendo: idq; non tantùm mente, ſed veriſimiliter etiam corpore: quemadmodum & voce Deum laudat, & religionis cultum exhibet; ergò hic modus pro nobis orandi ſiue interpellandi Chriſto in cęlis attribuendus eſt. Non tamen exiſtimandum videtur, illum modò humiliationis iſta ſigna corporalia exercere, quibus in terris ſe ſupplicem & ſubiectum Patri exhibebat: vt genu flectere, in faciem procumbere: nam hunc modum orandi tanquam ſtatui patrię minus conſentaneum à Chriſto iam glorificato, & in dextera Dei ſedente remouet Nazianzenus orat. 36. Aduocatum, inquit, habemus IESVM, non ſe noſtrâ causâ ad Patris pedes admouentem, ſeruilique modo abijcientem: procul ſit iſta ſeruilis ſuſpicio, &c. 15

Sed obijcitur Primò: Chriſtus Ioannis 16. ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis:* 16

Digitized by Google

de vobis: ipſe enim Pater amat vos, &c. ergò Chriſtus in cælis non orat pro nobis, ſaltem expreſſa poſtulatione. Reſpond. Neg. Conſ. non enim dicit Chriſtus ſe non rogaturum: ſed tantùm dicit, ſe hoc pro ipſorū conſolatione non allegare, quod ipſe rogabit Patrem: quāuis & hoc facturus ſit, vt cap. præc. ſignificauerat. Hoc autē pro ſolatio ipſorum tantùm hic addit, quod Pater ita amet ipſos, vt etiam abſq; Chriſti precibus beneceſſet illis facturus, & ipſorum habiturus curam & rationem, eò quòd ipſi amauerunt Chriſtum.

17 Obijcitur Secūdo: Eccleſia nō ſolet ſic orare: Chriſte ora, aut, intercede pro nobis: ſed, Chriſte exaudi nos, &, miſerere nobis; ergò &c. Reſpondetur, Eccleſiæ conſuetudinem in orationibus ad Chriſtū ſeruandam eſſe, tum ad euitandum periculum erroris Neſtorij & Arrij, vt docet D. Th. in Quartum, loco ſuprà cit. tum etiam, quia iuſta ratione ſic orat Eccleſia: nam ipſius Eccleſię, & omnium noſtrûm eſt, quā honorificentiſſimo modo agere cum Chriſto, & ab eo auxilia & ſubſidia petere, pręſertim cum preces noſtræ ad perſonam, quæ diuina eſt, dirigantur: Ipſi autem Chriſto vt homini bene conuenit recognoſcere Patrem tanquam principium & auctorem omnium bonorum, quę in ſua humanitate accepit, & quæ humano generi per eius merita & interpellationem conferuntur: atque ita non dedecet illum orare Patrem ſuum, quamuis nobis minùs conueniat, vt hoc ab eo rogemus vt ipſe oret: Si quis tamen ſciat rationes diſtinguere, & conſiderare Chriſtum vt hominem in cælo orantem, & pro nobis merita ſua Patri repræſentantem, non erit illicitum aut indecorum priuatim ab illo poſtulare, vt ſuæ orationis nos participes efficiat, ac efficacem ſuorum meritorum applicationem obtineat: quod indicat D. Ambroſius lib. de Iſaac & anima cap. 8. vbi ſic ſcribit, Ipſe (videl. Chriſtus) ſit vox noſtra, per quam loquamur ad Patrem.

QVÆSTIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti.

In ſex Articulos diuiſa.

ARTIC. I. & II.

Vtrùm Chriſto conueniat eſſe Sacerdotem? &, Vtrùm Chriſtus fuerit ſimul Sacerdos, & hoſtia?

1 CONCLVSIO Prima: Chriſtus vt homo verè & propriè eſt Sacerdos. Eſt certa de Fide, & clara ex Scripturis: quia ex profeſſo docetur ab Apoſtolo ad Hebr. cap. 5. & deinceps vſque ad cap 10. eiuſdem epiſt.

Probatur & declaratur ſimul ratione: Quia Sacerdotium peculiariter & propriè dictum dicitur ex ordine & reſpectu ad ſacrificium peculiariter & propriè acceptum, tanquam ad actum illi muneri per ſe proprium, cui ſimul tanquam proprietates quædam per ſe conſequentes, cohærent, quòd Sacerdos pro populo oret, & vota populi Deo repræſentet. Deinde ſecundariò per quandam acceſſionem etiam ad Sacerdotium pertinet, populum inſtruere in rebus ad diuinum cultum, & ad populi ſalutem pertinentibus: item legibus conuenientibus & præceptis ad hunc finem populum dirigere, & etiam de religionis controuerſijs iudicare, maximè quando Sacerdotium in ſua eſt perfectione & plenitudine; atqui iſta omnia Chriſto competierunt, & munia hæc ipſe obiuit: nam teſte Apoſtolo ad Hebr. cap. 5. ille à Deo appellatus & conſtitutus, non ſanguinem hircorum aut vitulorum (quem antiquæ legis ſummus Sacerdos pro ſua & populi ignorantia offerebat) ſed per Spiritum Sanctum, ſemetipſum morte & ſanguinis ſui effuſione intercedentibus, immaculatum Deo in odorem ſuauitatis obtulit, vt emūdaret *Conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti*, & ſic *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Deinde, *in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.*

Pręterea habuit Chriſtus poteſtatem inſtruendi populum in ijs quæ ad diuinum cultum & ſalutem pertinebant: docebat 2

enim tanquam poteſtatem habens: item habuit poteſtatem ferendi leges; atque adeo ſupremam habuit iuriſdictionem in ſpiritualibus, ac poteſtatem excellentię in cuius virtute Rempublicam ſpiritualem, Eccleſiam videlicet noui Teſtamenti inſtituit: formam & modum quibus regi debeat, præſcripſit: contulit auctoritatem iuriſdictionis ijs, qui ſecundum ordinationem eius,pręficiuntur: inſtituit Sacramenta quæ vim habeant ſanctificandi, quorum applicatione peccata remittuntur, & infunditur gratia: item inſtituit nouum ſacrificium: & alia multa ordinauit & fieri præcepit: data enim illi erat omnis poteſtas in cælo & in terra:& ſciebat, quia omnia ei dedit Pater in manus, vt dicitur Ioan. 13. ergò Chriſto Domino competit perfectiſsimo modo ſacerdotium, etiam ſpecialiter & propriè dictum.

Quod autem ei competat in quantum homo eſt, non autem in quantum Deus, vt nonnulli huius tẽporis hęretici voluerunt:

3 Probatur Primò ex antiquis PP. Amb. lib. 3. de Fide,c.5. Sacerdos, inquit, idem & hoſtia: Sacerdotium tamẽ,& ſacrificium humanæ conditionis officium eſt: D. Aug. de Conſenſu Euangeliſt, lib. 1. c. 3. Secundum hominem Chriſtus, & Rex, & Sacerdos effectus eſt: Fulg. de Fide ad Petrum c. 2. Solus Sacerdos, ſacrificium & templum: & hæc omnia Deus ſecundum rationem ſerui. Vnde quidem per communicationem idiomatum poteſt Verbum dici obtuliſſe Deo ſacrificium, ſanguinem fudiſſe & ſatisfeciſſe, ſed non ſecundum formam qua Deus eſt.

4 Probatur Secundò ratione: Quia ſacerdotium eſt officium naturæ inferioris, & ſubiectæ Deo, qui per ſacrificium colitur & recognoſcitur; ergò officium illud non poteſt cadere in naturam diuinam. Deinde Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum illam naturam, ſecundum quam pro nobis meruit; atqui meruit vt homo, quemadmodum oſtenſum fuit ſuprà; ergò &c. Sed

5 Obijcitur: Cyril. Hieroſol. Catheceſi 10. ſcribit, Chriſtum habere Sacerdotium immutabile, quod nec tempore cœpit, nec ſucceſſorem alium habebit ſacerdotij: & infra addit, Neque factitio oleo vnctus, ſed ante ſecula à Patre, &c. ergò Chriſtus debet dici Sacerdos vt Deus, ſiue ſecundum diuinam naturam.

Reſpondetur Neg. Conſeq. quia Cyril. hoc tantum ſenſu dicit, Chriſti ſacerdotium tempore non cœpiſſe, quia ab æterno dixit Deus Pater Filio, *Tu es Sacerdos in æternum*, atque ita quia ab æterno eſt præordinatus Sacerdos ſecundùm naturam quam aſſumpturus erat, dicitur Sacerdotium eius non tempore cœpiſſe; & addit illum vnctum non oleo factitio, ſed à Patre ante ſæcula, propter diuinitatem per generationem ab æterno communicatam filio: quę tamẽ vnctio per Incarnationis myſteriũ communicata fuit in tempore illi naturæ, ſecundum quã propriè eſt Sacerdos: quam æternam Patris pręordinationem de Filio, eiuſque æternam vnctionem Cyril. voluit peculiariter inculcare, quia faciebant ad magnam Chriſti, eiuſq; Sacerdotij dignitatem: ad cuius cumulationẽ etiam adiungit, quod cum iureiurando conſtitutus ſit Sacerdos, iuxta illud Dauidis Pſ. 109. *Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum: Tu es Sacerdos*, &c. non autem intendit docere Sacerdotium Chriſti ſecundum ſe eſſe proprietatẽ, quę Chriſto ratione diuinę naturę cõpetat.

Conclvsio Secunda: Chriſtus in quantum homo, non ſolùm fuit Sacerdos, ſed etiam hoſtia perfecta, ſimul ſcil. exiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum. Ita verbotenus D. Th. art. 2. in Corp. Patet ex doctrina D. Pauli modo allegatâ ad Heb. & ad Epheſ. cap. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*: & 2. ad Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, hoſtiã pro peccato: vt communiter omnes exponunt. 6

Declarat autem D. Th. Chriſti ſacrificium habuiſſe rationem triplicis differẽtiæ ſacrificiorũ ab effectibus: quod fuerit hoſtia pro peccato oſtẽdit, quia per huius hoſtię oblationem peccata noſtra deleta ſunt: iuxta illud Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra*: quod fuerit hoſtia pacifica explicat: quia pacem & ſalutem nobis conciliauit, iuxta illud ad Heb. 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*: quod etiam amplius cõſtat ex c. 2. ad Eph. & 1. ad Coloſſ. Deniq; quod holocauſtũ, declarat: quia per illam oblationẽ adipiſcimur glorię perfectionẽ, qua intimè Deo coniungimur & vnimur; ad quẽ finem tẽdit holocauſtum.

Obſeruandum autem hic eſt: Licet dictum ſit, Chriſtum Sacerdotem eſſe ſecundum quod homo, & ſimiliter hoſtiam eſſe ſecundum quod homo, non tamen exiſtimandum eſſe, quod vel ipſa eius humanitas debeat dici Sacerdos, vel hæc ſola fuerit victima: quia eſſe Sacerdotem, & offerre ſacrificium, compotit perſonę, ſed ratione alicuius ſuę naturę, non increatę, ſed creatę: quę poteſt & debet recognoſcere Deum & principiũ, & finem ſuũ, à quo ipſa habeat ſuum eſſe omne bonum ſuum: & à quo cõtendat etiã alijs ſalutem obtinere: Similiter quoq; non obtulit ſolã humanitem, ſed ſe ipſũ obtulit Deo, (vt loquitur Scriptura) atque ita humanitatem ſubſiſtentem perſonali- 7

ſonaliter perſonalitate Verbi: vnde, & ſacerdotium Chriſti, eiuſque ſacrificium acceperunt præcipuam ſuam excellentiã atq; efficaciam: quæ clariùs & pleniùs poſſunt
8 intelligi ex dictis ſuprà q. 1. & q. 59. Sed

Obijcitur: Chriſtus in cruce non occidit ſeipſum; ergò non obtulit ipſe ſe Deo in ſacrificium, ſaltem loquendo de ſacrificatione propriè dicta. Probatur Conſeq. quia vt Sacerdos offerat ſacrificium ſtrictè & propriè acceptum, neceſſum eſt quod hoſtiam ipſe immutet.

Reſpondetur Neg. Conſeq. & ad probationem dico, Ad hoc vt Sacerdos dicatur ſacrificare ſiue offerre hoſtiam, non requiri quod ipſe actione phyſica inducat illam mutationem: ſed poſſe ſufficere, quod ſic concurrat, vt illa mutatio moraliquâdam conſideratione cenſeatur eſſe ipſius: ſic in lege naturæ potuiſſet Sacerdos dici ſacrificare, etiamſi tantùm ipſe fuiſſet aſſiſtens, & iubens hoſtiæ mutationem, & alter aliquis tanquam ſubſeruiens de eius mandato, mactaſſet bouem aut vitulum. Sic itaque Chriſtus in ſui ſacrificatione vſus eſt miniſterio Iudæorum, non quidem iubendo eis vt ipſum occiderent: ſed ſe voluntariè in manus ipſorum tradendo, per quos nouerat ſe ex ipſorũ malitiâ in cruce eleuandum & occidendum: quam eleuationem & occiſionem ipſe in ſe admittebat ex propoſito, vt mediantibus his, ſeipſum (quem illi iniquè occidebant) piè ac religiosè Deo offerret & immolatet cum diuinæ majeſtatis recognitione, & ſummâ ſui ſubmiſſione, pro peccatis generis humani.

9 Sed replicabit aliquis; Ergò videtur quod Martyres omnes potuerunt dici Sacerdotes propriè dicti, ac obtuliſſe de ſeipſis verum & propriè dictum ſacrificium. Reſpondetur Neg. Conſequentiam, quia inprimis hic intercedit differentia quoad modũ acceptationis, ſiue admiſſionis mortis in ſe: nam Chriſtus non ſolùm voluntariè permiſit ſe apprehendi, & plagas mortẽ cauſantes ſibi inferri: ſed etiã plagis iam illatis, quæ naturaliter corporis & animæ vnionem diſſoluerent, in eius adhuc erat poteſtate, mortem non admittere: vnde ſuâ voluntate & quaſi liberâ poteſtate eam admiſit, & admittendo ſe in ſacrificium obtulit: Martyres verò non omni illo modo ſuâ voluntate poſuerunt animam: nam vel aliquando non potuerunt impedire plagas, aut ſi voluntariè admiſerint, ſaltem in poteſtate ipſorum non erat, vt plagis illatis, mors non ſequeretur. Deinde alia poteſt reddi ratio negatæ conſequentiæ, & magis ad rem facere videtur, puta, quod Martyres non obtulerint ſe in mortem, vel etiam mortem admiſerunt, aut acceptarunt hoc fine, & ex tali propoſito, vt per ſui occiſionem ſiue mortem ipſi proteſtarentur ſupremum vnius Dei dominium, ipſumque oblatione ſui in mortem recognoſcerent primum principium & finem vltimum omnium: quod ad ſacrificij rationem intimè pertinet, ſed tantùm ſuſceperunt mortem pro confeſſione diuinitatis Chriſti, aut veritatis religionis Chriſtianæ, à qua ne recederent, mortem potius oppetierunt, ac ſimul vt veritatem fidei ſuæ omnibus teſtatam facerent.

10 Quomodo autem nomen ſacrificij aliquando ſumatur generatim pro quâuis actione quæ in laudem Dei fit, ſiue externa illa, ſiue interna fuerit (iuxta quam acceptionem etiam martyria ſolent vocari ſacrificia, ac ſpiritus contribulatus etiam dici Deo ſacrificium: ac in communi quçuis bona opera, iuxta illud ad Hebr. cap. vlt. *Beneficentiæ autem, & communicationis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus:* ac rurſum: *Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius) & quare huiuſmodi opera vocentur à Sanctis Patribus aliquando vera ſacrificia, quamuis ſint tantùm metaphoricè dicta ſacrificia (ſicuti & Chriſtus dicit ſe vitem veram, licet metaphoricè ſit vitis) & quomodo accipiatur aliquando peculiariter & propriè pro oblatione rei externæ per ipſius rei immutationem, Deo facta in teſtificationem ſupremi eius dominij, latius explicabimus, infrà q. 83. quando ex profeſſo de Sacrificij ratione tractandum erit.

ARTICVLVS III.

Vtrũ effectus ſacerdotij Chriſti ſit expiatio peccatorum?

11 CONCLVSIO D. Thomæ eſt: Sacerdotium Chriſti habet plenam vim expiandi peccata. Patet ex Script. ad Heb. cap. 9. *Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis:* & cap. 9. *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.*

Probatur etiam ratione: Quia ad perfectam peccatorum emundationem, duo requiruntur, videlicet, vt deleatur macula culpæ, & tollatur reatus pœnæ; atqui macula culpæ deletur per infuſionem gratiæ, quæ fit virtute ſacrificij Chriſti, iuxta illud ad Rom. cap. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto* IESV: reatus verò pœnæ tollitur per hoc,

Auguſt. de hæreſibus, hæreſi 34. & lib. 16.
de Ciuitate c. 22. Epiphanius hęreſi 55. &
67. & alij quos refert D. Hier. epiſt. citata.

Colligitur hæc veritas ex Geneſeos cap.
24. vbi Melchiſedech diciturRex Salem,
& Sacerdos Dei altiſſimi, exiuiſſe obuiam
Abrahæ, protuliſſe panem & vinum, acce-
piſſe decimas; quæ ſeruatâ hiſtoricæ nar-
nationis proprietate non niſi in hominem
conueniunt: abſque neceſſitate autem
ad ſenſum metaphoricum recurrendum
non eſt.

Similiter certa ſententia habet, hunc
hominem non fuiſſe perſonam aliquam di-
uinam, aut angelicam incarnatam: quia
conſtat ante Chriſti Incarnationem non
fuiſſe naturam humanam hypoſtaticè aſ-
ſumptam à perſona increata: ſed neque ab
Angelo, cum dubitetur an id abſolutè
fieri poſſit.

Tertiò ſunt nonnulli, vt Irenæus, Hyp-
politus, Euſebius Cæſarienſis, qui exiſti-
marunt Melchiſedech fuiſſe hominem gẽ-
tilem ex Cananęis ortum, vt refert Hier.
epiſtola citata: ſed tamen virum fidelem,
iuſtum, & ſanctum, vti & Iob inter genti-
les fuit, quos eriam ſequitur Epiphanius
loco ſupra citato. Sed modò

Communior opinio habet, hunc Mel-
17 chiſedech fuiſſe Sem primogenitum Noë:
Ita tenet Hieronymus ſuprà, Iſidorus de
vita & morte Prophetarum cap. 5. Abu-
lenſis, Lyra, & Gloſſa in caput 14. Ge-
neſeos.

Obijcit Epiphanius, Sem tunc fuiſſe
mortuum: ſed ex cap. 11. Geneſeos planè
contrarium conuincitur, vbi Sem legitur
vixiſſe ſexcentis annis, & ex ſupputatio-
ne genealogiæ Abrahæ, quæ ibidem de-
ſcribitur, conſtat Abraham natum anno
390. Sem: vnde Sem etiam ſuperuixit
Abrahæ, quia Abraham vixit ſolùm 195.
annis: Sem verò iam nato Abrahamo
vixit adhuc ducentis decem annis: hoc
enim requiritur, vt vixerit 600. annis in
vniuerſum, quod de eo refert Scriptura.

Aſt verò alia hîc poteſt moueri difficul-
18 tas: Puta quod Apoſtolus ad Heb. ſcribat,
Melchiſedech eſſe ſine patre, ſine matre,
ſine genealogia, neque initium, neque fi-
nem dierum habere: quæ non videntur
poſſe in Sem conuenire, qui tam ſecun-
dum rem, quàm ſecundum hiſtoriæ nar-
rationem habuit patrem, matrem, genea-
logiam, &c. Reſpondetur, Apoſtolum in-
primis nõ intendere docere Melchiſedech
à parte rei caruiſſe omnibus iſtis: (quemad-
modum enim fuit communis homo, ſic &
communi lege natus fuit) ſed dicit illum
eſſe abſque iſtis, quia nihil horum de Mel-
chiſedech, dũ eum introducit, cõmemorat
Scriptura: idque ex propoſito & de indu-
ſtria myſterij causâ, cum aliàs diligenter
ſoleat hæc recenſere, præſertim quando
inſignium perſonarum mentionem facit.
Reſpexiſſe itaque Apoſtolus, ad id quod
Scriptura de Melchiſedech refert, quan-
do ſub nomine hoc, tanquam Rex & Sa-
cerdos Dei altiſſimi ex occaſione introdu-
citur, & hoc explicuit: quia ſub illa conſi-
deratione figurabat Chriſtum, & ſic eius
hiſtoria aut genealogia nuſquam in Scri-
ptura recenſentur.

Quod verò ad qualitates huius Melchi-
ſedech attinet, patet ex Scripturis fuiſſe 19
Regem & Sacerdotem ex dicto cap. 14.
Gen., ex Pſalm. 109. & ex epiſt. ad Hebr.
Fuit autem Sacerdos ſecundum rationem
ſacerdotij, quod in vſu erat apud fideles
tempore legis naturæ: quo non à Deo ipſo,
ſed hominum arbitrio & conſtitutione de-
terminabantur ſacrificia: neque modus &
conſecratio Sacerdotum à Deo præſcri-
pta erant, ſed tantùm ex hominum ele-
ctione & deputatione aſſumebantur aliqui
ad offerendum Deo ſacrificia, & ad orandũ
ac interpellandum pro populo. Iuxta He-
bræorum autem traditionem, cui ſubſcri-
bunt Iſidorus & Hieron. locis ſupra cita-
tis: à Noë vſque ad ſacerdotium Aaron,
omnes primogeniti ex ſtirpe Noë fuerunt
Sacerdotes, & victimas immolarunt. Vnde
quod ſcribit Anacletus epiſtola ſua 2. De-
cretali, ſacerdotium ſumpſiſſe initium ab
Aaron, de ſacerdotio ſpecialiter à Deo
inſtituto intelligendum venit, quod ſpe-
cialibus cęremonijs & vnctionibus à Deo
præſcriptis conferri cœpit. Dubitandum
nihilominus non eſt, Melchiſedech ex pe-
culiari Dei inſtinctu motũ fuiſſe ad offe-
rendum Deo hoc peculiare ſacrificij ge-
nus in panis & vini oblatione, non in pe-
cudum immolatione, conſtitutum, ad præ-
figurandum Sacrificium nouæ legis, Cor-
poris videlicet & ſanguinis dominici, quę
ex Chriſti inſtituto & exemplo, quotidie
ſub ſpeciebus panis & vini immolantur.
His præmiſſis ſit

Conclvsio Vnica: Chriſtus Do- 20
minus eſt Sacerdos ſecundum ordinem
Melchiſedech. Patet ex Pſalm. 109. ante
citato, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum or-
dinem Melchiſedech*, & latè explicatur ab
Apoſtolo ad Hebræos cap. 5. & ſequen-
tibus. Idem docet Concilium Trident.
Seſſ. 22. cap. 1. Quia tamen, inquit, per
mortem, ſacerdotium eius extinguendum
non erat, in cœna nouiſſima, &c. Sa-
cerdotem ſecundum ordinem Melchi-
ſedech ſe in æternum conſtitutum de-
clarans, Corpus & ſanguinem ſub ſpe-
ciebus panis & vini Deo Patri obtulit,

Digitized by Google

fuit autem Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quatenus inprimis excellentiâ Sacerdotij Chriſti præ Sacerdotio Aaronico, in Melchiſedech fuit præſignata: vt accuratè deducit Apoſt. loco citato: Ac primùm quidem in ipſo ſuo nomine proprio hanc excellentiam prætulit: Melchiſedech enim ſignificat regem iuſtitiæ; Chriſtus autem ſolus eſt verus rex iuſtitiæ, à quo omnis iuſtitia debet deriuari ad alios, & ſine quo nulla eſt vera iuſtitia.

21 Deinde in nomine officij eam præſignauit, quia erat rex Salem, id eſt, rex Pacis; Chriſtus autem eſt vera pax noſtra, qui in ſanguine ſuo omnia pacificauit quæ in cælis ſunt, & quæ in terris, vt docet Apoſtolus ad Coloſſ, cap. 1. quas etiam in Chriſto proprietates vaticinatur, & pulchrè explicat Iſaias cap. 9.

Tertiò, quia Melchiſedech introducitur ſine patre, ſine matre, neque initium dierum, neque finem habens: & abſque ſucceſſore in ſuo ſacerdotio, quibus & perſonæ Chriſti æternitas & ſempiternũ eius ſacerdotium deſignantur.

Quartò, etiam in hoc ac potiſſimum quidem præfigurauit Sacerdotij Chriſti excellentiam, quod Melchiſedech tãquam maior benedixerit Abrahæ: nam ſine contradictione, inquit Apoſtolus, minor à maiore benedicitur: & quod è contra Abraham, ac in ipſo etiam Tribus Leui, quæ erat Tribus ſacerdotij legalis obtulerint ipſi Melchiſedech decimas, atque ita Abraham ac in ipſo ſacerdotes legales recognouerunt, & venerati ſunt Melchiſedech tãquam regem & Sacerdotem maiorem ſe: idque non ſolùm, vt veriſimile eſt, propter dignitatem perſonæ Melchiſedech vt in ſe erat, ſed maximè propter perſonam & ſacerdotium eius quem repræſentabat, videlicet Chriſti: quod ſignificat clarè Diuus Cypr. Epiſtola 64. in verbis mox ex illo allegandis.

Non enim dubitandum videtur, quin Abraham agnouerit figuram & myſterium quæ in Melchiſedech gerebantur. vt notat Zuarez Diſput. 46. Sect. 4.

22 Præterea dicitur Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quia forma ſeu ritus offerendi ipſius Melchiſedech fuit figura incruẽti ſacrificij Chriſti, quo corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: vt explicat Conc. Trid. loco iam citato, & docet Cyprianus epiſt. 63. Vt per Melchiſedech Sacerdotem, inquit, benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit antè imago ſacrificij Chriſti in pane & vino conſtituta: quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem vino mixtum obtulit, & quieſt plenitudo, veritatem adumbratæ imaginis adimpleuit. Quare verò Apoſtolus huius non meminerit, infrà in Tract. de Sacrificio cum alijs multis huc pertinentibus, explicabimus.

Occaſione verò huius tanti ſacerdotij Chriſti, diſputant circa hunc locum Commentatores de poteſtate, quam Chriſtus habuit tum in res ſpirituales, tum in res temporales: vnde mouetur

DVBIVM PRIMVM

Vtrùm Chriſtus tanquam ſupremus Eccleſiæ Pontifex habuerit poteſtatem, excellentia in illam?

Reſpondetur: Chriſtus Dominus, in quantum ſummus Sacerdos, habuit ſupernaturalem poteſtatem excellentiæ in vniuerſam Eccleſiam. Ita communiter D D. in Quartum diſt. 1. & colligitur ex D. Thoma infrà q. 59. & 64. art. 3. & 4. & quod ad rem attinet, eſt doctrina certa De fide. 23

Probatur Primò in communi: ex Scripturis, Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo,* inquit Chriſtus, Ioan. 13. *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus,* Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra;* ergò &c.

Probatur Secundò, deſcendendo ad particulares actus ſupremæ & excellentiſſimæ poteſtatis in aliquod Regnum aut Communitatem: hos enim omnes Chriſtus circa Eccleſiam exercuit: Nam ipſe inprimis Eccleſiam noui Teſtamenti condidit: Matth. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ipſe rex eius Paſtor, & Doctor fuit: leges præſcripſit, quibus ſe regere & regi debeat: Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius:* Eſech. cap. 34. *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum:* Matth. cap. 9. *Et circuibat* IESVS *omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſynagogis ipſorum, & prædicans Euangelium regni:* Marci cap. 4. *Et iterum cœpit docere ad mare,* &c. *& dicebat illis in doctrina ſua:* Matth. c. vlt. *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis;* tulit igitur Chriſtus leges & mandata noui Teſtamenti, vnde apud Iſaiam cap. 33. de illo dicitur: *Dominus legiſer noſter, Dominus Rex noſter.* 24

Ipſe præterea peccata hominibus remiſit: Marci. 2. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua,* & vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: *Dico tibi: ſurge,* &c. Lucæ c. 7. 25

Dixit

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.
Ipſe Hierarchicum Eccleſiæ ordinem
inſtituit, iuriſdictionis poteſtatem contu-
lit, & diuerſa gratiarum dona Eccleſiæ di-
ſtribuit: Ioannis cap. 21. *Paſce oues meas, paſ-
ce agnos meos*, ad Epheſ. cap. 4. *Vnicuique
noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram
donationis Chriſti*, &c. *& ipſe dedit quoſ-
dam quidem Apoſtolos*, &c. *alios autem Paſto-
res, & Doctores, ad conſummationem ſancto-
rum in opus miniſterij, in ædificationem corporis
Chriſti.* Similia habentur 1. ad Cor. 12. &
2. ad Cor. 13. *An experimentum quæritis eius,
qui in me loquitur Chriſtus:* & paulò infra:
*Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius
agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus
dedit mihi in ædificationem, & non in deſtru-
ctionem.*

Ipſe nouum ſacrificium, & noua Sa-
cramenta inſtituit, quorum virtute, &
applicatione gratia infunditur, peccata
remittuntur, augentur iuſtitia & cæteræ
virtutes: Matth. cap. 26. *Hoc facite in meam
commemorationem*, Ioannis cap. 3. *Niſi quis
renatus fuerit ex aqua. & Spiritu Sancto* &c.
Matth. cap. vlt. *Ite, & docete omnes gentes*,
&c. Ioannis cap. 20. *Accipite Spiritum San-
ctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur
eis*, &c. Ac in Conc. Trid. Seſſ. 7. defini-
tum eſt omnia Sacramenta à Chriſto Do-
mino inſtituta eſſe.

Ipſe poteſtatem habuit vices ſuas alteri
committendi: & dum corporalem, ac viſi-
bilem ſuam præſentiam hinc ſubtraheret,
de facto alteri commiſit, quando dixit Pe-
tro, *Paſce oues meas.*

Ipſe denique perpetuam eius curam, &
protectionem ſuſcepit, ac habere pro-
miſit Matth. cap. 18. *Ego dico tibi*, &c.
Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, &
alibi; *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummatio-
nem ſæculi.* Ratione igitur huius poteſtatis,
ipſe rex eſt Eccleſiæ, & Eccleſia regnum
eius, quod toties illi in ſcripturis promitti-
tur *Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regna-
bit rex.* Lucæ cap. 1. *Dabit illi Dominus ſedem
Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in
æternum*, & apud Mat. c. 2. ex Propheta, *Ex
te enim exiet dux qui regat populum meum Iſraël.*
Ratio principalis huius Chriſti poteſtatis
eſt diuina voluntas, cui placuit conferre
Chriſto tantum Sacerdotium cum tanta
amplitudine poteſtatis. Conuenientiæ ve-
rò ſunt, quod Chriſtus ſit perſona diuina,
& licet ſecundùm humanam naturam ſit
Sacerdos, tamen ſimul eſt Deus: vnde ad
Hebr. 7. dicitur Pontifex excelſior cælis
factus, & ratione vnionis humanitatis eius
cum Verbo, maximè decebat, illi attribui
tam excellentem poteſtatem. Deinde hæc
poteſtas per ſe opportuna erat, & quodam-
modo neceſſaria illi, qui eiuſmodi regnum
ſpirituale, vt eſt noui Teſtamenti Eccleſia,
erigeret, gubernaret, & in perpetuum con-
ſeruandum ſuſciperet.

DVBIVM SECVNDVM.

An Chriſtus vt homo habuerit aliquod regnum temporale?

RESpondeo, & dico primò: Chriſtus vt 26
homo pleniſſimã habuit poteſtatem,
non tantùm in ſpiritualibus, ſed etiam in
temporalibus, in quantum facultas de his
diſponendi, neceſſaria erat ad conueniens
regimen regni ſui ſpiritualis, & ad huius
regni finis, qui ſupernaturalis eſt, conſecu-
tionem. Ita à Victoria relect. 1. de poteſta-
te Eccl. q. penult. Soto in 4. d. 25. q. 2.
art. 1. & 4. eſtq; omnio certiſſima, & com-
munis doctrina: quæ neceſſariò debet præ-
ſupponi doctrinæ de indirecta poteſtate
Pontificis Vicarij Chriſti in reges, & re-
gna terrena: ex quâ huius explicationem,
& confirmationem maiorem petendam re-
linquimus.

Dico ſecundo, Chriſtus ratione origi-
nis, quàm ducebat à Dauide, non erat hæ- 27
reditario iure Rex vniuerſalis totius orbis,
ſed neque Iudeæ tantùm.

Prior pars per ſe euidens eſt: quia ne-
que Rex Dauid, neque aliquis ex eius pro-
genitoribus poſt factam dominiorum ſepa-
rationem, fuit dominus totius mundi. Po-
ſterior pars eſt Waldenſis lib. 2. doctrina-
lis fidei cap. 76. & 77. à Victoria, Soto ſu-
pra, & aliorum contra nonnullos. Sed quas
hi pro ſe allegant Scripturas, vt eas quas
modò citauimus, *Suſcitabo Dauid germen iu-
ſtum*, &c. *Ex te exiet Dux*, &c. & aliæ ſimi-
les, omnino agunt de ſpirituali Chriſti re-
gno, quemadmodum S. Patres communiter
intelligunt: & altera expoſitio Iudæorum
errori fauet, qui prætendunt regnum Meſ-
ſiæ fore temporale, magnificum, & ſplen-
didum ſecundum ſæculum.

Probatur itaque amplius Concluſio- 28
nis ſecunda pars: quia non allegatur ali-
quod fundamentum ſolidum ex Scriptu-
ris, vel ex antiquis Eccleſiæ Scriptoribus
de eiuſmodi temporali regno, quod iure
hæreditariæ ſucceſſionis Chriſto debitum
fuiſſet: nam inprimis non ſatis conſtat, an
Beata Virgo per Salomonem, an per
Nathan ex Dauide deſcenderit, vt refert
Suarez Diſput. 48. Sect. 1. Deinde vt po-
natur deſcendiſſe per Salomonem, & ali-
quot Reges ſubſequentes, tamen de Ie-
chonia ſcribit Hier. cap. 22. *Nec erit de ſe-
mine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, &
poteſtatẽ habeat vltra in Iuda.* Vbi ſignificatur
quod poſteritas Iechoniæ, ſiue aliquam ſit

habiturus, ſiue non, ſaltem non ſit ſucceſſura in regnum Dauid patris ſui, ſed regno ſit ptiuanda; ergò tametſi poneretur Beata Virgo deſcendiſſe per Reges etiam per ipſum Iechoniam, non tamen ſequitur regnum illi fuiſſe debitum: accedente potiſſimum eo quod nullâ ratione conſtet Beatam Vitginem continuâ deductione ſemper ex primogenitis filijs à Iechonia vſque ad parentem ſuum ducere originem: atque ita videtur ſine fundamento aſſeri, Chriſtum iure hęreditario fuiſſe regem Iudęę.

29 Dico Tertiò: Chriſtus vt homo non eſt quoque ſic à Deo conſtitutus Rex & dominus mundi, vt ipſo veniente Reges omnes & domini temporales fuerint priuati regnis & dominijs ſuis, mutatique ſint in Vicarios Chriſti hominis quoad regimen tegnorum ſuorum: ſed perſeuerarunt eſſe veri & ptoprij domini rerum ſuarum vt prius. Probatur ex illo Chriſti Ioannis 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & alibi, *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Quibus ſatis declarat ſe non veniſſe, vt aſſumeret regna & iura temporalia eo modo quo ab alijs obtinentur & poſſidentur, aut cum ipſorum priuatione & excluſione. Vnde & Eccleſia canit, Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia: & Ioannes XXII. in Extrauag. Cum igitut nonnullos, de Verbotum ſignificat. dicit, Chriſtum paucarum rerum habuiſſe dominiũ, puta dominium communis rationis & ordinis, quod ſcil. aliorum dominium ſecum non patitur in ijſdem rebus; non igitur habuit omnium rerum totius mundi tale dominium, quod proprietatem dominij ab alijs excludit.

30 Dico Quattò: Probabile nihilominua eſt, Chriſtum vt hominem habuiſſe dominium qnoddam directum & abſolutum in omnia regna mundi, & in omnia regna tẽporalia, ita vt ſine iniuſtitia & abſque iniuria cuiuſquam poſſet de illis diſponere, & ea transferre, ſi iure ſuo vti voluiſſet: quod tamen dominium, eſt dominium excellentiæ & ſuperiotis ordinis, non excludens vulgare dominium humanum aliorum, ſed illi quaſi prædominatut: & alterũ huic ſubordinatũ eſt. Citatur pro hac Cõcluſione D. Th. lib. 5. de regimine Principum cap. 22. Antoninus 3. p. Tit. 3. cap. 2. Almainus de poteſtate Eccleſiæ, cap. 8. Turrecremata ſummæ eccleſ. cap. 8. Henriquez de fine cap. 25. in Gloſſa, Ianſenius cap. 47. ſuæ concordiæ, & alij recentiores.

Pro intelligentia notandum eſt, quod ſicut Deus ſupremum & abſolutiſſimum habet dominium in tes omnes creatas, non excludens vulgarem rationem dominij hominum particularium, ſic potuiſſe quoque Deum Patrem communicare peculiarem quandam dominij rationem Chriſto vt homini, non quidem omnino eiuſdem ordinis cum dominio diuino (quod abſolutè independens eſt, & proinde in illa ſua perfectione non communicabile creaturæ) ſed neque eiuſdem tationis cum vulgari dominio creaturæ rationalis: aſt medij ordinis, & tale, quod cum vtroque poteſt conſiſtere: nulla enim in hac dominij ratione apparet repugnantia, neque vlli Chriſti perfectioni contrariatur, ſed potius ad eam ſpectare videtur, vt ex infrà dicendis magis patebit.

Probatur Primò ex Scipturis: Apoc. 31
cap. 1. Chriſtus dicitur *Princeps Regum terra: qui dilexit nos & lauit nos*, &c. Vbi ex adiunctis parer, quod de Chriſto homine ſit ſermo: Apoc. 19. habet *In fæmore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium*, Matth. 19. oſtendit Chriſtus ſimpliciter ſe non eſſe ſubiectum, & ptoinde ſecundum neutram naturam, tributis & imperijs regum temporalium, Matth. cap. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, quæ verba tractans D. Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 47. dicit, Chriſtum omnium accepiſſe poteſtatem à Patte, quando Verbum caro factum eſt, Vt quemadmodum in cælis, inqnit, principatum habuit Verbum Dei, ſic & in terra haberet principatum, quoniam homo iuſtus qui peccatum non fecit: quibus ſatis declarat Irenæus ſe intelligere Chriſto vt homini traditam eſſe abſolutam poteſtatẽ in omnia terrena, ſicut Verbum habuit abſolutum principatum in cælis: & apertius Ianſenius cap. 47. citato ad verba iam allegata: Itaque ſenſus huius ſententiæ eſt, inquit, omnium rerum poteſtas, & diſpenſatio mihi tradita eſt à Patre meo, omniaque meæ poteſtati & voluntati ſunt ab illo ſubiecta: & paulò infrà: Iam quod dicuntur omnia tradita Filio à Patre, quanquam poſſit intelligi de filio ſecundum eius diuinitatem ab æterno videlicet per generationem: tamen rectius intelligimus his ſententijs ſignificari omnia filio tradita ſecundum ipſius humanam naturam diuinitati vnitam in vnitate perſonæ: Ioannis 3. *Omnia dedit in manus eius*, ſimilia habentur cap. 13. & apud Matth. cap. vlt. Vnde quidam exiſtimant, iure huius dominij Chriſtum feciſſe exareſcere ficulneam, & miſiſſe dæmones in porcos, qui illos in mare præcipitabant. Fauent huic doctrinæ SS. PP. Cyrillus lib. 12. in Ioannem c. 10. & 12. Chryſoſt. Homil. 82. in Ioannem. D. Aug. Tract. 14. in Ioannem, & Greg. Homil. 8. in Euangelia. Sed

Obijcitur

32 Obijcitur Primò: Videtur admittere Chriſtus Pilatũ habere in ſe poteſtatem, Ioannis 8. ergò &c. Reſpondetur, non admittere quod habeat in ſe poteſtatem iuriſdictionis: ſed facultatem diuinitùs permiſſam ſæuiendi in Chriſtum, & morte afficiendi: vnde dicit Chriſtus: ***Non haberes poteſtatem aduerſus me:*** hanc autem voluit Deus permittere, ad redemptionem & ſalutem generis humani.

33 Obijcitur Secundò: Lucæ 12. cum difficultas eſſet inter fratres de temporali hæreditate, & Chriſtus interpellaretur, Reſpõdit ipſe, *Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem ſupra vos?* non fuit igitur à Patre conſtitutus Rex & dominus vniuerſalis ſuper temporalibus. Reſpondetur: Non negat Chriſtus ſe habere auctoritatẽ, ſi vellet vti poteſtate excellentię: ſed tantũ ſignificat ſe non conſtitutum, vt faciat officia inferiorum iudicum, neque ſe velle munus illud, aut exercitium aſſumere.

34 Obijcitur Tertiò: Omnia quæ allegata ſunt pro hoc Chriſti dominio, poſſunt intelligi de poteſtate Chriſti ſpirituali: quatenus etiam indirectè ad temporalia ſe extendit. Reſpondetur, quod modus loquendi Scripturæ, & Chriſti de poteſtate ſibi datâ à Patre magis ſignificent eam eſſe abſolutam & vniuerſalem: & quidem talem, vt ratione illius, non tantùm Sacerdos & Pontifex per ſe, ſed etiam Rex per ſe denominetur & ſit: quemadmodũ & Melchiſedech eius typus, ſimul fuit Sacerdos & Rex ſecundum diſtinctas poteſtates: ſi autem ſolum indirectè Chriſtus haberet poteſtatem in temporalia, iam dignitates Sacerdotis & Regis in Chriſto diſtinctæ non eſſent. Deinde, non potuiſſet liberè diſponere de rebus omnibus: ſed tantùm quatenus neceſſitas boni ſpiritualis exigeret: quod non videtur Chriſti dignitati & excellentiæ ſatis amplè correſpondens: quãdoquidẽ Chriſtus ſit filius naturalis, & hæres vniuerſorũ. Vnde & ratione vnionis ex connaturali proportione, debetur illi directè & per ſe poteſtas in res omnes creatas, & nõ tantùm indirectè & quaſi ex accidente.

Obijcitur Quartò & vlt. Videtur per illud dominium obſcurari virtus voluntariæ paupertatis Chriſti; ergò non eſt ponendum. Reſpondetur Neg. Aſſumptum: nam vt dicit Suarez Tomo 1. in 3. Partem Diſp. 48. ſect. 2. ad eam ſatis fuit: carere dominio illo terreno vulgari, & ſplendore externo, & rerum temporalium affluentia: atque adeò ad res temporales ita ſe habere, quaſi in illas ius nullum habuiſſet: non autem fuit neceſſariũ priuari ipſum dominio excellentiæ, non magis quàm fuerit neceſſarium ipſum priuari virtute miraculorum quâ ſibi poterat omnia comparare. 35

Idem docet Henriquez loco citato, vbi ſic ſcribit, Chriſtus renuntiauit ſponte vſui bonorum factus pauper: (prout docet Apoſtolus 2. ad Cor. cap. 8.) ſed ad honorem humanitatis retinuit proprietatem & dominium vniuerſale.

QVÆSTIO XXIII.

De adoptione Chriſti.

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTIC. I. II. & III.

Vtrùm Deo conueniat filios adoptare?

Vtrùm adoptare conueniat toti Trinitati? &,

Vtrùm adoptari ſit proprium rationalis creaturæ?

1 NOtandum, Adoptionem communiter deſcribi, Perſonæ extraneæ in filium ſiue nepotem, gratuitam aſſumptionem. Vbi perſona extranea cenſetur, quæ illo coniunctionis gradu caret, ad quem aſſumi dicitur. Neque enim neceſſarium eſt, quod totaliter à ſanguine adoptantis ſit alienus: nam & auus nepotem in filium adoptare poteſt: vt patet Tit. de Adop. in Inſtit. & Mardochæus Æſther filiam fratris ſui ſibi in filiam adoptaſſe ſcribitur. Dicitur autem aſſumptio gratuita: nam ſi fieret titulo oneroſo, perderet rationem adoptionis, & indueret naturam venditionis, aut retributionis præmij promeriti, aut alterius contractus oneroſi: filius namque ius ad hæreditatem habet abſque ſuo onere. Debet etiam conſenſus adoptari accedere, vel ſi nondum ad vſum rationis peruenerit, ſaltem conſenſus parentis, tutoris, aut principis: quæ quidem conditio non ſolùm in deſcriptio-

Digitized by Google

deſcriptione exprimi, forſitan quia ſupponitur conſenſus ille non de facili abeſſe, quandoquidem adoptio fiat potiſſimùm in fauorem adoptati. Simpliciter tamen conſenſus iſte requiritur: & quando is qui adoptatur ſui eſt iuris, & ſuo ſolius conſenſu adoptatur, tum illa adoptionis ſpecies, Adrogatio vocatur l. 2. ff. de Adoptionibus. His præmiſſis ſit

2 Conclvsio Prima: Rectè Deo attribuitur adoptare ſibi filios. Eſt Diui Thomæ hîc art. 1. & certa.

Probatur Primò ex Scripturis ad Rom. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater:)* ad Epheſ. cap. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum:* ad Galat. cap. 4. *Vt adoptionem filiorum reciperemus;* quandoquidem ergò ſecundum Scripturam hominibus conuenit accipere à Deo ſpiritum adoptionis, in quo verè clamemus, Abba pater, dicendum eſt quoq; conuenire Deo adoptare nos in filios.

Probatur Secundò ex ratione adoptionis: quia Deus ex bonitate ſua gratuitò aſſumit aliquas creaturas ad participationem ſuæ æternæ beatitudinis, quæ eſt hæreditas Domini, tribuendo eis ius ad illam, ad quam extraneæ erant: quia ex naturæ conditione nihil ad illam iuris habebant: idque ipſorum fit conſenſu, ſi vſum rationis habeant: vt patet ex materia de Iuſtificatione, aut conſenſu parentum vel Eccleſiæ, ſi ad vſum rationis non peruenerint.

3 Notandum hîc Primò: Æternam Dei beatitudinem meritò cenſeri nomine hæreditatis: quia hæreditas apud homines, materialiter loquendo, ſunt omnia bona illa cum quibus, in quantum eſt ex parte ipſorum, bene eſt habentibus & poſſidentibus illa: ac ſimul talia ſunt, vt poſſint ad alios tranſmitti aut alijs communicari: Vnde quod ſcientia & virtutes paternę in humanis, non habeantur pars hæreditatis, ſolùm fit, quia non poſſunt, ſiue in vita, ſiue poſt mortẽ ad poſteros tranſmitti, cum alioquin per ſe ſint bona, quæ potiſſimùm nomine hæreditatis comprehenderentur, ſi in alios transferri poſſent. Quare bona illa vel maxime merentur nomen hæreditatis, quibus quis abſolutè efficitur beatus, quando illa poteſt in alios tranſmittere, quemadmodum Deus poteſt nobis ſuum bonum communicare.

4 Notandũ ſecundò: Plures eſſe differentias inter adoptionem diuinam, & inter humanam: nam hæc fit per ſolam extrinſecã aſſumptionem, non autem confert aliquod eſſe internũ adoptato, in quo fundetur ius ſeu qualificatio aut proportio eius ad hęreditatem; illa verò, ſcil. diuina, fit per collationẽ doni intrinſeci ſcil. nouæ & ſupernaturalis formæ, quâ is qui adoptatur, inprimis redditur dignus & proportionatus ad hæreditatem cœleſtem percipiendam, quatenus per hanc formam efficitur conſors diuinæ naturæ: & ſic Deo adoptanti quodammodo in natura aſſimilatur. Deinde per eandem ius ei tribuitur ad hæreditatem Domini, ſic vt titulo filiationis adoptiuæ ex iuſtitia debeatur illi hæreditas, quãdiu in ſtatu illo perſeuerat.

5 Hinc ſequitur aliud diſcrimen, puta quòd adoptio humana nullam habeat rationem phyſicæ aut realis generationis: quia fit ſolùm per gratuitam acceptationẽ extrinſecam, & per iuris ad hæreditatem attributionem: in his enim extrinſecis conſiſtit ratio filij adoptiui apud homines; aſt verò diuina adoptio participat quandã rationẽ phyſicæ generationis: quia ratio filij adoptiui in ordine ad Deum, primò & principaliter conſiſtit in participatione Eſſe diuini, quod per hanc adoptionem confertur & inditur Adoptato à Deo: ratione cuius etiam dicimur conformes fieri imaginis filij ſui: ad quod Eſſe, ſiue ad quod conſortium naturæ diuinæ conſequitur, ſiue comitatur ius ad hæreditatem Patris cœleſtis. Vnde Ioannes c. 3. epiſt. 1. ſcribit, *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus:* non tantùm ſcilicet extrinſecè nominemur, ſed intrinſecè per nouum & diuinum Eſſe nobis infuſum, etiam verè ſimus.

6 Ex dictis intelligitur, adoptionem diuinam conſiſtere in gratuita iuſtificatione, ſiue iuſtitiæ infuſione: vnde & iuſtificatio in Scripturis nomine nouæ generationis, nouæ natiuitatis, regenerationis, nouæ creaturæ ſolet exprimi. Patet Iacobi 1. c. ad Titum 3. 1. Petri cap. 1. & alibi. Iuſtificati quoque dicuntur ex Deo nati, Ioan. cap. 1. & alibi.

Tertium diſcrimen hîc annotatum per D. Thom. ad Tertium eſt: Quod adoptio humana ad hoc ordinetur, vt filius patri ſuccedat in hæreditate: de ratione autem ſucceſſionis eſt, vt altero decedente aut deſerente hæreditatem, alius accedat; at verò adoptio diuina non ordinatur ad ſucceſſionem, ſed ad participationem eiuſdem hæreditatis. Eſt enim hæc ſpiritualis hæreditas, inquit Auguſt. Tract. 2. in Ioannem, quæ non fit anguſta, ſi multi eam poſſederint: neque id adoptionis proprietati repugnat, ſed indicat infinitum eſſe bonum illius hæreditatis, ad quam creatura adoptatur.

7 Conclvsio Secunda: Adoptare eſt totius Sanctiſſimæ Trinitatis. Eſt D. Th. hîc art. 2. & probatur, quia conſiſtit in opera-

Digitized by Google

operatione ad extra, videlicet in gratiæ infuſione in creaturam rationalem: vt ex dictis patet; atqui omnis operatio ad extra, communis eſt toti Trinitati; ergò &c.

Obijcitur: Adoptans ſecundum leges humanas, debet eſſe aptus eſſe ad generandum: vt habetur Inſt. Adop. §. Maiorem; atqui Filius & Spiritus S. non generant generatione naturali; ergò neq; poſſunt filios adoptare. Reſp. Aſſump. illud non eſſe vniuerſaliter verum: nam & ſteriles non prohibentur legibus adoptare; imò contrarium potius dicendum eſt: vt patet loco cit. §. Sed & illud: quãuis ab hac generali regula excludantur nonnulli, quos ob certam imperfectionem dedecere videtur poſſidere nomen patris, ac dici habere filios: vt qui habent defectum ætatis in ordine ad illos, quos adoptare vellet; aut ex vtero nati ſunt eunuchi: in Filio autem & Spiritu S. nulla eſt imperfectio, vt qui ab æterno antecedunt omnem creaturam rationalem, ac etiam virtutem habent productiuam creaturæ, non quidem generatione propriè dictâ, ſed creatione: Vnde in illis non militat ratio ob quam minus poſſint dici adoptare creaturam in filios. Accedit quod habeant eandem naturã cum Patre fœcundam quâ Pater generat, quamuis Filius & Spiritus S. non generẽt. Deniq; quod quidã nõ poſſint adoptare, factum eſt lege poſitiuâ ob certas congruentias, quas iam oſtendimus in Filio & Spiritu S. non habere locum: nõ autem id oritur ex ipſa adoptionis ſubſtantiali ratione.

8 CONCLVSIO Tertia: Sola creatura intellectualis adoptari poteſt in Dei Filiũ, non tamen ſoli homines, ſed etiam Angeli. Probatur pars prior: quia illa creatura ſola poteſt adoptari in FiliũDei, quæ capax eſt beatitudinis Dei, ſiue diuinę hęreditatis; atqui ſola creatura intellectualis eſt huius capax: vtpote quę conſiſtit in clara Dei viſione, amore beatifico, ac his mediantibus in ſummi boni beatâ fruitione. Vnde quia non ſoli homines huiuſmodi bonorum capaces ſunt, ſed & Angeli, idcirco & hi in filios Dei adoptari poſſunt, atq; adeo omnes Angeli ſancti filij Dei adoptiui ſunt: quatenus gratis Deus illis iuſtitiam donauit, & diuinæ fecit conſortes naturæ, ac ad participationem ſuæ beatitudinis admiſit: & ſic patet pars poſterior.

Petes Primò: Vtrùm iuſti qui fuerunt ſub antiquo teſtamento, fuerint quoque verè & propriè filij adoptiui?

9 Ratio dubitandi eſt: quia Scripturę citatę videntur ſignificare ſpiritum adoptionis filiorum Dei eſſe proprium nouo Teſtamento: ſicuti è contra ſpiritus timoris & ſeruitutis fuit teſtamenti veteris.

Reſpondetur antiquos SS. PP. ſub lege antiqua etiam verè fuiſſe adoptionis filios: vt patet ex dictis de ratione adoptionis. Ad Scripturam verò dicendum eſt, quod ipſa adſcribat ſpiritũ adoptionis filiorum Dei nouo Teſtamento, non præcisè tempori, ſed virtuti & gratiæ noui Teſtamenti, quarum etiam participes fuerunt omnes quotquot Deo placuerunt ante teſtamentum nouum exhibitum. Vide D. Aug. lib. 3. contra 2. epiſtolas Pelagij cap. 4. vbi docet, eos pertinuiſſe ad vetus teſtamentum, qui ex metu pœnæ duntaxat obſeruabant legem, & præmia terrena ac caduca ſectabantur inhærentes litteræ legis, ſpiritum autem non apprehendentes: eos autem etiam tempore veteris legis ad nouum teſtamentum pertinuiſſe, qui per fidem in Chriſtum, conſecuti ſunt iuſtitiam, & ſic hæredes conſtituti. Adſcribitur tamen etiam peculiariter ſpiritus adoptionis tempori nouæ legis: quia hoc tempore virtus, & gratia noui Teſtamenti copioſiùs, ac in omnes gentes diffuſa ſunt: Deinde, quia ipſa quoq; adoptio modò perfectior eſt: nunc enim non tribuit tantùm ius ad hæreditatem, ſed etiam ſtatim à morte mittit in poſſeſſionem, quod non præſtabat donec veniret plenitudo temporis: quia nondum Sanctorum via propalata erat, tabernaculo priore adhuc ſtatum habente, vt docet Apoſt. ad Heb. 9. Prҽterea, quia modo liberat ab obligatione legis veteris, quod non faciebat ante legem nouam introductam.

Petes Secundò: An etiam reprobi, ſiue præſciti vt alij loquuntur, ſint verè filij 10
adoptiui pro tempore quo ſunt aliquando iuſtificati? Ratio dubitandi eſt: quia nunquam videtur Deus habuiſſe voluntatem admittendi illos ad ſuam hęreditatem. Deinde, D. Aug. de Correpr. & gratiâ cap. 9. docet, quoſdã eſſe apud Deum filios Dei, & non apud homines, vt peccatores qui aliquando conuertentur, & ſaluabuntur: alios autem apud nos eſſe, & non apud Deum: vt iuſti qui peruertentur.

Reſp. Reprobos pro illo tempore quo iuſti ſunt, verè eſſe filios Dei adoptiuos: quia verè per gratiam ſibi collatam ius ad cœleſtem habent hæreditatem. Nec obſtat, quod Deus voluntate abſolutâ & conſequente non velit eos admittere ad hæreditatem, eo quod præſciat quod ipſi ſe ſuâ culpâ reddent indignos, ac ſpiritum adoptionis à ſe expellent: quia vt verè filij Dei adoptiui ſint, ſufficit, quod ipſe ſpiritũ ſuum & participatum Eſſe ſuæ naturæ in fundendo, tribuerit illis ius filij ad ſuam hæreditatem, & voluntate antecedente aut conditionatâ velit illos ad hæreditatẽ ad quam ius, vt filij habent, admittere: ſi videli-

ſi videlicet in gratia ſibi conceſſa perſeuerent, & conſortium non amittant diuinæ naturæ, prout eos perſeuerare deſiderat: Nam & in bono illos volebat procul dubio manere, inquit Aug. cap. citato. Quod & in humanis habet locum: nam filius adoptiuus non ideo non eſt verè adoptatus, quod fortaſsè propter ſuam culpam, poſt-
11 modum ab hæreditate ſit reijciendus.

Quod ergò ad Aug. attinet, fatetur ipſe ibidem clarè, reprobos iuſtificatos eſſe filios Dei: ſic enim ait, Nec vos moueat, quod filijs ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeuerantiam: vbi eos filios vocat. Quando igitur dicit tales non eſſe filios Dei, loquitur tunc de eiuſmodi filijs qui abſolutè ſunt filij promiſſionis, & in memoriali Patris, (vt ibidem ait) inconcuſsâ ſtabilitate ſunt inſcripti, quia in æternum permanſuri erunt filij: & hos quaſi per antonomaſiam peculiariter dicit filios: idque non ſolùm antequã renati, ſed etiam antequam nati ſunt: non quod actualiter ſint filij pro tunc, ſed per ampliationem: quia eos dicit filios Dei, præſcientiâ Dei: vt eodem cap. ſe explicat Auguſt.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Chriſtus ſecundũ quod homo ſit Filius Dei adoptiuus?

12 OBſeruandum eſt, Plures in Chriſto poſſe conſiderari rationes filiationis ſecundum quas verè eſt, aut ſaltem apprehendi poteſt, eſſe Filius, generaliter loquendo. Prima eſt, æternâ generatio Verbi, qua ex Deo Patre gignitur: de qua in prima Parte agit D. Th.

Altera, eſt generatio quâ natus eſt homo in tempore ex Virgine.

Tertia ratio filiationis conſiderari poteſt eſſe gratia vnionis hypoſtaticæ: nam Chriſtus homo ratione huius videtur dicendus peculiari modo Filius Dei: quia ponit in illo eſſe intrinſecum & ſubſtantiale, ſiue ſubſiſtentiale, à quo habet quod ſit ſanctus, Deo acceptus, atque adeo quòd ius illi competat ad hæreditatem cæleſtem, etiam ſecundum humanam naturam, ſiue in humana natura.

Quarta ratio filiationis poſſet in Chriſto cogitari eſſe gratia habitualis, quâ anima eius formaliter eſt ſancta & Deo grata. His præmiſſis ſit

13 Conclvsio Prima: Chriſtus vt Verbum Patris, eſt verè & propriè Filius Dei naturalis. Patet, quia vt Verbũ, generatione verâ & propriè dictâ ab æterno ex Patre eſt genitus: Eſtque hæc certa de Fide contra Arianos, qui quia ponebant Verbum Patris eſſe creaturam factam à Deo (quantumuis primam & nobiliſſimam) hinc etiam negabant Chriſtum vt Verbum Patris, atque adeò ipſum Verbum eſſe naturalem & conſubſtantialem Filium Dei Patris, contra quos latiùs egimus in 1. Parte. Quod autem de Chriſto vt eſt Verbum Patris dicimus, aſſerendum idem eſt de Chriſto abſolutè poſito, videlicet quod Chriſtus ſit verè & propriè Filius Dei naturalis ab æterno ex Patre genitus: quia cum Chriſtus dicat perſonam Filij Dei ſubſiſtentem in vtraque natura, hinc de illo abſolutè poſito dicuntur, quæcunque perſonæ conueniunt ratione vnius vel alterius naturæ.

Conclvsio Secunda: Etiam hæc propoſito eſt vera: Hic homo, demonſtrato 14
Chriſto, ſiue Chriſtus homo eſt Filius Dei ab æterno ex Patre natus. Declaratur, quia ſicuti per communicationẽ idiomatũ verè dicitur: Hic homo eſt Deus: Hic homo eſt Verbum Patris, ſic de eodem bene dicitur, quod ſit Filius Dei naturalis ab æterno ex Patre genitus: ſicut & è contra quoq; verè dicitur: Verbum Patris eſt naturalis filius Mariæ Matris, licet generatio B. Virginis per ſe primo ſit terminata ad hunc hominem Chriſtum vt compoſitũ ſubſtantiale conſtans hâc humanâ naturâ, & ſubſiſtens perſonalitate Verbi.

Conclvsio Tertia: Hæc propoſi- 15
tio: Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Filius Dei naturalis ſecundum æternam generationem, ſi illud, Secundùm quod homo, nullo modo reſumat naturam humanam, ſed tantùm repetatur ratione ſuppoſiti, vt ſenſus ſit, quòd in Chriſto illud ipſum ſuppoſitum quod humanam hanc naturam ſuſtentat, ſit Filius Dei ſecundum æternam generationem, ſic vera eſt, & certa de fide. At ſi illud, Secundum quod homo, reſumat naturam, vt ſignificetur quod humanitas ſit communicata Chriſto per diuinam generationem, vel quod ab illâ competat ei Ius filij ad diuinam beatitudinem, ſic omnino falſa eſt. Sumitur hęc Concluſio ex D. Th. ſuprà q. 16. ar. 11. vbi hanc non abſimilem propoſitionem, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Deus, exponit in eiuſmodi duplicẽ ſenſum: & in vno dicit eſſe verã, & in altero ſalſam. Patet prior pars ex doctrina, tum de Trinitate, tum de Incarnatione. Et colligitur ex varijs Scripturis, quæ, dum de Chriſto homine agunt, vocant illum abſolutè Filium Dei propter vnitatem perſonæ quæ eſt Chriſti Dei & Chriſti hominis: Matth. 16. *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis.* Reſpondit *Petrus: Tu es Chriſtus, Filius Dei*

viui:

viri: apud Luc. c. 3. de eo qui baptizatur, &
in quem Spiritus S. in ſpecie columbæ de-
ſcendit (quæ conueniunt Chriſto homini)
dixit vox de cœlo: *Tu es filius meus dilectus, in
te complacui mihi*: ad Heb. 1. *Tanto melior Ange-
lis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæ-
reditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum:
Filius meus es tu.* Et in hoc ſenſu rectè & ad
mentẽ ipſorũ ſatis accommodatè accipiun-
tur loqui Concil. Francford. contra Fœli-
cem & Elipandum Neſtorizantes, & Adria-
nus Papa in Epiſtola ſua, quando docent
Chriſtum etiam ſecundum humanitatem
vel ſecundum quod homo; eſſe Filium Dei
naturalem, & non adoptiuum, ſcilicet vt il-
læ particulæ non deſignent formaliter na-
turam humanam, ſeu perſonam humanam
vt ſic, ſed ſolum ſuppoſitum Verbi quod
humanam naturam hypoſtaticè ſuſtentat:
vt ſenſus ſolum ſit, illud ipſum ſuppoſitum
in naturâ humanâ ſubſiſtens eſſe filium Dei
naturalem, nec eſſe aliud ſuppoſitum illius
naturæ: neq; ſuppoſitum illud deſijſſe eſſe
filium Dei naturalem propter vnionẽ cum
humana naturâ. Notat hæc Suarez Diſp.
49. Sect. 1. Licet ipſe intelligat potius
eiuſmodi dici de Chriſto vt homine, ſiue
de illo ſecundum humanitatem, aut ſecun-
dum id quod homo eſt, propter gratiam
vnionis hypoſtaticæ, quam ſupra tertio lo-
co poſuimus, tanquam fundamentum aut
rationem aliquam, ex qua poſſit Chriſtus
intelligi eſſe Filius Dei: quàm eſſe dicta
ſenſu a nobis iam explicato, ſcilicet proxi-
mè propter generationem, quâ ab æterno
Verbum, quod verè ſuppoſitũ eſt huius ho-
minis, gignitur. Sed de iſtis mox dicemus.

Interim ex dictis hoc diſcimus, quam-
uis terminus ille, Secundum quod homo
ſic reſumptus magis propriè teneatur pro
naturâ, quã pro ſuppoſito, vt docet D. T.
ſup. q. 16. a. 11. cit. & proindeque etiã hęc
magis ſit neganda, Chriſtus ſecundũ quod
homo eſt filius Dei naturalis ſecundum ex-
ternam generationem, quam affirmanda,
quod nihilominus diſtinctio adhibita non
ſit tanquam inutilis reijcienda, tum quod
ſeruiat ad quædam dicta antiquorum rite
intelligenda, tum etiam quod valeat ad ſi-
gnificandum, non aliud eſſe ſuppoſitũ hu-
manæ naturæ Chriſti præter filium Dei na-
turalem, & Patri conſubſtantialem, contra
Neſtorianos, in Chriſto perſonas diuidẽtes,
& ad profitendum illam vnam perſonam
in Chriſto eſſe verum, & conſubſtantialem
Dei Filium contra Arrianos, qui vnam per-
ſonam, videlicet Verbi, in Chriſto pone-
bant: ſed vt diximus, docebant perſonam
16 illam eſſe creaturam.

Poſterior Concluſionis pars ſatis eſt ma-
nifeſta: & declaratur breuiter: nam huma-
na Chriſti natura in tempore eſt producta,
neque Deo Patri eſt coæterna, aut ab æter-
no filio Dei hypoſtaticè vnita: vnde ſe-
cundum illam non poteſt Chriſtus eſſe
terminus æternæ generationis ex Patre.
Neque etiam poteſt ipſa eſſentialiter eſſe
beata, quemadmodum Filius ſeu Verbum
Patris, beatum eſt.

Concluſio Quarta: Nullatenus ſermo- 17
ne abſoluto dici poteſt Chriſtus eſſe filius
Dei adoptiuus. Probatur Primò: quia ne-
que in Scripr. neq; à Concilijs, aut SS. PP.
ſic appellatur: & ſi qui dixerint Chriſtum
eſſe filium Dei adoptiuum, ab Eccleſia re-
iecti ſunt & damnati, vt Arriani, Neſtoriani,
& poſtmodum quidam Felix, & Elipandus
epiſcopi hiſpaniæ. Vnde benè obſeruat D.
Auguſtinus Tract. 21. in Ioannem, nun-
quam auditum eſſe de ore Domini noſtri
Ieſu Chriſti, cum ad diſcipulos loquere-
tur, dixiſſe illum de Deo ſummo Patre ſuo,
Pater noſter, ſed, Pater meus, aut, Pater
veſter: Vbi & præmittit: Non tamen ſicut
Chriſti pater, ita noſter pater; ille enim fi-
lius æqualis Patri, ille æternus cum Patre:
nos autem facti per filium, adoptati per
vnicum. Hilarius lib. 6. de Trinit. Nun-
quid etiam adoptionis in eo erit nuncupa-
tio, in quo proprietatis eſt nomen? & In-
noc. Capitulo, In quadam: De Celebrat.
miſſarum dicit, erraſſe eos qui Chriſtum
dixerunt adoptiuum: Conc. Francf. In Dei
Filium non cadit nomen adoptionis, in-
quit: quia ſemper verus filius, & poſt aſſum-
ptum hominem, veri filij vocabulum non
amiſit, qui nunquam verus deſijt eſſe filius.

Probatur Secundò, Diſcurrendo per 18
modos omnes, quibus ſermo iſte videri
queat poſſe verificari: quia vel ſubiectum
propoſitionis intelligitur ſupponere pro
perſona Verbi ſecundũ ſe; atqui ſi eo ſenſu
illa dicatur eſſe vera, iam incurritur hęreſis
Arrij: vt patet ex dictis circa primam Con-
cluſ. Vel ſubiectum intelligitur ſupponere
pro perſona Chriſti hominis, quæ dicatur
eſſe perſona diſtincta à perſona Verbi: quo
ſenſu Felix, & Elipan. videntur docuiſſe
Chriſtum eſſe ſeruũ & filium adoptiuum,
vt colligitur ex Conc. Francf. ante alle-
gato: cui præter 300. Epiſc. etiam inter-
fuerunt Legati Adriani Pont. vt refert
Baronius circa annum 794. & idem ſumi-
tur ex epiſt. ipſius Adriani: vbi iſti in ſuis
opinionibus damnãtur: ſcribit enim Papa,
quod adoptiuum filium quaſi purum ho-
minem calamitati humanæ ſubiectum, ipſi
docerent: & Conc. in libello ſacroſyllabo
dicit ipſos hęreſim veternoſam, catholicâ
falce olim funditus detruncatam, ſpinoſo
molimine reſuſcitare, & poſtea addit: Non
duo filij, alius Dei, alius hominis, vt ſicut

illi errando æſtimant, adoptiuus ſit hominis filius, & ſine adoptione Dei Filius. Vide plura apud Suarez diſp. 49. Sect. 3.

19 Ante hos autem inuexit illam hæreſim Neſtorius, vt ibidem indicat Conc. Nonne olim, inquit, eadem hæreſis veſtra in Neſtorio ab vniuerſali Eccleſia S. refutata eſt & damnata? & quãuis hi duo non fuerint diſertis omnino verbis profeſſi errorẽ Neſtorij, docendo expreſsè duas hypoſtaſes ſiue duo ſuppoſita, aut expreſsè inculcando accidentariam coniunctionem inter Filium Dei, & filium hominis: ſed tãtùm adoptionem aut nuncupationem Chriſti ingerendo, tamen ita hanc adoptionem exponebant, vt in re nihil aliud ſentirent, quàm ipſe Neſtorius: quia neque adoptionem illam à noſtra adoptione diſtinguebant, nec illam ſoli humanitati, ſed huic homini attribuebant, quem abſolutè ſeruum, & ex ſeruo adoptiuum factum dicebant. Nec obſtat quod Elipan. in confeſſione ſua agnoſcere videatur in Chriſto vnam perſonã: quia nomintenùs ſolùm agnouiſſe ex alijs eius dictis ſatis conuincitur: quemadmodum & Neſtor. vtebatur vnitate perſonæ: ſed tantummodo propter vnitatem dignitatis & honoris, vt obſeruauit D.Th. ſuprà q. 2. art. 6. quia honor qui exhibetur Filio Dei, coëxhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei, vt ipſe volebat. Vnde & Synodus 6. dicit anathema ijs qui ponunt vnitatem perſonæ ſecundum honoris rationem. Hoc igitur ſecundo modo non poteſt ſubiectum propoſitionis, de quâ diſputamus, dici ſupponere pro perſona ſcilicet Chriſti hominis, quæ ſit diſtincta à perſonâ Filij Dei: quia incurritur hæreſis Neſtorij, ac Felicis & Elipandij.

20 Tertiò poteſt ſubiectum dictæ propoſitionis intelligi ſupponere pro ipſo compoſito ex humanitate & perſonalitate Verbi: nam Chriſtus homo eſt vna perſona cõpoſita, vt dictum fuit, quæ perſona etiam vt ſic compoſita, eſt capax filiationis: nam inprimis hic homo Chriſtus eſt verè filius Virginis Matris: atq; adeo etiam eſt Filius Dei per filiationem quandam, quę primò & per ſe competit iſti ſuppoſito ſic compoſito vt conſtat naturâ humanâ & perſonalitate Verbi: quæ filiatio diuerſa eſt à filiatione quę competit Verbo, quatenus ab æterno genitum eſt à Patre: nam ſicut hoc compoſitum vt ſic, cæpit eſſe in tempore, ſic & iſta filiatio, cum altera ſit ab æterno. Prioris enim fundamentũ eſt gratia vnionis hypoſtaticæ: Poſterioris verò æterna ex Patre generatio. Sed neq; Chriſtus vt ſupponit pro hoc compoſito poteſt dici Filius Dei adoptiuus: Probatur autem hoc primò: quia filius adoptiuus ſupponit perſonam extraneam, quę ius filij non habet ad hęreditatẽ, ad quam ei per adoptionẽ hoc ius tribuitur; atqui Chriſtus vt perſona cõſtans naturâ humanâ & perſonalitate Verbi, non poteſt dici perſona extranea: quia non eſt ibi alia perſona, quàm perſona Verbi, quę non poteſt cenſeri extranea, non ſolùm non in ſuâ naturâ diuinâ per ſe illi propriâ, ſed neq; in humanâ, quam per hypoſtaticam aſſumptionem fecit ſuam: quia dum illam ſic ſuam fecit ſubſtantiali nexu, qualis eſſe ſolet inter perſonam & naturam, fuit ſuppoſitum iſtud compoſitum, ab intrinſeco principio componente Filius Dei; atque adeo ex ſubſtantiali eſſe habuit ius ad hæreditatem: quod non admittit adoptio; ergò &c.

Confirmatur ratione quam hic indicat D. Th. quia non recipitur (id eſt admitti non debet) aliquid dici participatiuè, quod per ſe dicitur. Quod axioma vel maximè locum habet, quãdo prędicatum per participationem dictum, includit imperfectionem intrinſecè repugnantem illi quod eſt per ſe tale, eamq; imperfectionem poſtulat ineſſe toti ſubiecto propoſitionis ſecundum omnia ea quibus conſtat. 21

Hinc enim fit, quod Chriſtus non poſſit dici creatura, multò minus perſona creata: quia ratio creaturæ poſtulat, vt totum ſubiectũ cui tribuitur ſit productum ex nihilo, quod non competit Chriſto; ergò neq; poteſt Chriſtus vt ſupponit pro compoſito ex perſonalitate Verbi & naturâ humanâ, dici Filius Dei adoptiuus: quia in eo importatur quod compoſitum hoc, tam ſecundum perſonalitatem, quàm ſecundum naturam ſit extraneum, & non habens ius ad hæreditatem, quod patet eſſe falſum.

Probatur Tertiò ratione: quia neceſſe eſt, vt is qui eſt filius adoptiuus, prius naturâ ſit, quàm ſit filius reſpectu eius, cuius adoptiuus dicitur; atqui hoc non conuenit Chriſto homini reſpectu Dei; ergò &c.

Probatur inprimis Maior: quia hoc ipſo quo perſona quæ adoptatur in filium, ſupponitur extranea, conſequens eſt, quod illa ſaltem naturâ prius ſit, quàm exiſtat filius adoptiuus: adoptio enim additur illi ad modum accidentis extrinſecùs aduenientis; ergò ſupponit ſuppoſitum ipſum eſſe cui adueniat.

Probatur etiam Minor: Quia Chriſtus non eſt prius naturâ hoc ſuppoſitum vt conſtans perſonalitate Verbi, & hâc humanitate, quàm ſit Filius Dei: quia per ipſam gratiam vnionis quâ conſtituitur in ratione ſuppoſiti humani conſtantis perſonâ Verbi & naturâ humana, cõſtituitur quoque

que Filius Dei; ergò hoc cōpoſitum non fuit vel naturâ prius, quàm fuerit filius; ergò non potuit tanquam perſona extranea adoptari. Sed contrà

22 Obijcitur Primò: Chriſtus vt eſt ſuppoſitum cōſtans perſonâ Verbi & naturâ humanâ, eſt Filius Dei, vt dictum eſt, & indicat etiam hic D. Th. ad Secundum, quando dicit, quod Chriſtus per gratiam vnionis ſit filius; atqui Chriſtus vt tale compoſitum non eſt Filius Dei naturalis: quia ſecundum naturam humanam non eſt Patri conſubſtantialis; ergò vt ſic, debet dici Filius Dei adoptiuus.

Reſpondetur ad Minorem: Si filius naturalis ſtrictiſſimè ſumatur, vt ſolus ille dicatur filius naturalis reſpectu alicuius, qui non tantùm ſecundum ſuppoſitalitaté ſuam, ſed etiam ſecundum naturam ex qua vt ſic, intelligitur cōſtare, eſt natus patri ſimilis in ſubſtantia, ſic quidem compoſitum illud de quo eſt vt ſic ſermo, non diceretur Filius Dei naturalis cum omni illo rigore: quia natura humana Chriſti non eſt eadem cum natura diuina, neq; illi in ſpecie ſimilis; ſi verò nomen filij naturalis aliquantulū ſumatur latius (quod abſq; improprietate ſermonis fieri poteſt) vt etiam ſuppoſitum illud dicatur filius naturalis, quod ex ſubſtantiali Eſſe ſuo eſt filius, & ius ad hæreditatem habet, licet non per ſe ratione naturæ ſibi perſonaliter vnitæ, ſecundū quam non eſt ſimilis in ſubſtantiâ illi cuius filius dicitur: ſed ratione ipſius ſui Eſſe perſonalis, ſic loquendo etiam Chriſtus in quantū eſt tale compoſitū, eſt Filius Dei naturalis: vt facilè per ſe intelligitur; neq; enim vllo modo tale ſuppoſitum poteſt dici perſona extranea, & proinde nullatenus filius adoptiuus. Neq; ſermo iſte impropriꝰ eſt: quo dicitur ſuppoſito naturale quod illi conuenit ratione alicuius ſui Eſſe ſubſtantialis.

23 Obijcitur Secundò: Hic homo Chriſtus, non tantùm habet gratiam hypoſtaticæ vnionis; ſed etiam gratiam habitualem ſanctificantem; atqui hęc conſtituit propriè & formaliter filium adoptiuum, vt in nobis patet; ergò Chriſtus homo poteſt dici Filius Dei adoptiuus propter hanc gratiam.

Reſpondetur ad Minorem, quod gratia habitualis conſtituat filium adoptiuum, quando confertur perſonæ extraneæ, cui ratione intrinſeci & ſubſtantialis ſui Eſſe non debetur hæreditas: quia tunc illius gratiæ infuſio eſt quaſi prima generatio, ipſaq; ius primum & radicale ad cœleſtem hæreditatem tribuit; ſed quando confertur perſonę non extraneæ, neque tanquam prima forma quâ perſona illa fiat diuinæ naturæ conſors, & ad hęreditatem cœleſtē ius acquirat, verùm potius per modum naturalis proprietatis ad aliud eſſe diuinū talis ſuppoſiti naturaliter aut quaſi naturaliter ipſa exoritur, tunc nō facit filium: ſed illi qui ex ſuo perſonali Eſſe eſt filius, accedit ad ornatum & perfectionem accidentariam, vt benè hic docet D. Th. ad 2.

Conclvsio Quinta: Ne quidem admittendum eſt, quod Chriſtus in quantum homo ſit filius Dei adoptiuus. Eſt D. Th. hic, & comm. DD. contra Durand. in 3. 24

Probatur ex dictis: quia illud, In quantū homo, vel accipitur ratione perſonæ tantū, vt ſenſus ſit, In quantum eſt hæc perſona quâ ſuſtentatur natura humana, eſt filius adoptiuus, & eo ſenſu abſolutè hæretica eſt, vt ex dictis ſuprà facilè poteſt colligi; vel accipitur ratione ſuppoſiti vt compoſiti ex perſonalitate Verbi, & natura humana: & hoc ſenſu quoq; falſā eſt: quia iam oſtendimus illud ſuppoſitum, in quantū eſt tale compoſitū, nō eſſe Filiū Dei adoptiuū, ſed naturalē Dei filium dicendū; ergò &c.

Sed dices, Illud in quantum homo, poteſt dici reſumere non ſuppoſitum, neque ſecundum ſe ſolum, neque cum natura humana: ſed reſumere ipſam naturam humanam, quæ eſt extranea, & ex ſe nullum ius habet, ſed tantùm ratione gratiæ vnionis, vel gratiæ habitualis: quemadmodū quando dicitur, Chriſtus in quantum homo, eſt creatura: quā propoſitionem D. Th. ſuprà q. 16. ar. 10. admittit; ergò ſic accipiendo illam reduplicationem, In quantum homo, poterit dici quod Chriſtus in quantum homo ſit Filius Dei adoptiuus. 25

Reſpondetur Primò: Ob huiuſmodi iſtius locutionis expoſitionem, non venire Durandi opinionem damnandam tāquam hęreticam: quamuis interim falſa ſit & temeraria. Neque contra illam in eo ſenſu intellectam, exiſtimandum eſt aliquid fuiſſe definitū in Conc. Francford. vt ex allegatis ſuprà verbis, tum Adriani Papæ, tum ipſius concilij ſatis poteſt conſtare.

Reſpondeo Secundò: Ad argumentum Neg. Conſ. cuius inprimis reddi poteſt ratio, quam indicat hic D. Thom. art. 4. ad Primum: quia videlicet ipſa humanitas Chriſti non poteſt dici ſiue filius ſiue filia Dei adoptiua: quia filium eſſe, eſt perſonę, non naturæ in abſtracto. Quare licet natura humana per ſe ſit extranea, non tamen ſufficit, vt ratione illius Chriſtus in quantum homo, poſſit dici filius adoptiuus.

Ad exemplum quod allegatur, Reſpondetur non eſſe ſimile: nam natura humana Chriſti ſecundum ſe eſt, & rectè dicitur creatura, non autem filius, aut filia Dei adoptiua, vt modò dictum eſt.

Altera ratio negatæ conſ. poteſt reddi: 26

falſum eſt. Si tamen ex parte prędicati adderetur aliqua determinatio: vt v.g. quod in quantum homo ſit filius Spiritus Sancti ratione vnionis hypoſtaticę, quam Spiritus Sanctus ſimul operatus eſt: quâ nimirum explicetur hactenus tantùm dici filium Spiritus Sancti, quia ſimul operâ Spiritus Sancti humanitas vnita eſt Verbo, ſic ſermo iſte poſſet tolerari.

30 Obſeruandum autem eſt, quando SS. PP. tractant de filiatione Chriſti, eos communiter agere de filiatione naturali & propriiſſimè dictâ, fundatâ ſcilicet in natiuitatibus propriè dictis, ideoque paſſim duplicem tantùm in Chriſto filiationem conſtituere, vt ante monuimus, vnâ humanam, & alteram diuinam: idq; fortaſſis hac de cauſa, quia ius filiationis quod diximus proximè fundari in hypoſtaticâ vnione perſonæ diuinæ, & naturæ humanæ, ratione cuius Chriſto, etiâ in humana natura debetur cœleſtis hęreditas, non eſt aliud, quã quod ab ipſa filiatione diuina Verbi, quaſi formaliter oboritur mediante iſtâ vnione.

QVÆSTIO XXIV.

De Prædeſtinatione Chriſti.

In quatuor Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrùm Chriſto conueniat prædeſtinatum eſſe? &, Vtrùm hæc ſit falſa: Chriſtus ſecundũ quod homo eſt prędeſtinatus eſſe Filius Dei?

1 Conclvsio Prima: Chriſtus verè poteſt dici prædeſtinatus, nullâ adhibitâ determinatione, ſiue ex parte ſubiecti, ſiue ex parte prædicati. Eſt doctrina D. Thomæ hîc art. 1. & communis DD. in Tertium diſt. 7. Pro cuius pleniori intellectu

Notandum eſt Primò: Si hoc Verbum *Prædeſtinari* generaliter ſumatur, accommodari poſſe ad omnes effectus diuinæ voluntatis, tam naturalis, quàm ſupernaturalis ordinis, quatenus ab æterno ſunt à Deo præordinati vt ſint, vel vt tales aut tales ſint; nihilominus tamen ex communi ſcripturæ, & Theologorum vſu applicari ferè ſolũ ad ea quæ ordinis ſunt ſupernaturalis, vt pro termino reſpiciat bonum ſupra naturæ ordinem.

Notandum Secundò: Tria poſſe in prędeſtinatione conſiderari. Primum eſt actus Dei prædeſtinantis: Secundum eſt res quę prędeſtinari dicitur, diciturq; obiectũ prædeſtinationis: Tertium eſt illud ad quod fit prædeſtinatio, & vocatur terminus prædeſtinationis.

Notandum Tertiò: Actum prædeſtinationis ſupponere in prædeſtinante cognitionem obiecti & termini, quatenus poſſibilia ſunt, ac ipſum antecedere neceſſariò terminum ad quem obiectum prædeſtinatur, non autem neceſſariò antecedere (licet ſic communiter fiat) ipſum obiectum, niſi Eſſe, ſiue exiſtere obiecti ſit ſimul terminus prædeſtinationis, vt fit aliquando: nam poteſt à Deo præordinari vel quod ſimpliciter res aliqua ordinis ſupernaturalis fiat ſiue exiſtat, vel quod res aliqua aſſequatur aliquod bonum ſupernaturale ſibi aliàs extrinſecum: vnde communiter dicuntur perſonę prædeſtinari, quatenus per certa media eis præparata ad gloriam filiorum Dei aſſumuntur. His præmiſſis

Probatur Concluſio Primò ex Scripturis: 1. Petri cap. 1. dicitur Chriſtus, 2
Agnus immaculatus præcognitus ante mundi conſtitutionem, manifeſtatus autem nouiſſimis temporibus. Vbi illud *Præcognitus* debet accipi cum affectu, quo decreuit & voluit Deus agnum illum immaculatum conſtantem perſonâ Verbi, & humanitate, aliquando in tempore eſſe, non autem vt ſignificet nudam ſpeculatiuam cognitionem aut præſcientiam illius Agni. 1. ad Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.* Vbi per Dei ſapientiam, quæ abſcondita eſt, quam Apoſtolus dicit Deum prædeſtinaſſe, intelligit Sapientiam incarnatam, ſiue Chriſtum Dominum; ſequitur, enim: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Vnde & Conc. Toletanum 11. ſic de Chriſto ſcribit, Per hoc quod de Maria Virgine natus eſt, & prædeſtinatus eſſe, credendus eſt.

4 Probatur Secundò ratione: Quia prædeſtinatio, vt hîc habet D. Thomas, eſt quædam diuina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei ſunt facienda in tempore; atqui ab æterno Deus præordinauit, vt hoc ſuppoſitum Chtiſtus, quatenus compoſitum ex perſona Verbi & natura humana, aliquando in tempore exiſterer excedens omnem naturalem rerum ordinem, primum & maximum beneficium humano generi collatum; ergò poteſt Chriſtus dici prædeſtinatus.

Confirmatur: Quia cum prædicatum Prædeſtinatus ſignificet actum mentis, afficit ſubiectum ſecundum formalem eius rationem, videlicet Chriſtum vt ſubſiſtentem in duabus naturis; non autem ipſum materiale tantùm, ſiue nudum ſuppoſitum ſubiecti quòd exſtitit ab æterno. Deinde Chriſtus ſimpliciter dicitur exaltatus & glorificatus; tali igitur ratione aut potiori, poteſt dici prædeſtinatus. Sed

Objicitur: D. Thomas Lect. 3. in epiſt. ad Rom. docet ea quæ pertinent ad rei conſtitutionem, non cadere ſub eius prædeſtinationem; atqui ſubſiſtere in duabus naturis pertinet quaſi ad ipſam Chriſti conſtitutionem; ergò ſecundum hoc quod in duabus naturis ſubſiſtit, non poteſt dici prædeſtinatus.

Reſpondetur, naturalia quæ pertinent ad naturalis rei conſtitutionem non cadere ſub eius prædeſtinationem: Primò, quia ſicut dictum fuit, prædeſtinatio vt apud Theulogos ſumitur, reſpicit terminum gratiæ, ſiue ordinis ſupernaturalis: quæ autem conſtituunt rem naturalẽ, ſunt ordinis naturalis; ſed Chriſtus & eius conſtitutio ſunt ordinis ſupernaturalis & gratiæ. Deinde conſtitutio rei non cadit ſub eius prædeſtinationẽ quando res dicitur prædeſtinata, non vt ipſa ſit, ſed in ordine ad alium terminum aſſequendum: v. g. ſicut homo prædeſtinatur non vt ſit, ſed vt fiat Filius Dei adoptiuus; Chriſtus autẽ dicitur prædeſtinatus, in quantum à Deo præordinatum fuit, vt in plenitudine temporis ex Virgine Chriſtus naſceretur.

5 Conclvsio Secunda: Verbum Dei, aut Filius Dei non poteſt dici ſimpliciter prædeſtinarus. Eſt communis DD. in Tertium diſtinct. 7. Richardi, Palud. Bonauent. Durandi. Probarur, quia neq; poteſt Filius Dei dici prædeſtinatus, vt ipſe in ſe ſit, neque etiam ad alium aliquem terminum, qualem vox prædeſtinari per ſe poſitum apud Theologos reſpicit. Quia non poteſt dici prædeſtinatus ad gloriam Filiorum Dei, vel ad beatitudinem, vel ad quodcumque aliud ſuum bonum: quia ipſe ab æterno eſt, eſtque neceſſariò Filius conſubſtantialis Patri, & eſſentialiter pleniſſimè beatus, ita vt eius beatitudini nullum bonum addi poſſit; non poteſt ergò ſimpliciter dici prædeſtinatus.

Petes, An non poſſit per communicationem idiomatum dici prędeſtinatus: quia Chriſtus eſt prædeſtinatus. Reſpondetur negatiuè: quia, vt modo dictum eſt, verbum *Prædeſtinatus* tanquam ſignificans actum mentis, applicat ſuum ſignificatum formali ſubiecto, ipſum autem Verbum ſiue Filius ſecundum ſe nullo modo eſt prædeſtinarus.

Conclvsio Tertia: Poteſt tamen Filius Dei dici prædeſtinatus cùm relatione expreſsâ ad aliquem terminum: v. g. vt ſit homo in tempore. 6

Colligitur ex D. Thoma hic art. 2. ad 3. & tenent alij DD. in 3. d. 7. Alen. 3. p. q. 3. Suarez diſp. 50. ſect. 1. Patet, quia per expreſſionem talis termini ſatis ſignificatur ſenſum non eſſe, quod Verbum ſimpliciter ad ſuum Eſſe, aut ad ſuam beatitudinem vel ad ſuum aliquod bonum prædeſtinetur: ſed quod tantummodò dicatur prædeſtinari ſecundum quid, puta, vt ſit homo.

Confirmatur: Quia verè & rectè dicitur, Verbum caro factum eſt; ergò poteſt quoq; dici Verbũ prædeſtinatum vt fieret caro, ſiue homo: Neq; obſtat quod hæc præordinatio nõ antecedat ipſum Verbũ: quia, vt ante monuimus, ſufficit quod antecedat terminum ad quem dicitur prędeſtinari, qui in propoſito eſt eſſe hominem. Nihilominus, quia per acceſſionem naturæ humanæ nulla eſt facta gratia Verbo, ideo D. Thomas hîc art. 2. ad Tertium dicit, hanc locutionem, Filius Dei eſt prędeſtinatus eſſe filius hominis, minus propriam, eſſe quàm iſtam, Filius hominis eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei, attendendo videlicet cõmunem vſum loquendi Theologorum, ſecundum quem prædeſrinatio intelligitur eſſe in bonum illius quod prędeſtinari dicitur, licet ex grammatica ſignificatione non videatur hoc omninò importare.

Conclvsio Quarta: Hæc propoſitio eſt vera, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei. Eſt D. Thomæ hic art. 2. in Corp. & in 3. d. 7. Ibid. Magiſtri, Bonauenturæ art. 2. q. 3. Scoti q. 3. Suarez ſup. ſect. 2. & aliorum. 7

Probatur ex Apoſtolo ad Rom. 1. vbi ſic ſcribit de Chriſto, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute,* &c. Quæ Apoſtolĩ verba, licet à diuerſis diuerſimodè exponantur, clarior tamen eorum videtur hic

eſſe

eſſe ſenſus: quod homo ille, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſit prædeſtinatus eſſe filius Dei, ſiuę prædeſtinatus, vt ſit filius Dei, ita videlicet, vt illud relatiuum *Qui* ſecundò loco dum dicitur, Qui prædeſtinatus eſt, referat Filium ſecundum illam conditionem quæ præceſſit, qua iam dictus erat eſſe factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, id eſt, ſecundum quod homo. Ita bunc locum exponit D. Thom. hic art. 1. ad 1. & Auguſt. de prædeſt. Sanct. cap. 15. Vbi cum verba D. Pauli ad longum recitaſſet, ſubiungit; Prædeſtinatus eſt: ergò Ieſus, vt qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid, eſſet tameo io virtute filius Dei ſecundum Spiritum ſanctificationis: quia natus eſt de Spiritu Sãcto, & Virgine Maria. Quod autem loquatur D. Auguſtinus de filio Dei ſecundum quod Chriſtus, ſiue Ieſus eſt filius Dei ratione bypoſtaticæ vnionis, patet ex ſequentibus: addit enim: Ipſa eſt illa ineffabiliter facta bominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis, vt filius Dei, & filius hominis ſimul veraciter, & propriè diceretur. Vide eundem lib. 12. de Trinit. cap. 6. & de bono perſeuer, cap. vlt. vbi eodem ſenſu prędicta Apoſtoli verba tractat. Eodem modo interpretantur Beda, Lyrauus, Carthuſianus, Sasbouth, & alij. Huc etiam accedit D. Bernardus lib. 5. de Conſiderat. circa finem, Diuinitas hominem illum, inquit, qui prædeſtinatus eſt filius Dei, ſibi copulauit. Sed contra concluſionem

8 Obijcitur Primò: Obiectum prædeſtinationis noo debet in ſe includere terminum eiuſdem prædeſtinatioois: v. g. homo non poteſt dici conuenienter prędeſtinatus ad animam rationalem: quia includitur in ipſius conſtitutione; atqui Chriſtus Dominus in ſuo conceptu includit diuinum ſuppoſitum Filij; ergò nullo modo poreſt dici prædeſtinatus, vt ſit filins Dei.

Reſpondetur argumentum illud rectè probare, non poſſe ſimpliciter dici, Chriſtus eſt prædeſtinatus vt ſit filius Dei, multoque mious poſſe dici, Verbum Dei eſt prædeſtinatum eſſe Filius Dei: quia Verbum formaliter eſt Filius Dei, & Chriſtus in ſuo conceptu includit Filium Dei. Nego tameo idcirco dici non poſſe, Chriſtus ſecundum quod homo eſt, prædeſtinatus eſſe Filius Dei: quia per illam determinationem, ſecuodum quod homo, limitatur ſubiectum propoſitioois, Chriſtus, ad Eſſe humanum Chriſti, cuius ratiooe denotatur Chriſto conueoire, quod prædeſtinetur vt ſit Filius Dei: in ipſo autem Eſſe humano Chriſti vt ſic, non includitur perſonalitas Filij Dei. vnde rectè dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei.

Sed replicatur Primò: In eo quod di- 9
citur, ſecundum quod bomo, non reduplicatur oatura in abſtracto, ſed in concreto, & vt ſuppoſitata: vt docer etiam D. Tho. hic art. 1. ad Primum, atqui humanitas Chriſti non eſt, neque vnquam fuit ſuppoſita alio ſuppoſito, quàm perſoualitate Filij Dei; ergo ſubiectum dictæ propoſitiouis, etiam cum determinatione adiuncta, includit ſuppoſitum Filij Dei.

Reſpondetur ad Maiorem: eſto quod non reſumatur, ſiue reduplicetur natura humana in abſtracto, ſed vt ſuppoſitata, tamen nõ reduplicatur, vt ſuppoſitata hàc perſonalitate videlicet filij Dei, ſed ſolum vt ſuppoſitata ſuppoſitalitate aliquâ confusè, & indeterminatè: vt ſenſus ſit, Secundum quod bomo, vel etiã, Secundum quod hic bomo, id eſt, Secundum quod eſt aliquod ſubſiſtens in humanitate, vel in hac humanitate: in quo conceptu ſecundum rationem ſignificandi, & mentalem abſtractionem, non includitur ſuppoſitalitas Verbi: atque ita obiectum illud quod dicimus prædeſtinatum, vt ſit filius Dei non includit diuinum ſuppoſitum quatenus ſic exprimitur. Vnde ad Minorem, dicendum eſt, quamuis à parte rei humanitas Chriſti nunquam fuerit ſuppoſitata niſi perſonalitate Verbi, mentis tamen operâ poſſe abſtrahi, & apprehendi confusè ſubſiſtens aliquod in hac humanitate, in cuius ſubſiſtentis conceptu, vt ſic abſtracti & confusè apprehenſi, non includitur determinatè ſubſiſtentia Verbi, licet à parte rei non ſit alia ſubſiſtentia, quàm ſubſiſtentia Verbi. Et hic ordo rationis ſufficit ad hanc prædeſtinationem intelligendam: quia non eſt neceſſe obiectum prædeſtinationis re ipsâ prius naturâ exiſtere, quàm habeat illud Eſſe, ſeu formam quæ eſt terminus prædeſtinationis: ſed ſufficit quod in ratione ſua formali & in conceptu veluti obiectiuo ſit prius.

Replicatur ſecuodò: Vera igitur etiam 10
erit hæc propoſitio, homo factus eſt filius Dei, quam tamen D. Th. q. 16. a. 7. ſuprà in ſenſu proprio negat. Cõfirmatur, quia poterit intelligi ratione prius aliquod in cõmuni ſubſiſtens in hac humanitate, quod ſubſiſtens vt ſic in communi apprehenſum dicatur fieri filius Dei, quemadmodum nos dicimus illud prædeſtinari, aut prædeſtinatum eſſe vt ſit filius Dei.

Reſpondetur Neg. Conſ. & ratio diuerſitatis prouenit ex diſcrimine quod eſt inter prædeſtinari, & fieri; nam fieri ſignificat actionem realem externam, & proinde conuenit rebus noo quatenus hoc,

vel illo modo mente apprehenduntur & ſeparatim intelliguntur, ſed vt à parte rei exiſtunt; hic homo autem, demonſtrato Chriſto, vt à parte rei exiſtit, in ſe continet & includit hoc determinatum ſuppoſitum, quod eſi perſona Filij Dei; hoc autem non poteſt diei fieri Filius Dei: prędeſtinari verò eum ſignificet actum mentis immanentem in prędeſtinante, à quo res prædeſtinata extrinſecè denominatur, poteſt rectè intelligi attribui rei ſecundum aliquam abſtractionem quam mente facimus. Quare quod D. Th. hîc art. 1. ad Secundum, & alibi dicit, prædeſtinationem hanc non eſſe iotelligendam de natura humana: ſed attribui eam perſonæ Chriſti, ſecundum quod ſubſiſtit in natura humana, intelligendum eſt attribui perſonæ Chriſti in humana natura vt coofusè concipitur, tanquā aliquid ſubſiſtens in hac humanitate, nō autē vt perſona Chriſti eſt hæc determinata perſona Verbi: quod non debet videri à mente D. Th. alienum: nam eodem art. ad 3. docet, id quod ſubeſt alicui formę & naturę ſecundum rem, poſſe apprehendi, vel prout eſt ſub forma illa, vel etiam abſolutè: & ſecundum vnam conſiderationem vult aliquid poſſe dici de Chriſto, quod non ſub alia. Hinc etiam fit quod dici non poſſit, Chtiſtus ſecundum quod homo eſt prædeſtinatus vt fiat Filius Dei: quia quando res dicitur fieri hoc vel illud, tunc fieri ſupponit res vt à parte rei ſunt, antequam aliquid dicatur fieri hoc vel illud: non autem verſatur circa illas, vt cooſiderantur ſecundum mentis abſtractionem. Sed neque requiritur ad hoc vt Chriſtus homo ſit Filius Dei, quod homo fiat Filius Dei, ſed ſatis eſt, quod Filius Dei ab æterno pręexiſtens fiat homo in tempore, ſic tamen vt mutatio, quam factio iſta importat, recipiatur in natura humana, non in perſona filij.

11 Obijcitur Secundò: In reipſa Chriſtus vt homo non eſt Verbum Patris, quo ſenſu hic de Filio Dei loquimur: docet enim D. Thomas ſuprà qu. 16. hanc propoſitionem, Chriſtus in quantum homo eſt Deus, eſſe magis negandam quàm admittendam; ergò neque hęc ſimpliciter erit vera, Chriſtus in quantum homo eſt prędeſtinatus eſſe Filius Dei. Reſpondetur Neg. Conſ. quia ex illo antecedente ſolum ſequitur; ergò Chriſus non eſt prędeſtinatus, vt ſecundum quod homo eſt, ſit Filius Dei. Vnde committitur quædam ęquiuocatio in illa reduplicatione *Secundum quod homo*, & ſimul mutar appellationem: quando enim dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo eſt prędeſtinatus eſſe Filius Dei, tunc illud, *Secundum quod homo*, ſignificat conditionem quandam ſiue formam, ratione cuius conueniat ſubſiſtenti ſub tali forma prędeſtinari: & ſic in Concluſione ſuprà poſitâ ſignificatur, quod eſſe hominem ſit ratio capacitatis prędeſtinationis, & refertur ad prędeſtinatum eſſe: quando autem dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo eſt Filius Dei, ſignificatur quod eſſe hominem, ſit forma ſecundum quam Chriſtus eſt Filius Dei, & refertur non ad prædeſtinatum eſſe, ſed ad eſſe Filium Dei.

Dico, quod in Concluſione poſitâ ſignificetur, quod eſſe hominem ſit ratio capacitatis, non autem quod ſimpliciter ſit cauſa prædeſtinationis ad eſſe Filium Dei: quia ſic omnis homo eſſet prædeſtinatus, vt ſit Filius Dei, quod falſum eſt.

12 Conclvsio Quinta: Poteſt etiam dici, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus ad beatitudinem & ad diuerſas dignitates, & excelleotias Chriſto homini competentes: v. g. vt ſit Caput Eccleſiæ, vt ſit iudex viuorum & mortuorum.

Probatur, quia tota & perfecta prædeſtinatio Chriſti vt hominis hæc omnia iocludit, videlicet filiationem diuinam tanquam primarium terminum, gloriam verò & alias dignitates tanquam proprietates conſequentes, & ad illius conſummatam perfectionem pertinentes. Ex quibus patet, Chriſtum longè aliter dici prædeſtinatum ad beatitudinem, quàm alios homines: quia in alijs beatitudo eſt primarius termious prædeſtioationis; in Chriſto autem ſecuodarius, qoi per modum connaturalis proprietatis ad primarium conſequitur: vnde prædeſtinatio eius ſingularis eſt & excellens.

13 Quæret aliquis: An humanitas Chriſti poſſit diei prædeſtinata? Reſpondetur, prædeſtinari ad beatitudinem aut ad filiationem Dei propriè conuenire perſonæ: quia beatum eſſe io operatione conſiſtit; operari autem, ſicuti & eſſe filium, eſt ſuppoſitorum, ſi propriè loquamur: & hoc eſt quod docet hic. Th. art. 1. ad Secundum. Cum expreſſione tamen alicuius termini, qui primò conueoiat naturæ, eamque deoominare poteſt, ſic poterit etiam ipſa natura humana Chriſti diei prædeſtinata, v. g. ad vniooem hypoſtaticam: quia illa vnio proximè conuenit naturæ, & ab ea denominatur ipſa hypoſtaticè vnita Filio Dei, quod eſt maximum gratiæ beneficium talis naturæ.

ART.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædeſtinatio Chriſti ſit noſtræ prædeſtinationis exemplar?

14 CONCLVSIO eſt affirmatiua: & communis DD. in Tertium diſt. 10. & 11. Probatur ex D. Aug. de Prædeſt. SS. cap. 15. Eſt etiam, inquit, præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus IESVS. Ad quæ verba ſcribit hic D. Th. Dicitur autem lumen prædeſtinationis & gratiæ in quantum per eius prædeſtinationem & gratiam manifeſtatur noſtra prædeſtinatio, quod videtur ad rationē exemplaris, ait, pertinere. Idē amplius explicat in Corpore, Ipſe enim eſt prędeſtinatus ad hoc, inquit quod eſſet Dei Filius naturalis, nos autem prędeſtinamur ad filiationem adoptionis, quę eſt quędam participata ſimilitudo filiationis naturalis: vnde dicitur ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Deinde, ſicut natura humana in Chriſto nullis ſuis pręcedentibus meritis eſt vnita Filio Dei, & ad hoc ab ęterno præordinata vt ſic vniretur; ſic & nos abſq; noſtris meritis prædeſtinamur in filios adoptionis, in ordine ad cœleſtem hæreditatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?

CONCLVSIO eſt affirmatiua: Eſt namque Chriſtus cauſa meritoria 15
prędeſtinationis noſtrę, vt patet ex dictis qu. 19. de Chriſti meritis. Eſt inſuper quoque cauſa finalis: quidquid enim gratię & glorię hominibus pręparatum eſt, & collatum aut conferendum, id totum à primo vſque ad vltimum in gloriam & honorē Chriſti refertur; atqui id quod in aliquo genere cauſę, eſt cauſa omnium effectuum prędeſtinationis, eſt in eodem genere cauſa prędeſtinationis: vt patet ex dictis primâ Parte; ergò &c. Aſſumptum Probatur ex Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 7. vbi docet, cauſam finalem Iuſtificationis noſtrę eſſe gloriam Dei & Chriſti. Quod ſi gloria Chriſti finis ſit noſtrę Iuſtificationis, erit & finis pręuiarum diſpoſitionum ad iuſtificationem, & multò magis noſtrę glorificationis; ergo & prędeſtinationis.

QVÆSTIO XXV.

De Adoratione Chriſti.

In ſex Articulos diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vnâ & eâdem adoratione ſit adoranda diuinitas Chriſti, & eius humanitas?

1 DE Adoratione ſecundum ſe agit D. Thomas 2. 2. qu. 84. ex quo loco quędam ſunt huc transferenda: vt ea quæ tractat hîc de Adoratione in particulari, quatenus videl. verſatur circa Chriſti humanitatē, eius Imaginem, Crucem, Matrem eius, & SS. reliquias facilius & plenius poſſint intelligi.

Adorare itaq; generaliter eſt; Sui ipſius ſubmiſſione, & alterius excellentiæ teſtificatione illum honorare: ſcribit enim Damaſcenus Orat. 1. de Imaginibus, Adorationem eſſe ſubmiſſionis & humiliationis notam: & Orat. 3. Eſſe animi cedentis & ſubmiſſi atque humilis ſignificationem, cum ordine videlicet ad alium quem ſibi præfert. Ex qua vocis ſignificatione,

2 Patet Primò: Adorationem eſſe quid minus commune ad honorationem: honorat enim omnis qui adorat; non autem adorat omnis qui honorat: vt habet D. Aug. lib. contra Sermonem Arrianorum cap. 23. nam honor poteſt etiam eſſe circa æqualem, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes*: Adoratio autem reſpicit alium vt excellentem & maiorem. Vnde

Patet Secundò: Adorationem eſſe actū virtutis, quæ ad alterum ordinatur: quę videlicet præſcribit deferre honorem maiori excellentiæ cum debitâ ſui ad eam ſubmiſſione.

miſſione. Hinc in animo adorantis debet inprimis ſupponi bona exiſtimatio de excellentia eius quem adorat: quia nemo (niſi forſitan fictè) ſigno recognoſcit alterius excellentiam, quam vel non reputat excellentiam, aut putat alteri non competere: hæc tamen bona exiſtimatio non eſt formaliter adoratio, vt videtur voluiſſe Gabriel in Tertium diſt. 9. qu. vnica, ſed ex ea oritur prudens iudicium dictans alterũ eſſe colendum tali modo, ad quod iudiciũ ſolet ſequi voluntas ſic honorandi. Poteſt tamen fieri quòd quis habeat veram cognitionem de excellentia alterius, quem tamen debito modo nec colere, nec adorare velit. Conſiſtit igitur Adoratio, non in illa veluti ſpeculatiua cognitione excellentiæ alterius, ſed in practica recognitione, vt ſic loquar, & voluntaria ſui ſubmiſſione, quæ ſupponit quidem actum intellectus, ſed per voluntatem perficitur: & ideo D. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 2. dicit, adorationem Dei maximè conſiſtere in interiori affectu & deuotione.

3 Quod ad obiectum eius attinet, obſeruandum eſt, præſuppoſitâ iam dictâ bonâ æſtimatione de altero, duos adhuc alios actus ſuperuenire in adoratione, vt modò ſatis indicauimus.

Primus eſt affectus quidam voluntatis ab ea quatenus virtute religionis aut obſeruantiæ imbutâ, eſt elicitus, quo vult illum adorare, cuius excellentiam nouit, quemq; ſupra ſe ſuo iudicio extollit.

Secundus actus eſt veluti imperatus à voluntate primo hoc actu mediante, eſtque hîc ſecundus actus nota illa ſiue ſignum, quo alterius dignitatem aut excellentiam ſupra nos teſtamur.

Prior per ſe conſideratus, quemadmodum & ipſa virtus vnde elicitur, reſpicit duplex obiectum: vnum circa quod verſatur, quod eſt ſecundus hic actus modò explicatus: eſt enim virtutis hunc actum procurare & moderari, vt quis ſe alteri ſubmittat honorario actu, in quantum ſe ſubmittere & alterum honorare debet, neque minus quã debet ex ſui ipſius æſtimatione nimiâ, vel ex alterius neglectu: nec plus quàm decet ex aliquo nimio ſui vilipendio, aut alterius nimiâ adulatione: virtus verò ſiue religionis, ſiue obſeruantiæ procurat & moderatur debitum hunc cultum alterius mediante illo primo, quo vult alterum recognoſcere ſupra ſe, quantum excellentiæ illius debetur. Alterum obiectum quod reſpicit, eſt obiectum cui, quod eſt perſona ſiue res adorabilis, in quam honorandam tendit primus ille affectus.

4 Secundus verò actus, ſiue conſideretur per ſe ſolum, ſiue vt procedens, & quaſi informatus actu illo priori, affectu videlicet adorandi (quâ ratione conſiderari debet, vt habeat perfectam rationem virtutis) pro obiecto ſuo habet duntaxat perſonam ſiue rem adorabilem. In qua duo diſtinguere licet, rem videlicet adoratam, & rationem propter quam adoratur, quæ generaliter loquendo, eſt dignitas aliqua aut excellentia proueniens ex ſcientia, virtute, gradu, poteſtate, aut ratione aliqua principiandi, aut ex ſimili titulo. Prius poteſt vocari obiectum adorationis *quod*: alterum obiectum *propter quod*. Sed

Notandum eſt hîc Primò, ſubmiſſionis illud ſignum in ordine ad illum qui adoratur, ſiue ipſum adorationis actum, in genere loquendo, non neceſſariò eſſe actum externum & ſenſibilem, ſed poſſe eſſe actũ internum, proportionatum tamen ad ſui ſubmiſſionem teſtandam, & alterius excellentiam recognoſcendam, in ordine videlicet ad illum, qui actus internos etiam intuetur: nam & anima à corpore ſeparata poteſt Deo deferre cultum adorationis, quemadmodum & ipſi Angeli, quod plurimis locis teſtatur Scriptura Sacra: Danielis cap. 3. & 7. Pſalm. 95. ad Heb. 1. Apocal. 7. & alibi: ſic & nos hac in vita ſolo actu interno poſſumus, non tantum velle adorare Deum, ſed & adorare: vt v. g. quando ex affectu honorandi & teſtandi diuinam excellentiam captiuamus intellectum in obſequium fidei: actus enim ille, vt elicitur ab habitu Fidei, & verſatur proximè circa Deum tanquam primam veritatem, eſt actus fidei virtutis Theologicæ: quatenus verò circa hunc actum verſatur virtus religionis (quæ eum poteſt imperare) & ſic procedit ex affectu teſtandi diuinã excellentiam in dicẽdo infallibiliter verũ cũ intellectus proprij ſubmiſſione, ſic actus eſt religionis & adorationis. 5

Notandum Secundò: Adorationem ſolitam eſſe exhiberi actibus ſiue ſignis, quæ proportionata ſunt ad tantam ſui dimiſſionem ſub alterius excellentiâ demonſtrandam, atque ad tantam excellentiam recognoſcendam, vt ratio hæc alterum colendi ex ſe videatur talis, quod hominibus accõmodari non deberet, quod indicat D. Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 4. vbi ſic ſcribit, Multa de diuino cultu vſurpata ſunt, quę honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimiâ, ſiue adulatione peſtiferâ: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, ſi autem eis multum additur, & adorandi: nihilominus tamen, & nomen adorationis & cultum ipſum, vt ex ipſis D. Auguſtini verbis conſtat, etiam nunc homini- 6

Digitized by Google

hominibus deferri, quod neque à Scripturæ loquendi modo alienum eſt: Geneſeos cap. 23. Abraham legitur adoraſſe filios Heth: 2. Regum c. 9. Miphiboſeth adorat Dauidem, quem etiam 4. Regum cap. 1. adorat Nathan Propheta. Primi quoque Paralip. cap. 29. ſcribitur, *Inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum*: Deinde additur, quod adorauerint Regem. Similiter & Angeli leguntur fuiſſe adorati ab hominibus: Geneſeos cap. 18. Angelos adorat Abraham: & ita quoq; Ioſue cap. 5. ſui libri.

7 Vnde prima hinc poteſt ſumi diuiſio adorationis, vt quemadmodum triplex in perſonis eſt excellentia, ſic etiam triplex ſit adoratio.

Prima excellentia eſt increata & diuina: Altera creata & connaturalis perſonæ creatæ, quæ ab hâc ſcil. naturaliter haberi poteſt, vt ſunt virtutes morales, & intellectuales, Dominium, ſiue Principatus, ratio Principij Eſſe alterius, & ſimilia.

Tertia eſt quaſi media inter has duas conſiſtens in bonis ſupernaturalibus v. g. in ſanctitate, notitia ſupernaturali diuinorũ Myſteriorum, in virtute miraculorum, & in ſimilibus Dei donis ſupernaturalibus.

8 Primæ autem excellentiæ debetur cultus adorationis, qui dicitur Latria: Secundæ debetur cultus quidam ciuilis, ac ſeruilis adoratio pertinens ad virtutem Obſeruantiæ: Tertiæ verò debetur cultus quidam medius, qui à D D. vocatur Dulia. Porrò quia horum actuum ratio, & ſpecies deſumitur ex formali ratione obiecti circa quod verſantur, & rationes formales ſiue prædictæ excellentiæ toto genere diſtinguuntur, hinc & adorationes illæ inter ſe genere ſunt diſtinctæ. Quod verò ad ipſa nomina latriæ & duliæ attinet, ſciendũ eſt, ea hoc magis habere ex ſacrorũ Scriptorũ tum Patrum, tum Scholaſticorum vſu & modo loquendi, quod latria ſit accommodata peculiariter ad ſignificandum cultum ſoli Deo debitum, & dulia ad ſignificandum cultum debitum Sanctis, quàm ex prima ipſorum impoſitione, iuxta quam latria generaliter cultum, & reuerentiam, cum quadam tamen vehementia timoris, ſignificat: quod connotatum non improbabiliter exiſtimant nonnulli cauſam dediſſe accommodationi huius nominis ad ſignificandum peculiariter cultum Deo debitum, Fauet eis, quod dum Angeli deſcribuntur Deum adorare, mentio fiat timoris cuiuſdam & horroris: apud Iob dicuntur columnæ cœli cotrã eo cõtremiſcere, & in Præfatione miſſæ, Angelicæ poteſtates tremere dicuntur. Dulia autem generatim ſignificat propriam ſeruitutem & humanam ſubiectionem, vt notat D. Thomas 2. 2. quæſt. 103. artic. 3. & 4.

Sed dicet aliquis: Non videtur igitur hoc nomen conuenienter potuiſſe accommodari ad ſignificandam venerationem, quæ debetur Sanctis, quia hæc non eſt in ſignum ſeruitutis. Vnde etiam D. Aug. qu. 94. in Exodum docet, latriam Deo deberi vt Deo, Duliam autem vt Domino. 9

Reſpondetur Neg. Conſ. quia vox iſta non tantùm propriam & vilem ſeruitutem ſignificat, ſed etiam honorariam ſubiectionem, ſiue ſubmiſſionem: quomodo dixit Apoſt. ad Galat. 5. *Per charitatem Spiritus ſeruite inuicem*: vt notauit D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6. vnde & in ſerm. 7. ad fratres in eremo ait, Quando duliam damus Prælatis & Sanctis, Deo verò latriam reſeruamus, tunc nos dare quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: quæſt. itaque eitatâ in Exodum dicit Deo vt Domino debere duliam, non quod iſta dulia non ſit propriè dicta latria, ſed quia cultus iſte, vt reſpicit Deum ſub nomine & ratione Domini, poſſit cum quadam nominis proprietate vocari ſpecialiter Dulia: quia ſeruitus, ac ſeruitutis ſuæ teſtificatio propriè Dominum reſpicit: non tamen iſta dulia eiuſdem rationis eſt cum cultu quem Sanctis deferimus, quandoquidem reſpiciant obiecta formalia toto genere diſtincta.

Diuiditur adoratio Secundò, In internam & externam. 10

Interna eſt, quæ per actus internos ſolos exhibetur, qualis non eſt propriè loquendo ipſa voluntas adorandi aliquem: ſed internus aliquis alius actus ab iſtâ voluntate imperatus ac informatus (eſt namque iſta voluntas quaſi anima ipſius actus qui propriè & formaliter eſt adoratio) vt quando ex religione erga Deum captiuat quis intellectum in obſequium Fidei, &c. in teſtificationem ſupremæ veritatis. Item quando ex reuerentia diuinæ majeſtatis non audet quis ſcrutari diuina myſteria, ne ab ipſorum gloria opprimatur. Quo ſenſu ab Aug. dictum eſt Enchir. cap. 3. Chriſtianam religionem maximè colere Deum Fide, Spe, & Charitate: non tantùm quia his virtutibus mouetur homo ad colendum Deum vero religionis cultu, vt expoſuit D. Th. 2. 2. qu. 81. art. 5. ad Primum: ſed etiam, quia è diuerſo ipſa virtus Religionis ordinat, & refert actus illarum virtutum, vt per illos Deum colat: vt ante indicauimus, & quemadmodũ expoſuit idem Th. in 3. diſt. 9. qu. 1. art. 1.

Adoratio externa eſt, quæ ſimul per actus externos, ſiue externa & ſenſibilia ſigna exhibetur. Hâc etiam homines coluntur: cum enim adoratio ſit quædam teſtifica- 11

teſtificatio,& recognitio alterius excellentiæ, quæ illi debet manifeſtari, non poteſt ea homini ab homine exhiberi, niſi per actus exteriores. Vtrâque verò & externâ, & internâ colitur à nobis Deus, vt bene docet Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 13.

Vbi obſeruandum eſt, exteriores actus non ita ex ſe eſſe determinatos ad teſtandam determinatè excellentiam diuinam, quin iidem actus tum ad colendum Deum, tum etiam ad honorandam creaturam cõmuniter & promiſcuè exerceantur: vt ex ſuprà dictis patet: vnde fit, vt diſtinctio latriæ ſoli Deo debitæ, ab adoratione creaturæ in his externis actibus, ex interiori intentione potiſſimùm pendeat, quatenus videlicet adhibentur, vel ad recognoſcendam ſupremam & diuinam excellentiã in aliquo, vel ad recognoſcendam aliquã inferiorem creatam, ſiue religioſam, ſiue ciuilem: vt Leontius tradit in 7. ſynodo Act. 4. circa finem. Vnica tantùm videtur actio exterior, quæ communi iure gentium eſt inſtituta ac recepta ad colendum Deum ſolum, videlicet externum Sacrificium: de quo ſcribit Aug. Quis verò ſacrificandum cenſuit, niſi et quem Deum ſciuit aut putauit, aut finxit?

12 Diuiditur Tertiò Adoratio à D D. in Abſolutam, & reſpectiuam: quemadmodũ enim voluntas poteſt rem aliquam amare vel propter ſe, quia in ſe bona eſt: quæ poteſt dici dilectio abſoluta: vel propter aliud ad quod res illa eſt vtilis: quæ poteſt vocari dilectio reſpectiua, ſeu electio: ita poteſt quoque velle rem aliquam adorare ſiue venerari, vel propter ſe & intrinſecam excellentiam, quam in ſe habet, & hæc dicitur adoratio abſoluta: vel propter aliud, ſiue propter excellentiam, quæ eſt in aliqua perſona ad quam res talis habet aliquam habitudinem vel coniunctionem: & hæc dicitur adoratio reſpectiua. Priori modo tantùm eſt adorabilis, propriè loquendo, res intellectualis, quia hæc ſola eſt capax dignitatis & excellentiæ propter ſe honorabilis ſeu adorabilis: potiſſimùm, quia cum homo ſit naturæ intellectualis, non poteſt prudenter & honeſtè, ac iuxta dignitatem ſuam ſe alteri rei ſubmittere, niſi ſit eiuſdem, vel excellentioris naturæ ac dignitatis, atque à Deo habeat excellentiam naturæ intellectuali conuenientem: poſteriori autem modo adorabiles, ſiue potius venerabiles ſunt res inferioris ordinis, quia cum non propter ſe, ſed propter alterius rei dignitatem colantur, honor illis exhibitus, non in eis ſiſtit, ſed in illas perſonas, propter quas honorantur, redundat. His præmiſſis ſit

13 Conclvsio Prima: Hic homo Chriſtus in diuina & humana natura ſubſiſtens adoratur perfectiſſimo illo latriæ cultu, quo tota Trinitas ac ſingulæ perſonæ diuinæ adorantur. Eſt Fidei. Patet ex Script. Ioan. 5. Chriſtus de ſe loquens ait: *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*: ad Rom. 14. exponit Apoſtolus de Chriſto illud Iſaiæ 45. *Mihi curuabitur omne genu.* quod de adoratione latriæ ſoli Deo debitâ, dictum eſſe ſatis ex circumſtantijs locorum conſtat: eodem ſenſu ſcribit ad Philipp. 2. *In nomine* Iesv *omne genu flectatur*, Ioan. 20. Thomas Apoſt. Chriſtum adoranſ ait: *Dominus meus, & Deus meus*, Ioannis 9. Cęcus à Chriſto illuminatus ex eadem fide procidens adorauit illum: ad Heb. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*: idem definitum fuit in Conc. Epheſ. can. 8. & in epiſt. Concilj Alexandrini, ibidem recepta, & in Synodo 5. can. 9.

Ratio patet ex ſuprà dictis: quia hic homo Chriſtus eſt verus Deus; ergò vero & perfecto latriæ cultu adorandus: prout contra Neſtorium definitũ eſt in citata Synodo 5. his verbis, Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum (ex quo duæ adorationes introducuntur) ſed non vnâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ Dei traditum eſt, talis anathema ſit: Neſtorius enim, cum Chriſtum hominem ſecundum perſonalitatẽ à Verbo diſtingueret, negabat cõſequenter non eodem latriæ cultu adorari: Concilia verò definiunt in Chriſto non eſſe diuidendas adorationes, vt vna ad Iesvm, alia ad Verbum dirigi & pertinere putetur, ſed quâ adoratione adoratur Verbum, eâdem adoretur Chriſtus homo: Vnde ſit

Conclvsio Secunda: Adoratione illâ latriæ quâ adoratur Verbum incarnatum, non tantùm adorantur Verbum, eiuſque diuinitas, ſed etiam humana natura Verbo hypoſtaticè vnita, non quidem tanquam primum aut principale obiectum, multoque minus tanquam ratio talis adorationis, ſed tanquam aliquid ſubſtantialiter vnitum, & componens quid vnum cum iſta hypoſtaſi, cui primò & ſecundum ſe defertur adoratio latriæ: vnde hoc ſimul afficit, non per accidens, vt minus prudenter dixit Durand. ſed per ſe: quia ratione habitudinis ſubſtantialis quâ ſe habet iſta natura humana ad Verbum, & viciſſim Verbum ad ipſam, quæ eſt habitudo naturæ intellectualis ad perſonalitatem, & è contrà perſonalitatis ad ſuam naturam. Hoc ſenſu intelligendum eſt, quod alij dicunt, quod Chriſtus in quantum homo adoretur 14

adoretur

adoretur adoratione latriæ, quâ Verbum adoratur, accipiendo videl. illud, In quantum, non reduplicatiuè, vt ſignificetur humanitas eſſe cauſa adorationis, ſed ſpecificatiuè, vt ſignificetur in adoratione illius ſuppoſiti ipſam naturam humanam quoq; adorari modo iam explicato.

Colligitur ex D. Th. hoc loco: hoc enim ſenſu dixiſſe videtur hic art. 1. vtramque Chriſti naturam ex parte perſonę vnâ adoratione coli: & art. ſeq. concludit, Carnem vnitam Verbo illâ adoratione latriæ, quâ Verbum incarnatum colitur, adorari. Idẽ docent Magiſter lib. 3. d. 9. ibid. Bonan. ar. 1. q. 2. Rich. ar. 2. q. 1. Scot. q. vnica, §. de Tertio: Waldenſis tomo 3. de Sacram. cap. 119. qui etiam putat hoc ad fidei dogmata pertinere.

15 Probatur Primò ex Script. illis, quibus Concl. præcedentẽ probauimus, ex quibus videtur æque efficaciter poſſe deduci, cùm hæc ſecunda ſit veluti explanatio primæ.

Probatur Secũdò ex cit. verbis Synodi 5. quibus hanc rem definit, vti apparet, dum dicitur anathema illi, qui non vnâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat. Vbi notandum quod additur, Cum propria ipſius carne. In Synodo 7. act. 6. circa finem dicitur, Cum adoratur Chriſtus, non ſeparari humanitatem à diuinitate, ſed vtramque vt vnum (id eſt vnius perſonæ naturas) adorari latriâ.

Huc accedunt Sancti Patres: Chryſoſt. homil. 5. in epiſt. ad Hebr. Reuera magnũ & admirabile, & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere, & adorari ab Angelis, & Archangelis: & homil. 3. exponit de Chriſto homine verba illa, *Et adorent eum omnes Angeli*, quæ ab omnibus de perfecta latria intelliguntur: Aug. ſerm. 58. de verbis Domini: Ergò dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem, propterea adoro, quod à diuinitate ſuſcepta, atq; deitati vnita eſt, vt nõ alium atq; alium, ſed vnum eundemque Deum & hominem Dei Filium cõfitear: Damaſc. lib. 3. de Fide c. 8. & lib. 4. c. 3. dicit, carnem per ſe eſſe inadorabilem: vt autem Verbo coniunctam ſimul eâdem adoratione coli: Non enim, inquit, carnem nudam adoramus, ſed carnem Dei, id eſt, incarnatum Verbum. Idem ex Athan. docet Cyril. lib. 1. de Fide ad Reginas, & ſentit Epiphanius in Anchorato circa medium, quando ſcribit humanitatem coadorari Verbo Dei.

16 Probatur denique & ſimul explicatur à ſimili: quando v. g. vir doctus aut vir ſanctus honoratur ob præſtantiam & virtutes animi, tunc non ſolùm adoratur anima, ſed eodem cultu ſimul honoratur corpus, atque adeo totum ſuppoſitum, quod ex anima & corpore eſt compoſitum, eſto quod ratio adorationis, videlicet excellentia, in anima reſideat; ergò ſimiliter quando Chriſtus cultu latrię adoratur, non adoratur tantùm eius perſonalitas, neque etiam tantùm vna eius natura, ſed totum ſuppoſitum, vt conſtans ſubſtantialiter vtràque naturâ diuinâ & humanâ; atque ita huiuſmodi adoratio etiam humanitatem Chriſti afficit. Alij alias allegant ſimilitudines: vt de adoratione Regis, & eius purpuræ; ſed hæc videtur accommodatior ad rem Cõcluſionis explicandam.

Notandum itaque hîc eſt Primò: Non debere apprehendi duas adorationes, ſiue totales ſiue partiales, quarum vna terminetur ad perſonam, & altera ad naturam humanam: ſed vnam quaſi indiuiſibilem adorationem, quæ eadem reſpicit perſonam & carnem Chriſti; ſed perſonam vt obiectum per ſe primò & propter ſe adorabile: humanitatem verò tanquam naturam talis perſonæ, quamuis ipſa neq; perſonæ tribuat hanc adorabilitatem, neq; ipſa propter ſe ſit tali cultu adorabilis. Vnde 17

Notandum Secundò: Non eodem modo ſe habere Chriſti humanitatem ad dictam adorationem, quemadmodum ſe ad illam habet ipſa Perſona Verbi, & eius connaturalis natura, videlicet Diuinitas: nam hæ adorantur non tantùm vt res adoratæ, ſed etiam propter ſe, & quibus ex propria ipſorum ratione, ac ex eſſentiali ſua excellentia, debeatur iſte cultus latriæ, non ſic humanitas, quæ quidem eſt res adorata, ſed propter ſubſtantialem coniunctionem ad Verbum.

Obijcitur: Humana Chriſti natura, licet Verbo vnita, manet intra limites creaturæ; ergò non poteſt ipſa dici adorari eâdẽ adoratione latriæ, quâ adoratur Verbum. Reſ. 18
Nrg. Conſ. abſolutè & ſimpliciter loquendo: pro maiori tamen materiæ explicatione poſſet conſequens diſtingui, ſi enim ſic intelligatur; ergò non poteſt humanitas Chriſti dici adorari eâdẽ adoratione latrię, quâ Verbum, id eſt, non poteſt pari adorationis latrię cultu adorari actu aliquo, quo ipſa per ſe primò adoretur, quiq; ſit diſtinctus ab illo quo Verbũ incarnatũ per ſe primò adoratur, ſic conſequens verũ eſt: quia ex quo non includit increatam & ſupremã excellentiã, non poteſt actu diſtincto ab eo quo adoratur Verbũ, ipſa per ſe primò adorari ſupremo cultu latriæ: ſed hoc non aduerſatur ijs quæ diximus: Si verò intelligatur; ergò non poteſt ipſa dici adorari eâdem latriæ adoratione quâ Verbum, id eſt, non poteſt ipſa tanquam natura Verbi hypoſtaticè ipſi vnita, dici affici eodem actu, & cul-

Digitized by Google

tu latriæ quo Verbum incarnatum per ſe primo adoratur, ſic falſum eſt: & proinde neganda eſt conſeq. & quidem ſimpliciter negari poteſt, vt diximus: quia hunc poſteriorem ſenſum verba conſequentis magis ſignificant, & primò obijciunt animo audientis, quamuis etiam ad priorem trahi poſſint. Ratio negatæ conſeq. eſt: quia ad hoc non eſt neceſſe, quod ipſa natura humana eſſentialiter aut formaliter habeat excellentiam infinitam, ſed ſufficere poteſt certa habitudo ad excellentiam infinitam: vt quod ſit natura perſonæ infinitæ, & cum eâ vnum ſuppoſitum compoſitum infinitæ excellentiæ conſtituat, licet excellentia non ab illa, ſed à perſona proueniat.

19 Sed occaſione diſtinctionis mox adhibitæ, quæſtio moueri poteſt,

Vtrùm humanitas Chriſti abſtractim conſiderata, & veluti præciſa à perſonalitate, ſiue non conſideratâ perſonalitate, ipſa cum ſuis tantùm donis & perfectionibus poſſit adorari aliquo actu qui per ſe primo in illam terminetur? & quâ adorationis ſpecie?

Reſpondeo & dico Primò: Humanitas Chriſti conſiderata, vt in quæſtione proponitur, non poteſt adorari adoratione abſolutâ, & omnino completâ.

Colligitur ex D. Th. art. ſeq. vbi eius hanc indicat rationem: quia abſoluta & completa adoratio illa propriè debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti; atqui humana Chriſti natura in propoſito conſideratur, vt abſtrahit ab hypoſtaſi; ergò vt ſic non debet adorari adoratione abſolutâ & completâ.

Confirmatur Maior: Quia omnis omnino adoratio vltimatè ſemper reſpicit & refertur aut redundat in obiectum illam intelligens, & acceptare potens; atqui hoc ſolùm conuenit ſuppoſito, & quidem naturæ intellectualis; ergò adoratio illa quæ eſt abſoluta, & omnino completa dirigitur ad ſuppoſitum tantùm.

20 Dico Secundò: Eſt tamen humana Chriſti natura modo prædicto concepta adorabilis, ac etiam adorari poteſt ſecundum aliquam certam adorationis rationem.

Colligitur ex D. Th. hic art. 2. ad Primum, vbi allegans hæc verba Damaſceni ex lib. 4. de Fide c. 3. Caro ipſius ſuâpte quidem naturâ, ſi ſubtili quadam cogitatione, id quod in oculos occurrit ab eo quod in animo tantùm ac ratione intelligitur, diſtinxeris, haudquaquam adoranda eſt, vtpote condita: Addit D. Thomas pro Damaſceni expoſitione, Scilicet adoratione latriæ. Et ſubiungit: Ac tunc ſic intellectæ vt ſeparatæ à Dei Verbo deberetur illi adoratio Duliæ, non cuiuſcumque, ſed excellentioris, quam hyperduliam vocant; atque ita tenent Caiet. & alij recentiores commentatores D. Thomę: item Palud. in Tertium d. 9. q. 2. ibidem Scotus qu. 1. §. Quantum ad iſtum art. & manifeſtius in ſolutione ad Primum: Durandus qu. 3. Almainus qu. 1. Concluſ. 4. Caniſius lib. 5. de B. Virgine cap. 15. & alij multi.

Probatur: Quia adoratio aliqua vt reſpectiua aut incompleta, poteſt ad naturam aut partem, aut ad aliquid aliud perſonæ adorabili coniunctum, vt præciſè & ſecundum ſe concipitur, terminari per ſe primò, quando conſideratur illud ſub aliquâ excellentiæ, aut dignitatis ratione, ſiue eam habet in ſe, ſiue ex reſpectu aut habitudine ad perſonam excellentem: vt ex dicendis infrà de cultu SS. & reliquiarum magis patebit; atqui humanitas Chriſti poteſt in abſtracto conſiderari ſub diuerſis dignitatibus & excellentijs, vt in primis quatenus ei ineſt modus ille vnionis hypoſtaticæ, quem diximus eſſe quid creatum & ſubſtantiale, cuius alter terminus eſt perſonalitas Verbi. Deinde quatenus ornata eſt omni genere ſcientiarum & virtutum, ac donorum ſupernaturalium; ergò poteſt ipſa conſiderata, vt in quæſtione proponitur, adorari aliquo adorationis genere, & aliquo actu, qui non per ſe primò & proximè feratur in Verbum, ſed in ipſam, vt ſic conſideratam. 21

Confirmatur & ſimul explicatur: Quia in tali actu venerationis nulla poteſt oſtendi malitia aut deformitas contra virtutem religionis aut obſeruantiæ; non enim ex parte obiecti: habet enim Chriſti humanitas ſufficientem excellentiam ob quam honore adorationis digna ſit: neque ex parte ſubiecti ſiue perſonæ adorantis, vt per ſe conſtat: quia eſt homo qui infinitis titulis Chriſto, & humanitati eius, ac omnibus quæ quoquo modo eum attingunt, debet omnem reuerentiã cõſentaneam dignitati illius: neque etiam in modo, quia poteſt quis in hoc obſeruare conuenientem menſuram, & adorandi rationem, iuxta ea quæ mox dicemus; ergò non eſt ibi deformitas aut malitia. 22

Declaratur vlterius: quia ſi in tali actu eſſet malitia, vel eſſet per exceſſum, & hoc non eſt neceſſarium, vt per ſe conſtat, quia poteſt homo adorare humanitatem Chriſti, & tamen non plus quam par ſit; vel eſt per defectum, hic autem poteſt intelligi, vel reſpectu Verbi, vel reſpectu ipſiuſmet humanitatis; atqui neutro reſpectu interuenit neceſſariò defectus culpabilis.

Probatur: Nam reſpectu Verbi ſolum poteſt defectus in hoc conſtitui, quod Verbum per illam adorationem non adoretur per ſe primò, ſed hæc negatio non eſt ſem- 23

per &

per & neceſſariò culpabilis, quia non tenetur homo omni ſemper tempore adorare Verbum aut Chriſtum; imò ne quidé ex hâc ſuppoſitione, quod velit adorare humanitatem Chriſti, obligatur adorare per ſe primo Verbum: quia non conſtat de tali præcepto poſitiuo: ſed neque demonſtrari poteſt huiuſmodi obligationem naſci ex natura rei; ergò poteſt ſic adorari humanitas Chriſti abſque defectu aliquo culpabili in ordine ad Verbum, eademque ratio eſt reſpectu ipſius humanitatis; non enim poteſt in ordine ad illam committi defectus, niſi quod non perfectiſſimo modo adoretur quo adorabilis eſt, videl. eodem actu latriæ ſimul cum Verbo; hoc autem non eſt per ſe malum, quia non ſemper eſt obligatio exercédi perfectiſſimá adorationé. Vnde licet minus perfecta exhibeatur, dummodo non ſit indecens, neque aliena ab aliqua excellentia in obiecto inuentâ, non erit hic defectus culpabilis, neque priuatiuus, videlicet eius quod adeſſe hic & nunc deberet, ſed purè negatiuus, ſicuti quidam loquuntur, & rem hanc exponunt: imò ſuppoſitâ huiuſmodi præcisâ cogitatione & conſideratione humanitatis, non ſolùm non eſt malum, illam quodam religionis affectu ſic venerari, ſed hoc etiam melius eſt, quam omnem omninò adorationem prætermittere. Quamuis enim dum quis actu cogitat de Chriſto, & diuinæ perſonæ dignitate, non ſit ratio cur adorando primò & per ſe feratur in humanitaté, ibique quaſi ſiſtat, neque conuenienter ita adoraret, tamen dum contingit humanitatem Chriſti, eiuſque dignitatem abſtractim occurrere & conſiderari, durante hâc ſolâ cogitatione, ne ab omni veneratione ceſſetur (non enim poteſt per ſe primo affectus adorationis moueri in Verbum, ſiue perſonam non cogitatam) conuenientius eſt ſic adorare Chriſti humanitatem, quàm nullum adorationis aut religionis affectum exercere. Quod & ipſo vſu videtur conſtare: nam dum quis præcisè conſiderat animam Chriſti vt beatiſſimam fruentem Deo longè excellentiori modo, quàm omnis alia creatura, mox in corde illius naſcitur quædam veneratio talis animæ cum ſui ipſius erga illam reuerentiali ſubmiſſione: quod etiam per ſe conciliat maiorem deuotionem & religionem, quàm ſi illa cogitatio in ſola ſpeculatione abſq; omni cultu erga illam, hæſerit.

24 Dico Tertiò: Si in humanitate Chriſti conſiderantur ſola dona creata ſcientiarum, & gratiæ habitualis, ac perfectiones his coniunctæ, & propter iſta præcisè adoretur, eiuſmodi adoratio eſſentialiter erit Dulia: quæ tamen, quia in eo genere eſt longè perfectiſſima, hinc hyperdulia appellatur. Colligitur ex verbis D. Thomæ iam ſuprà citatis, & conſentiunt reliqui Theologi ibidem allegati.

Probatur: quia talis eſt adoratio (quando legitimè ſit) qualis eſt excellentia, quæ in obiecto recognoſcitur, & ob quam defertur; atqui ſcientiæ animæ Chriſti, & gratia habitualis, ac cæteræ virtutes infuſæ ſunt eiuſdem rationis in humanitate Chriſti (quamuis modo perfectiori ibi ſint, & in gradu quaſi infinitè intenſiori) cuius in cæteris hominibus; ergò ſuppoſito, quòd humanitas ſic concepta in abſtracto cum huiuſmodi donis poſſit adorari (quod iam demonſtrauimus) conſequens eſt eam adorandam eſſe illo adorationis genere, modo tamen perfectiſſimo, quod excellentiæ fundatæ in donis creatis ſupernaturalibus correſpondet & debetur: illud verò ſuprà diximus eſſe Duliam, ſiue hyperduliam.

Obijciet aliquis: Hæc dona creata animæ Chriſti habent in ſe ſpecialé dignitatem, ob quam dicuntur habere quandam infinitatem in Eſſe gratiæ; ergò videtur quod alius maior cultus eis debeatur. 25

Reſpondetur illam ſpecialem dignitatem ſiue infinitatem in Eſſe gratiæ, conuenire ipſis ex vnione animæ ad Verbum; Nos autem hic loquimur de illis præcisè & ſecundum ſe conſideratis, non habitâ conſideratione coniunctionis ipſorum ad Verbum (poteſt enim actio mentis, & quæ non ponit realem effectum in obiecto, vt eſt adoratio, verſari circa obiectum, non tantùm vt à parte rei exiſtit, ſed etiam vt à mente, ſimplici apprehenſione intelligitur) & idcirco illa dignitas, quia non conſideratur hic, non immutat hanc adorationis rationem, quæ præcisè terminatur ad excellentiam & perfectionem, quam gratia habitualis, & ſcientia beata animæ Chriſti habent in ſua propria ratione.

Dico Quartò & vlt. Si humanitas Chriſti abſtractim concepta & conſiderata adoretur vt vnita Verbo, ſiue vt natura perſonæ Verbi, tunc adorãda eſt adoratione, non quidem ſupremæ latriæ, ſed tamen adoratione quâdam pertinente ad virtutem latriæ: quam aliqui adorationem latriæ non primariæ, ſed ſecundariæ appellant: alij latriam communiter dictam, alij verò hyperduliam, quæ tamen diuerſa eſt & longè excellentior quàm iſta explicata in Concluſione præcedente. Clariori autem vocabulo videtur poſſe appellari latria reſpectiua. Concluſio eſt eorum quos citauimus ſuprà ad Dictum ſecundum huius difficultatis. 26

Probatur pro priori parte: quia licet humanitas Chriſti per vnionem effecta ſit na-

tura Verbi ſeu Filij Dei, non eſt tamen eſſecta ipſa diuinitas, aut ipſa diuina perſonalitas: neq; eſt tantæ excellentiæ & maieſtatis quando abſtractim concipitur, quantæ eſt diuinitas, aut diuina perſonalitas, quantumuis illa concipiatur vt affecta vnione; ergò adoratio hoc titulo debita humanitati in abſtracto, non eſt ſuprema latria. Patet conſequentia, quia adoratio proportionatur rei adoratæ ſecundum excellentiam in qua fundatur. & modum quo ſe habet excellentia ad illam: in propoſito autem adoratio non tendit in rem adoratam, quę ſit, aut includat in ſe ſupremam excellentiam; ergò neq; ipſa eſt ſuprema latria. Sed cōtra

27 Obijcitur: Hæc vnio humanitatis cum Verbo, & quæ inde oritur eius habitudo ad Verbum, omnino in re ipſa & actualis eſt; atqui actualis vnio non videtur poſſe abſtrahi à termino quin illum includat; ergò in humanitate concepta, vt in Concluſione proponitur, videtur neceſſariò includi ipſa perſona Verbi, & conſequenter debebitur ei ſuprema latria, quemadmodum Chriſto homini.

Reſpondetur, vnionē humanitatis Chriſti cum Verbo omninò realem & actualem eſſe: quia humanitas à parte rei & actualiter vnita eſt Verbo: vnde hoc ſenſu verum eſt, actualem vnionem non poſſe abſtrahi à termino, ita videlicet vt poſſit concipi res actualiter vnita vt ſic, & tamen intelligatur non habere ordinem ad terminum vnionis: quia in eiuſmodi intellectu falſitas eſt, atque adeo repugnantia.

28 His tamen non obſtantibus addo, formam cōceptam vt vnitam, poſſe apprehendi tanquam rem diſtinctam à termino illius vnionis, ſiue à re illa cui eſt vnita, ita quod in eſſentiali eius ratione etiam conceptæ tanquam vnitæ, non includatur intrinſecè & in recto terminus ille, ſed includatur ſolùm eſſentialiter habitudo quædam ad iſtum terminum.

Declaratur, quia per ſe ſatis conſtare videtur, aliud eſſe humanitatem vt vnitam ſubſiſtentiæ, aliud verò eſſe hunc hominem ſubſiſtentem: ſicut aliud quoque eſt albedo vt inhærens, & album: vnde terminus iſte, ſiue perſonalitas Verbi non aliter includitur in humana natura Chriſti etiam conſideratā vt vnitâ, quàm ſicut terminus entis relatiui includitur in relatione: quod non eſt ſimpliciter in aliquo, ſiue in alicuius ratione includi, ſed potius ad rationem eius extrinſecè ſe habere.

29 Sed replicabit aliquis: Quod humanitas Chriſti ratione vnionis ſit ſancta & adoranda, hoc ſit ratione diuinę perſonalitatis, ac diuinitatis cui per modum iſtum ſubſtantialis vnionis coniungitur.

Confirmatur: Quia vt ſic, ſiue quatenus vnita, dicitur ſancta, quia diuinitate delibuta, & oleo diuinitatis vncta, vt Sancti Patres communiter loquuntur; ergò neceſſe eſt in humanitate conceptâ vt hoc ſanctificationis genere ſanctâ includi in ea perſonalitatem Verbi cum diuinitate, & conſequenter neceſſe etiam eſt, per illam adorationem, quâ adoratur humanitas vt hoc modo ſancta, adorari ſimul diuinitatem, & proinde ei exhibendam ſupremam latriam.

Reſpondetur admittendo Antecedens: Nam & excellentia illius vnionis, & conſequenter excellentia quam iſta vnio tribuit humanitati, proueniunt ab excellentia termini qui eſt perſonalitas Verbi.

Ad formam autem argumenti Reſpondetur Diſtinguendo, & explicando ipſum Conſequens: Si enim intelligatur; ergò neceſſe eſt in Chriſti humanitate conſideratâ vt ſanctâ ratione vnionis, includi in ipſa diuinam perſonalitatem, id eſt, in conceptu eius eſſentiali, aut quaſi eſſentiali vt ſic apprehenditur, includi intrinſecè, & in recto diuinam perſonalitatem, ſic Nego Conſequentiā: & ratio eſt, quia dū duo aliqua concurrunt ad componendū, aut conſtituendum idem aliquod tertium, & ita ſe habent quod vnum ſit minus dignum, & alterum magis dignum, tunc vt minus dignum accipiat dignitatem & excellentiam à digniori, & ob eam excellentiam æſtimari ac honorari poſſit, non eſt neceſſe iſta duo ſic inter ſe conuenire, vt in eſſentiali conceptu minus digni intelligatur dignius per modum formæ, aut aliter in recto includi, v. g. vt corpus hominis ab anima rationali accipiat dignitatem, ob quam ipſum abſtractim conceptum ſit veneratione dignum, non eſt neceſſe animam in conceptu corporis includi: ſed ſufficit aliqua aliā interuenire inter duo iſta habitudinē, ad hoc, vt minus dignum propter excellentiā magis digni honoretur: & quo hæc habitudo fuerit arctior, intimior, & magis, vt ſic dicam, ſubſtantialis, eo magis participabit minus dignum excellentiam magis digni: v. g. quando eſt habitudo compartis eſſentialis ad alteram compartē, quæ conſtituunt ſimul vnum abſolutè ſecundum eſſentiam, vt eſt corporis ad animam, vel quando eſt naturę intellectualis ad ſubſiſtentiam cum qua conſtituit vnam perſonam, multò amplius & perfectius participat minus dignū excellentiam dignioris, quàm dum eſt habitudo tantùm accidentis ad ſubiectum, vel contra, aut habitudo veſtis ad veſtitum vel alia ſimilis. 30

Vnde ſi conſequens intelligatur hoc ſenſu; ergò in humanitate Chriſti conceptâ abſtra- 31

abſtractim, ſed vt ſanctâ ratione vnionis, neceſſe eſt includi diuinam perſonalitatem ſaltem indirectè, tanquam terminum ad quem humanitas ratione illius vnionis habet eſſentialem quendam ordinem, qui eſt naturæ intellectualis ad ſuam ſubſiſtentiam, ſic illud verum eſt: attamen inde non ſequitur, quod dum humanitas abſtractim concepta quatenus ſanctificata, ſiue deificata ratione vnionis & vt ſic adoratur, tunc eâdem adoratione adorari ipſam perſonam Verbi tanquam rem adoratam, ſed ſolummodo ipſam eſſe rationem adorationis, & eatenus tantùm eâdem adoratione ſimul adorari. Ex quo non licet inferre vlterius; ergò illa adoratio debet eſſe abſoluta & ſuprema latria: quia vt alicui deferatur hæc latria, non ſufficit quod habeat ordinem aliquem aut communicationem cum prima & ſuprema excellentia: ſed neceſſe eſt, quod ſit vel ipſa ſuprema & infinita excellentia, aut illam directè in proprio cõceptu includat, ſcilicet vt per ſe primo ad illud terminetur abſoluta & ſuprema latria: quod non conuenit humanitati Chriſti modo prædicto appreheſæ.

32 Ex his quæ diximus hactenus, facile erit demonſtrare veritatem ſecundæ partis, videlicet hanc adorationem humanitatis Chriſti, de qua agimus, ſpectare ad virtutem latriæ, eſſéque actum quendam huius virtutis, licet non primarium: quia excellentia, ob quã adoratur hoc modo humanitas Chriſti, eſt perſonalitas infinita, videl. Verbi ad quã ipſa, vt eidẽ hypoſtaticè vnita includit habitudinẽ naturæ ad ſuã ſubſiſtentiam; ergò eadem virtus religionis quę inclinat ad venerandã diuinam perſonam propter ſe, inclinat etiam ad venerandam Chriſti humanitatẽ abſtractim conceptam, (quatenus tamen Chriſti eſt) ob dignitatẽ, quã ex vnione & habitudine ad perſonam infinitam Verbi habet: quia fundamentum totum illius dignitatis eſt ipſum Verbum. Ab eodem igitur latriæ habitu procedit vterque actus adorationis, & ille quo Chriſtus in ſe, & propter ſe adoratur & colitur abſolutè & primariâ latriâ: & hic quo humanitas modo prædicto conſiderata adoratur: quia vterque habet eandem rationem formalem obiecti, ſed diuerſimodè applicatam, ſiue diuerſimodè ſe habentẽ ad obiectur quod adoratum: nam in Priori eſſentialiter includitur directè & per ſe; in poſteriori verò non includitur in ratione eius eſſentiali, ſed tantum intelligitur ſecundum certam habitudinem iam ſæpius explicatam, ſe habere ad humanitatem, quæ primò & proximè hoc ſecundo actu adoratur; ergò hic etiam cultus humanitatis Chriſti ab habitu latriæ procedit, ſaltem tanquam ſecundarius, & cultus reſpectiuus. Pro pleniori autem intelligentia horum quæ dicta ſunt

Nota, Virtutem religionis diuidi in duas ſpecies, videlicet in Latriam, & Duliam, accipiendo hæc nomina pro habitibus: habitum verò latriæ pro formali obiecto reſpicere excellentiam increatam, ab eo tamen poſſe elici diuerſos actus, alios perfectiores, alios minus perfectos. Primarij & perfectiſſimi ſunt qui primo & per ſe deferuntur perſonæ infinitæ propter infinitam excellentiam quam in ſe includit; Secundarij quidam & minus perfecti actus huius habitus ſunt, actus illi quibus res aliquæ coluntur etiam propter increatam & infinitam excellentiã, ſed quę non intelligitur in ipſis eſſentialiter includi, aut cum eis à parte rei idẽtificari, ſed tantũ propter certam habitudinem quam res ad illam excellentiam habent: qui proinde coltus tantò erit perfectior in ratione latriæ, quantò excellentia iſta arctiori, aut magis intima, & ſubſtantiali habitudine conioncta eſt cum rebus quæ propter illam adorantur. 33

Quod itaque ad nomen huius cultus attinet, qui modo prædicto humanę Chriſti naturæ defertur, vocatur ab aliquibus hyperdulia, ſed hi tũc nomine hyperduliæ debent comprehendere, non tantùm excellentiorem illum S S. cultum qui ob excellentiſſima dona ſupernaturalia, creata tamen defertur, ſed generaliter omnem illum cultum, qui eſt inferior abſolutâ & perfectiſſimâ latriâ, & ſupra communem venerationem Sanctorum. Quia tamen cultus iſte, de quo agimus, elicitur ab habitu latriæ, & ſpecie diſtinguitur à dulia, ac etiam hyperdulia quatenus ex communi accommodatione hæc nomina ſignificant cultum qui defertur ob excellentiam creatam, idcirco commodius appellatur latria ſecundaria & reſpectiua: quia propter diuinam excellentiam defertur, quatenus humanitas Chriſti ſe habet tanquam natura perſonæ diuinæ & infinitæ. Sed contra dicta 34

Obijcitur Primò: Concilia & Sancti Patres reijciunt & damnant duas adorationes Chriſti, quarum altera referatur ad Verbum, & altera ad Chriſtum hominem, ſiue ad carnem: Cyrillus Anathematiſmo 8. ſic ſcribit: Si quis audet dicere aſſumptum hominem vnà cum Deo Verbo adorandum & glorificandum, & Deum tanquam alterum cum altero appellandum eſſe, & non magis vnâ adoratione Emanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, ſicut Verbum caro factum eſt, adaptat, anathema ſit: & in epiſtola 10. Cyrilli, quæ eſt Concilij Alexandrini: 35

Recuſamus & hoc, vt de Chriſto quiſquam dicat: propter eum qui hominem induit, eum qui indutus eſt, veneror, propter inuiſibilem adoro viſibilem. Similia habentur in Conc. Conſtantinop. 5. collat. 8. can. 9. & in Synodo 7. act. 6. Athanaſius epiſt. ad Adelphios, Nec iſtiuſmodi corpus ſeorſim diſcriminatum à Verbo adoratione proſequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longe ſeponimus, &c. Damaſcenus 4. de Fide cap. 2. Verbum incarnatum in eodem dignitatis honore ſedere cum Patre, in eadem nimirũ gloria, aſcitâ eius carne, vnâ etenim eâdemque cum carne ſua adoratione ab omnibus rebus conditis afficitur. Similia habet Ambr. de Incarnat. dominicæ Sacramento c. 7. & Aug. in illud Pſalmi 98. *Adorate ſcabellum pedum eius: quoniam ſanctum eſt*; ergò videtur non poſſe admitti modum illum adorandi Chriſti humanitatem præciſè, & abſtractim cogitatam, ſiue conceptam.

36 Reſpondetur, Concilia & SS. PP. non aduerſari huic doctrinę, ſed dictis locis, & alibi, perpetuò agere contra Neſtorium, & Neſtorianos qui ponebant in Chriſto duas diſtinctas perſonas, vnam Verbi, & alteram hominis: & idcirco inttoducebant duas adorationes abſolutas & completas, quarum altera tenderet per ſe primo in Verbum, altera verò per ſe primo in IESVM ſiue Chriſtum hominem. Quod patet ex Cyrillo in Defenſione anathematiſmi citati, vbi in fine ſic concludit: Igitur factus eſt anathematiſmus contra eos qui modis omnibus diuidunt Emanuelem in hominem propriè, (id eſt, purum hominem) & Deum Verbum: nobis enim vnum & eundem Theologorum ſermo prædicauit, ſacrarumque litterarum inadulterata cognitio: quod etiam allegata ex epiſt. Cyrilli verba manifeſtè ſignificant, vbi non dicitur, Recuſamus & hoc, propter eum qui humanam naturam aſſumpſit, humanitatem veneror, ſed recuſamus & hoc, propter eum qui hominem induit, eum qui indutus eſt veneror. Quibus reijcit illas diuerſas adorationes quæ inportant, aut ſupponunt diſtincta ſuppoſita quæ adorentur.

37 Ex hoc autem quod nos dicimus, humanitatem Chriſti abſtractim, & preciſè cõſideratam poſſe modis ſuprà explicatis adorari, non ſequitur in Chriſto pluralitas aut diſtinctio ſuppoſitorum: quandoquidem vnam tantùm abſolutam & completam adorationem Chriſti agnoſcamus. Eodemque quoque ſenſu SS. PP. reijciunt diſtinctas adorationes Verbi, & Chriſti hominis, ſiue carnis, vt aliquando loquuntur, intelligentes per carnem hominem, non naturam in abſtracto: quemadmodum Scriptura paſſim illo nomine vtitur: *Et Verbum caro factum eſt*: & *videbit omnis caro ſalutare Dei*. Quemadmodum enim in Chriſto defendunt vnicam perſonam Dei & hominis, ita quoque ſtatuunt vnicam, videlicet abſolutam & completam adorationem, quâ perſona illa in duabus naturis exiſtens adoratur: quo eodem adorationis actu ſimul ſemper afficiantur ipſæ naturæ, ſicuti ſuptà explicuimus: An verò pręter hanc adorationem abſolutam poſſit adhiberi aliqua alia adoratio incompleta aut reſpectiua: ipſi humanitati abſtractim conſideratæ, quæ proximè in humanitatem tendat, tanquam obiectum quod, neque Concilia, neque PP. locis citatis tractarunt, multoque minus contra hoc definierunt. Quod enim Damaſc. dicit, carnem ſubtili cogitatione diſtinctam à Verbo non eſſe adorandam, rectè exponit D. Thomas, intelligendum eſſe de abſoluta & perfecta adoratione latriæ: quo ſenſu etiam verba Athanaſij ſuprà citata veniunt intelligenda.

Sed dices: Eſto quod Conc. & PP. non reiecerint expreſſè hunc adorationis modum, 38 tamen cum perpetuò meminerint vnius tantum adorationis, ſummæ videlicet, & perfectiſſimæ latriæ Verbi incarnati, & humanitatis eius, non videtur abſque eorum auctoritate, alia adoratio humanitatis Chriſti admittenda.

Reſpondetur, quod Conc. & Patres tam conſtanter inculcauerint vnam tantum adorationem, quâ adoretur eodem actu Verbum, & caro eius, neque alicuius alterius modi expreſſam mentionem fecerint, occaſio fuit, quia hic ſecundus modus non ſeruiebat contra hæreticos, cum quibus erat ipſis negotium; imo quia ſubtilis eſt, & exhibetur obiecto ſecundum mentis abſtractionem, non expediebat eo tempore illum inculcari: quia rudioribus, qui non ita inter naturam abſtractim conceptam, & inter naturam vt ſuppoſitatam diſtingunt, potuiſſet errandi eſſe occaſio, vt exiſtimarent in Chriſto poni duas perſonas, quando audirent humanitatem eius præciſè conceptam peculiari adoratione poſſe adorari. Deinde loquebantur Concilia, & Patres de adoratione quæ regulariter, ac publicè eſt in vſu Eccleſiæ. Vt verò in Scholis explicetur, & admittatur iſte modus adorationis, ac etiam ſubinde priuatim, quando eiuſmodi conſiderationes humanitatis Chriſti ſeorſim menti occurrũt, exerceatur, ſufficit quod D. Tho. & alij plerique Scholaſtici illos modos diſtinxerint & approbauerint.

Obijcitur Secundò: Si humanitas Chri- 39
ſti, mo-

ſti, modis prædictis poſſit adorari; ergo poterit ipſa quoque orari, poterimuſque fundere preces ad humanitatẽ abſtractim conceptã: quia eadem videtur eſſe ratio orationis,& adorationis. Reſp. Neg.Conſ. Et ratio diuerſitatis eſt: quia reſpectu adorationis ſolum ſe habet humanitas quaſi merè paſſiuè, vt obiectum videlicet,& materia circa quam actus animæ verſentur; ſed oratio reſpicit eum ad quem funditur, tanquam in re ipſa vt ad eum preces funduntur, potentem operari, ac nobis ſuccurrere: quia per orationem petimus ab alio vt nobis aliquid conferat, vel pro nobis aliquid faciat. Quare cum natura vt abſtractim præciſè conſiderata non operetur, neq; aliquid nobis conferat, aut mereatur (quãdoquidẽ iſta ſint ſuppoſiti) idcirco nõ poſſunt ad eam preces fundi prudenter, ſed tantummodo ad perſonam, quamuis adorari poſſit adoratione, vt diximus, incompletã aut reſpectiuã. Quod & exẽplo poteſt declarari: nam v. g. virum aliquem in dignitate conſtitutũ, aut virum iuſtum dormientem poſſumus cum bona ratione adorare ac venerari, non tamen aliquid ab eo dormiente poſtulare aut rogare: quia vt ſic neque intelligit, neque nobis aliquid conferre valet. Si tamen eſſet ſermo de adoratione abſoluta & completa, de eã poſſit dici, quod eadem ſit ratio adorationis, & orationis hactenus, quod hæc quoque debeat dirigi ad perſonam quæ illam poteſt intelligere & acceptare, ſicuti ſupra indicauimus.

40 Notandum denique hic eſt ex D. Tho. ar. 2. in Corp. Adorationẽ illam humanitatis Chriſti, de qua egimus in Reſp. tertiã ad præſentem difficultatem, poſſe quoque exhiberi ipſi perſonæ Chriſti ratione perfectionum creatarum humanitatis ſuæ, ita videlicet, quod vna eademque perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ propter ſuam diuinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem humanitatis: vt ibidem loquitur D. Thomas v. g. propter manſuetudinem, patientiam, & alias eius virtutes conſideratas præciſè ſecundum proprias ſuas rationes. Neque id aduerſatur Concilijs & Patribus modò citatis: quia tantùm agunt contra hæreticos docentes, totum Chriſtum non poſſe vnã adoratione latriæ adorari, quia duas in eo ponebant perſonas: non autem negant, quin perſona Chriſti, quæ vna tantùm eſt, poſſit diuerſis modis coli. Nihilominus tamen, quia adoratio latriæ perfectior eſt, & ideo maximè conueniens tali perſonæ, idcirco hãc ſimpliciter adorãdus eſt Chriſtus, quemadmodum etiam ab Eccleſia in publicis vſibus ſemper adoratur: quæ in operibus eius quoque meritorijs & ſatiſfactorijs, non tantùm conſiderat ſubſtantiam operum ac naturam, & habitus creatos à quibus procedunt, ſed maximè ordinem quem habent ad perſonam diuinam tanquam principium quod operans, quã accipiunt infinitam quandam dignitatem: ac ſimul excellentiam ipſius perſonæ ſimpliciter infinitam attendit. Alterã verò adoratione non eſt adorandus niſi ſecundum quid, videlicet ſecundum certam aliquam & præciſiuam conſiderationem perfectionum humanitatis eius, quando ita animo occurreret, idque omnino priuatim: quemadmodum ſuprà q. 21. art. vlt. diximus, priuatim etiam & cum certa conſideratione Chriſti vt hominis, nos ab eo poſſe petere vt ſuarum orationum nos faciat participes, eaſque etiam noſtris apud Deum Patrem adiungat. Hæc autem ſufficiant pro explicatione materiæ, quam D. Thomas directè tractat art. 1. & 2. præſentis quæſtionis. Solent autem D D. hic ſimul attexere diſputationem de cultu Sãctorum.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm Sancti in cælo cum Chriſto regnãtes, tum homines, tum Angeli ſint colendi & adorandi?

Reſpondeo & dico Primò: Sancti ac Beati tum homines, tum Angeli honore digni ſunt, & ideo à nobis colendi & adorandi. Eſt doctrina Concilij Tridentini Seſſ. 25. cap. 2. vbi docet, eos impiè ſentire qui negant Sanctos æternã fælicitate in cælo fruentes, inuocandos eſſe, vel ipſorum corpora eſſe veneranda. Fuit autem hæc res definita à Fælice I. cum Conc. Rom. vt conſtat ex Epiſt. eius 2. Decret. Item in Conc. Gangr. can. 20. Si quis Sanctorum memorias contemnẽdas putauerit, anathema ſit: & in Synodo 7. diuerſis locis. 41

Probatur Concluſio Primò ex Script. quæ multis locis nobis tradit, homines ſapientes, & bonos adoraſſe Angelos: vt ſuprà oſtendimus circa primam adorationis diuiſionem: Saul quoque 1. Regum 28. adorauit Samuelem, dum ei poſt mortem apparuit: in quo non fuit ab eo reprehenſus: Abdias adorauit Eliam, quia Sanctus erat, & Propheta Domini: filij quoque Prophetarum adorauerunt Eliſeum, quia ſpiritum Eliæ ſuper eo requieuiſſe intellexerant, 4. Regum cap. 2. atqui, quæ eſt ratio colendi Angelos Sanctos, ea quoque eſt colendi homines beatos, & quæ eſt ratio hominum Sanctorum ſpiritualibus chariſmatum donis præditorum adhuc in 42

terris degentium, ea & multo maior eſt venerationis ratio hominum cum Chriſto regnantium; ergò &c.

43 Probatur Secundò ex antiquis Patribus: Iuſtin. Apolog. 2. pro Chriſtianis: Sed, inquit, & illum (videlicet Deum Patrem) & eius Filium qui venit, noſque hæc docuit: & aliorum ſequentium ſimiliumque bonorum Angelorum exercitum, & ſpiritum propheticum colimus, & adoramus, verboque, & re ſeu veritate veneramur: Euſebius lib. 13. de Præparat. Euang. cap. 7. Nos quotidiè id factitamus; nam veræ pietatis milites, vt Dei amiciſſimos honoramus. Vide eundem lib. 4. Hiſt. cap. 15. Baſilius Orat. in S. Mamanthem, Eccleſia per hoc quod eos honorat qui præceſſerunt, præſentes impellit: Greg. Niſſenus in Theodorum martyrem, vbi cum multa dixiſſet de cultu, qui martyribus ab Eccleſia exhibetur, adiungit: Cui regum talis honor exhibetur? quis ex ijs qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt, tali memoria celebratur? quis Imperatorum adeo decantatus, & ſama celebratus eſt, vt hic miles pauper, modo conſcriptus tyro, quem Paulus armauit, quem Angeli vnxerunt, quem Chriſtus coronauit? Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 16. Honorare decet Sanctos vt amicos Chriſti, vt filios, & hæredes Dei: Theodoretus lib. 8. ad Græcos: Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noſter in tẽpla pro Dijs veſtris induxit, ac illos quidem caſſos gloriâ, vanoſque reddidit, ſuis autem martyribus illorum honorem dedit, &c. Vbi tamen notandum eſt, honorem Deorũ dici traditum martyribus: quia in locis, vbi Dij colebantur, ibi modo celebrantur memoriæ martyrum; non autem, quod eodem diuino ſacrilego cultu adorentur, quo idola colebantur: quod gentiles & hæretici per calumniam ſolent Catholicis obijcere: explicat enim ſe Theodoretus in ſequentibus: Atqui nos, inquit, ô Græci homines, nec hoſtias martyribus, nec libamina vlla deferimus, ſed vt Sanctos homines, Deique amiciſſimos honoramus: Cyprianus lib. 4. epiſtola 5. Martyrum paſſiones, & dies anniuerſaria commendatione celebramus. Similia habent Maximus in ſerm. de natali Sanct. Octaui, & ſociorum Martyrum: Prudentius in hymno de Sancto Hypolito: Hieron. in epiſtola ad Riparium: Aug. ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo, Beatiſſimum Petrum, inquit, piſcatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo. Item epiſtola 44. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & in Pſalm. 96. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 24. Bernardus ſerm. in illud Apocal. *Signum magnum apparuit*: & alij quos citat Bellarm. ad longũ Tomo 2. lib. 1. de Sanct. beatitudine.

Probatur idem Tertiò: quia ab antiquo ſemper Ethnici, Iudæi, ac hæretici qui ab Eccleſia deſecerant, accuſarunt Chriſtianos idololatriæ propter cultum Sãctorum: quod non feciſſent, niſi ab antiquo fuiſſent Sancti à Chriſtianis honorati. De Ethnicis teſtatur Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 6. & de Iudæis lib. 4. cap. 15. de Iuliano Apoſtata id teſtatur Cyrillus lib. 6. & 10. in Iulianum: idem refert Auguſt. de Manichæis lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & Hieronymus de Porphyrio, Vigilantio, & Eunomio. 44

Probatur Quartò ratione: Quia honor debetur virtuti, teſte Philoſopho 1. Ethic. cap. 5. & lib. 4. cap. 3. Vnde & Chriſtus Ioannis 12. miniſtris ſuis, qui veſtigia virtutum eius ſequuntur, promittit quod pater eos honorificabit, id eſt, honore afficiet, & honorari faciet. & ad Rõ. 2. dicit Apoſt. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*; debetur ergo Sanctis qui præcipuis & maximis virtutibus præcellũt, honor: iſq; à nobis eſt illis exhibẽdus. Neq; verò impedit, quod vtpote mortui, corporali præſentiâ à nobis abſint: Primo, quia eiuſdem nobiſcum corporis, ac Eccleſiæ ſub eodem Capite manẽt membra, licet in ſtatu fæliciori, ac ſecuriori vitam perfectiorem modò degant: Deinde, quãuis corpore abſint, tamẽ ſpiritu, & mente quodammodo nobis ſunt præſentes, quatenus omnia quæ ad ipſos, & ad eorum ſtatum pertinent, ipſi cognoſcunt, tametſi ea hic gerantur: ac inſuper etiam rerum noſtrarum curam habent, pro nobis orant & intercedunt: vt infrà latius explicabitur. 45

Sed obijcitur Primò: Deuter. 6. dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, prout Matth. 4. Diabolo Chriſtus obiecit, cum poſtulaſſet ſibi vnam tantùm inclinationem in terram à Chriſto deferri. Cum quibus concordat illud Pauli 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo, honor & gloria*; ergò Sanctis nullus eſt deferendus cultus. 46

Reſpondetur Neg. Conſ. quia Deut. 6. ſermo eſt de ſeruitute latriæ quæ ſoli Deo conuenit, illique ſoli deferri poteſt: quod enim non generatim omnis honor & ſeruitus debeant intelligi remoueri à quacunque creatura, patet ex benedictione, quâ Iſaac Geneſis 7. benedixit Iacob: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus*, &c. quod præcatus non fuiſſet filio ſuo, ſi id ceſſurum putaſſet in iniuriam Dei.

Ad alterum Reſp. quod Diabolus poſtulauerit illam Chriſti inclinationem ante ſe in ſignum latriæ, quam tanti faciebat, vt in eius compenſationem promitteret ei

omnia

omnia regna mundi: vnde meritò & aptè à Chriſto fuit reiectus per Scripturam allegatam. Similiter quod 1. ad Timoth. cap. 1. dicitur, intelligendum eſt de certis honore & gloria, videlicet diuinis, quę ſupremæ atque independenti excellentiæ, & à quâ omnia dependent, debentur; nam aliàs generaliter loquendo dicit idem Apoſtolus ad Rom. 2. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.*

47 Obijciuntur Secundò varia exempla ex Scripturis: Mardochæus cap. 13. libri Æſter noluit adorare Aman, & facti ſui dat hanc rationem: Et ſcis, *Quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloria cupiditate, fecerim hoc*, &c. *ſed timui ne honorem Dei mei transferrē ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Act. cap. 10. dum Cornelius adoraret Petrum, prohibuit Petrus *Dicens: Surge & ego ipſe homo ſum.* Apocalip. 19. dixit Angelus Ioanni ipſum adoranti: *Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum*, &c. *Deum adora.* Act. cap. 14. Paulus & Barnabas prohibuerunt Lycaonenſibus ne ſe adorarent; ergò Sancti non ſunt adorandi, ſed Deus ſolus.

48 Reſpondetur ad primum exemplum, veriſimiliter Aman voluiſſe cultu latriæ inſtar Diuorum adorari: Mardochęum verò noluiſſe eiuſmodi cultū ei deferre, ne aſſurgendò quidem ipſi, Ita D. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 1. ad Primum: quod etiam ex ipſis verbis Mardochæi citatis apertè colligitur. Et notat ibidem Lyra, ſic ab Hebræis communiter fuiſſe intellectum. Neque obſtat quod Rex mandauerat Amā ab omnibus eſſe adorandum, quem veriſimile non ſit voluiſſe ei deferri honores diuinos, quos non legitur ſibi poſtulaſſe: quia ex occaſione mandati talis regij fuit cor Aman ſupra modum eleuatum, ſic vt ipſe etiam maiores honores ambierit, atque adeo maximos quoſque, licet in particulari non fuiſſent tales à Rege præſcripti: maximam enim fuiſſe eius ambitionem ex eo patet, quod ad mortem vſque cruciaretur, quia Mardochæus eum adorare neglexerit. Quod ſi hæretici contendant de alio cultu hic eſſe ſermonem, non minus ſibi quàm nobis præiudicium facient: quandoquidem tunc improbari videretur hoc exemplo non cultus Sanctorum, ſed cultus ciuilis, qui principibus & auctoritatem habentibus defertur, quem ipſi nobiſcum defendunt, & magiſtratibus exhibendum docent: Aſt Mardochæus hunc non improbauit, ſaltem quando ordinatè defertur: vt patet ex eiuſdem verbis cap. cit. addit enim: *Libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius* (videlicet Aman) *deoſculari paratus eſſem.*

Ad exemplum Cornelij Reſp. Primò cum D. Hieron. contra Vigilantium, exiſtimaſſe ipſum aliquid diuinum in Petro ineſſe, & ideo meritò correctum fuiſſe: vel ſecundò cum Chryſoſtomo, Cornelium piè veneratum fuiſſe Petrum, ſed è contra Petrum ex modeſtia eum honorem, qui alioquin ſibi meritò deferebatur, recuſaſſe: hoc enim magis ſtatui huius vitæ ac viæ propter ſuperbiæ pericula congruit: & ſic viri ſancti paſſim, honores maximè qui ob ſanctitatem deferri videntur, humiliter ſolent declinare; ſecus poteſt eſſe de honoribus qui ſuperioritati, & poteſtati deferuntur. 49

Ad exemplum Ioannis quod attinet, D. Aug. qu. 61. ſuper Geneſim, exiſtimat Ioannem erraſſe circa perſonam quam putauerit Chriſtum Dominum, & ideo voluerit cultu latriæ illum adorare, ac propterea ab Angelo monitum, ne ſibi eiuſmodi adorationem deferret. Veriſimilius tamen videtur non erraſſe Ioannem circa perſonam, nam cap. 22. expreſsè dicitur ſub nomine Ioannis: *Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.* Vbi patet Ioannem agnouiſſe Angelum, & tamen adoraſſe. Cui etiam rurſum dixit Angelus *Vide ne feceris.* Dicendum igitur eſt, quemadmodum iam de Cornelio diximus, Ioannem bene feciſſe conuenienti cultu duliæ Angelum honorando: quod confirmari ex eo poteſt, quod ſecundò idem fecerit: neque exiſtimandus ſit fuiſſe tanta in re obliuioſus aut indocilis; è contra verò Angelum quoque potuiſſe cum modeſtia conuenienter recuſare, tum propter exaltatam naturam humanam in Chriſto, tum propter eminentiam tanti Apoſtoli, qualis erat Ioannes. 50

Quod denique attinet ad Paulum & Barnabam, manifeſtè ex eodem loco conſtat Lycaonenſes voluiſſe eis deferre cultum diuinum: nam accurrebat Sacerdos Iouis cum tauris vt Apoſtolis immolaret, quos honores meritò reiecerunt.

Dico Secundò: Cultus hic SS. longè perfectior eſt, & diuerſæ eſt rationis à cultu ciuili qui defertur hominibus ob excellentiam aliquam purè moralem, aut publicam poteſtatem: atque adeo talis eſt, vt meritò ſacer & religioſus vocetur. 51

Probatur Primò ex formulis & ritibus, quibus ſecundum antiquiſſimam & Apoſtolicam Eccleſiæ traditionem Sancti cum Chriſto regnantes conſueuerunt ab Eccleſia honorari: nam inprimis eos colit Eccleſia Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Vnde ſcribit Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 16. Quibus rebus Deus colitur, eiſdem ſerui eius oblectantur: quapropter

propter pſalmis, hymnis, & canticis ſupernaturalibus Sanctos colimus.

Deinde honorat eos Eccleſia dicando
52 Deo ſacros dies in ipſorum memoriam & venerationem: deſtinantur quidem illi dies primariò ad Dei cultum, vt ipſe laudetur in Sanctis ſuis, & in donis quæ illis contulit; redundant tamen ſimul in SS. gloriam. Vide Tertul. lib. de Corona militis in principio, Nazianz. Orat. 18. Cypr. lib. 4. epiſt. 5. cuius verba ſuprà citauimus, & Conc. Toletanum 3. cap. 23. vbi præcipitur, vt feſta S S. religioſis operibus celebrentur: & refertur Capitulo Irreligioſa de Conſecrat. d. 3.

Præterea colit Sanctos & templis, & al-
53 taribus Deo erectis, & ſimul in memoriam & honorem S S. dicatis. Quanquam enim hæc primariò ad Dei cultum referantur (Deo namq; in illis, non Sanctis ſacrificiū offertur, quâ etiam ratione templa & altaria propriè dicuntur propter reſpectum quem habent ad ſacrificium) tamen ſecundariò ad Sanctorum quoque honorem referuntur, quatenus in ipſorum memoriam, eorumve reliquias honorificè conſeruandas extruuntur. Et hâc ratione vocari ſolent Baſilicæ ſeu memoriæ Martyrum. Vide Chryſoſt. Homil. 28. ad populum Antiochænum, vbi vocat ædes oratorias & Martyrum monumenta: Hinc etiam Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 16. ſic ſcribit, An non honorandi ſunt qui totius humani generis patronos ſe profitentur? honorandi quidem, & ita certè, vt in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memorias colamus; atque in eis ſpiritualiter oblectemur. Et hanc fuiſſe perpetuam & apoſtolicam traditionem de extruendis Eccleſijs in S S. memoriam patet ex Epiphanio hæreſi 69. omnino in principio, ex Ambroſio lib. 1. epiſt. 5. D. Aug. lib. 1. de Ciuitate cap. 1. Teſtantur, inquit, hoc martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione vrbis ad ſe confugientes ſuos, (videlicet Chriſtianos) alienoſq; (videl. Gentiles) receperunt, huc vſq; cruentus, inquit, ſæuiebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, &c. Idem teſtatur Gregorius 2. dialog. cap. 8. & Leo ſerm. 1. de B. Petro & Paulo.

Deniq; coluntur Sancti ieiunijs, vigilijs,
54 peregrinationibus, luminaribus accenſis, & alijs id genus actionibus: vnde Paulinus natali 3. Felicis:

Aurea nunc niueis ornantur lumina velis:
Clara coronantur denſis altaria lichnis, &c.

Leo ſerm. 2. de ieiunio 10. menſis, Quarrâ igitur & ſextâ feriâ ieiunemus; Sabatho autem apud B. Petrum Apoſtolum pariter vigilemus. Vide D. Hieron. contra Vigilantiū, vbi hæc ex profeſſo docet; Hi autem modi, & ritus honorandi S S. ſatis superque ſignificant cultum qui eis defertur, eminentiorem eſſe, & longè alterius rationis à quouis cultu politico, atque adeo ſacrum & religioſum habendum eſſe; ergò &c.

Probatur Secundò ratione: Quia S S. 55
in cælis cum Chriſto regnantes honorantur ob perfectionem & excellentiam ſupernaturalem, quæ per ſe primo eſt ordinata ad finem ſupernaturalem; ergò honor ille altioris, & diuerſi eſt ordinis ab eo, qui mortalibus defertur ob excellentiam qualemcumque creatam connaturalem creaturæ intellectuali. Probatur Conſ. quia virtutes & earum actus ex obiectis diſtinguuntur; atqui excellentia perſonæ honoratæ eſt obiectum formale virtutis quâ mouemur ad illam debito modo honorandam; ergò vbi ſunt excellentiæ tam diſtincti ordinis in perſonis honorandis, erunt quoque diſtinctæ virtutes diuerſarum rationum in honorantibus.

Et hinc patet altera Concluſionis pars: 56
Quod videlicet cultus Sanctorum meritò dicatur ſacer & religioſus: primò ac principaliter, quia reſpicit excellentiam ſupernaturalem, imò hæc excellentia eſt ipſa ſanctitas creata vt perfectiones & virtutes ſupernaturales omnes complectitur: ergò honor qui propter hanc ſanctam excellentiam defertur, meritò vocatur à tali obiecto ſacer & religioſus.

Accedit Secūdò, quod ille cultus tendat quoq; directè, quamuis non omninò proximè, in honorem Dei tanquam auctoris huiuſmodi bonorum ſupernaturalium, & tanquam ſupernaturalis finis eorundem.

Tertiò, Quia cultus ille ex Fide & religione procedit: non enim ita Sanctos coleremus, niſi crederemus eos poſt mortem ſuperſtites, & ęternâ beatitudine frui, Deo ſemper gratos & amicos. Sed

Obijcitur: Adoratio Sanctorum in cæ- 57
lis eſt eiuſdem rationis cum adoratione quæ exhibetur homini iuſto adhuc mortali, aut Prophetæ, aut Euangelij preconi. Hinc enim Athan. lib. de Virginit. circa finem ſcribit, Si homo iuſtus ædes tuas intrauerit, adorabis humi ad pedes illius: & D. Hieron. in vita Paulæ refert, illam, cum S S. Eremitas inuiſeret, ſolitam eſſe ad eorum pedes deuolui, ac ſi in ſingulis Chriſtum adoraret.

Et probatur ratione: Quia gratia & ſanctitas, quæ ſunt præcipuum fundamentum huius adorationis, ſunt in vtriſque eiuſdem rationis; ergò & adoratio vtriſque

debita;

debita: atqui honor qui deportatur viris ſanctis mortalibus, quia ſancti ſunt, non videtur poſſe dici cultus ſacer & religioſus: neque talibus modis & ritibus poſſe exhiberi, quibus nos colimus Sanctos in cælis; ergò etiam horum cultus non debet vocari religioſus, imò nec talibus ſignis & modis iam recenſitis exhiberi, in quibus videtur exceſſus, & proinde cenſendus apparet cultus ſuperſtitioſus aut irreligioſus.

58 Reſpondetur admittendo adorationes prædictas pertinere ad eandem virtutem, ab eodemque habitu procedere: quod & Auctoritates, & ratio allegata ſatis videntur oſtendere. Vnde nos quoque ſuprà argumentum deduximus ab honore delato viris ſanctis & Prophetis in hac vita, ad confirmandum cultum Sanctorum in cælis. Item Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. ſcribit: Colimus martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, quorum ad talem pro euangelica veritate paſſionem, paratum animum eſſe ſentimus. Sed Neg. eſt Conſeq. pro vtraque conſequentis parte: quoad priorem, ratio eſt: quia etiam honor ille, qui defertur iuſto in nomine iuſti, aut Prophetæ in nomine Prophetæ, diſtinctus eſt à cultu ciuili: & rectè dici poteſt ſacer ſiue religioſus, ratione videlicet obiecti formalis, quia ob ſanctitatem & religionem, aut aliud ſacrum donum, vel ſacram poteſtatem defertur: quo ſenſu diximus cultum Sanctorum potiſſimùm vocari ſacrum. Accedit quod etiam cultus hominis iuſti tendat directè, quamuis non proximè, in honorem Dei, qui eſt auctor & finis eiuſmodi ſpiritualis perfectionis & excellentiæ.

59 Quod ad ſecundam verò partem attinet, ratio negatæ conſeq. eſt: quia licet idem ſpecie habitus inclinet ad adorandum hominem iuſtum in hac vita, & S S. in cælis cum Chriſto regnantes, tamen Chriſtiana prudentia dictat ſolemnioribus, ac etiam vt ſic religioſioribus ſignis & ritibus cultum illum deportandum Sanctis in cælo, quàm iuſtis in terra: quod rectè monuit D. Aug. loco ſuprà citato his verbis: Sed illos tantò deuotius, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata colimus, quantò etiam fidentiori laude prædicamus in vita fæliciori victores, quàm in iſta adhucuſque pugnantes: quia igitur ſtatus beatorum perfectior eſt, tum in charitate, quia ab eâ excidere non poſſunt, tum in cognitione quia Deum clare intuentur, ac in ipſa vnione cum Deo, tum in poteſtate & gradu honoris, quia cum Chriſto regnant, & cum eo in thronis ſedent: hinc prudentia Chriſtianæ ratio monet, vt virtutes eorum, & perfectiones celebrioribus actibus recognoſcantur, & teſtatæ reddantur.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrùm Adoratio Sanctorum ſit adoratio abſoluta, an reſpectiua tantum?

Ratio huius dubitationis eſt: quia Sancti Patres ſic de illâ loquuntur, vt videantur eam ſolùm agnoſcere tanquam reſpectiuam, quòd videlicet ſolum colantur S S. quatenus in eis colitur Deus. Sic in Synodo 7. act. 4. poſt medium dicitur: Sanctos veneramur vt amicos Dei, & honor qui Sanctis impenditur in Deum recurrit, & qui martyres colit, Deum ipſum colit: Athanaſius quoque loco ſuprà citato, Non enim illum, inquit, (videlicet iuſtum) ſed Deum adorabis, qui illum mittit: Baſilius Orat. in 40. martyres: Honor quem bonis conſeruis exhibemus, beneuolentiæ erga communem Dominum ſignificationem de ſe præbet. Similia habent Hieron. epiſt. ad Riparium, & Ambroſ. ſerm. 6. in fine: Damaſc. quoque clariſſimè lib. 4. de Fide cap. 16. Is honor, inquit, qui probis conſeruis habetur, beneuoli erga communem Dominum animi argumentum eſt: illi ſanè Dei promptuaria, & pura domicilia extiterunt: & infrà: Quid igitur afferri poteſt quin animatis Dei templis & viuis Dei tabernaculis honor ſit adhibendus; ergò videtur quod Sancti tantummodo adorentur ob ordinem aliquem, quem habent ad extrinſecam ipſis diuinam excellentiam: vt quia ſunt viua Dei templa, Dei ſerui & amici, ſic vt Deus ſit proxima ratio ipſos colendi & adorandi; & ad ipsū tantummodo tanquam perſonam adoratam iſte cultus terminetur. His tamen non obſtantibus 60

Dicendum eſt, Propriam & vſitatam adorationem, quâ à nobis adorantur Sancti, ſimpliciter loquendo, eſſe adorationem abſolutam. Eſt communis ſenſus Doctorum vt colligitur ex iiſdem in Tertium diſt. 9. & ex D. Th. hic art. 3. ad Tertium, vbi ſcribit, quod creaturæ rationali debetur reuerentia propter ſe ipſam, & ideo non eſſe illi tanquam imagini Dei deferendam adorationem latriæ, qualis cruci Chriſti, aut imagini Chriſti defertur: quia poſſet erroris eſſe occaſio. 61

Probatur & ſimul explicatur Concluſio; quia Sancti iuxta vſitatam eos colendi rationem, adorantur à nobis propter inhærentem eis excellentiam, videlicet ob participatam diuinam perfectionem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit: vnde

Adrianus

Adrianus Papa in epiſt. ad Conſtantinum, & Irenæum quæ habetur in Synodo 7. act. 2. ſcribit, Decet eos honor & veneratio propter iuſtitiam ipſorum. Idem docet Euſebius lib. 10. de Præparat. euangelica. Deinde ipſi ſunt ſuppoſita naturæ intellectualis, quæ poſſunt attendere, & gratum & acceptum habere honorem ſibi delatum, ſupplicationes quoq; noſtras ſibi pro ipſorum cultu, & noſtris indigentijs factas intelligere, ac viciſſim ſuis cultoribus bona præſtare pro eis apud Deũ intercedendo; ergò adoratio illa, ſimpliciter loquendo, eſt adoratio abſoluta, & non reſpectiua vt hæc contra abſolutam ſolet diſtingui.

Confirmatur: Quia hæc adoratio ſiſtit formaliter in ipſis Sanctis tanquam perſonis propter ſuam excellentiam honorabilibus; ergò eſt abſoluta: nihil enim aliud ad abſolutam adorationem videtur poſſe requiri.

62 Nihilominus tamen poſſet aliquo ſenſu dici ſecundum quid reſpectiua.

Primò: Quia ſicut omne opus bonum ſupernaturale, ita hæc quoque ex naturâ ſuâ tendit in Deum tanquam vltimum finem ſupernaturalem: Deinde, quia ſicut aliud opus bonum, ita hæc quoque per imperium virtutis religionis poteſt ad Dei cultum referri: ſed hoc non eſt ſimpliciter eſſe adorationem reſpectiuam, loquendo de illa eo ſenſu, quo DD. illas duas adorationes diſtinguunt: quia hoc modo illa ſola eſt reſpectiua, quæ exhibetur rei non propter intrinſecam aliquam realem eius perfectionem, ſed tantummodo propter excellentiam alicuius perſonæ, ad quã habet certam aliquã & particularẽ habitudinem: vnde hæc vt ſic defertur potiſſimum non perſonis, ſed rebus ordinem aliquem ad perſonam excellentem habentibus: imò quando etiam defertur aliquando perſonę, tunc non tam defertur illi vt habenti rationem perſonæ, quàm tanquam rei pertinenti quoquo modo ad aliam perſonam, ob cuius excellentiam & reſpectum, hæc eſt in veneratione. Adoratio igitur quâ viſitato modo Sancti à nobis adorantur abſoluta eſt; eſtque ea quæ nomine Duliæ ſignificatur, & à latria diſtinguitur: quia in excellentia inferioris ordinis proximè fundatur.

63 Ex dictis poteſt colligi, quæ ſit mens Patrum, quos in ratione dubitandi allegauimus, videl. Sanctorum cultum & adorationem, eſſe cultum & adorationem Dei: non quod diuina excellentia ſit proxima ratio, quæ ad hanc adorationem moueat, vel quod in Sanctis tanquam in ſuppoſitis intellectualibus, & propter ſuas extrinſecas perfectiones adorabilibus nõ ſiſtat; ſed quia illa Sanctorum excellentia ob quam adorantur, eſt quædam participatio diuinæ naturæ ad ſupernaturalem, & diuinum quodammodo ordinem pertinens: vnde & honor omnis, qui propter illam defertur, tendit per ſe in gloriam Dei; atque adeo in Deum ipſum tanquam auctorem & finem talium perfectionum.

Addi verò his poteſt, ſi Sancti præcisè ſpectarentur vt templa in quibus ſingulari modo Deus inhabitat, vel vt ſunt imago Dei quatenus per gratiam reformati, hoc quidem modo poſſe eos adorari adoratione reſpectiua, quæ propter Dei excellentiam, cuius ſunt templa & imago, deferatur: non autem propter perfectiones ipſorum creatas intrinſecas, ſed præcisè propter ordinem quem ratione harum qualitatum habent ad ipſum Deum, ſic vt adoratio hæc non intelligatur ſiſtere in illis vt perſonis, ſed quaſi per eos tanquam res Dei tranſeat ad Deum, in quem tanquam in perſonam adoratam proximè & vltimatè terminetur: ad quem adorandi modum citati ſupra Patres, forſitan etiam reſpexerunt.

Petet aliquis: Vtrùm Adoratio Sanctorum abſoluta procedat ex habitu religionis ſiue latriæ? an ex alio aliquo? Ratio dubitandi poteſt eſſe: quia virtus inclinans ad colendam principalem aliquam excellentiam alicuius ordinis, conſequenter videtur inclinare ad colendas omnes excellentias participatiuè ſpectantes ad eundem ordinem. Reſpondetur: Marſilius in Tertium qu. 8. art. 1. opinatur habitum latrię & dulię eſſe vnum & eundem, quam opinionem dicit Suarez in tertiam Partem tomo 1. Diſput. 52. ſect. 3. eſſe planè probabilem: addit tamen magis cõmunem & veriorem eſſe ſententiam, quæ tenet latriam & duliam eſſe habitus diſtinctos. Colligitur ex D. Thoma varijs locis 2. 2. qu. 25. art. 1. ad Secundum, & qu. 81. ubi ſolùm Deum conſtituit religionis obiectum: idem indicat qu. 102. & 103. vbi ponit alias virtutes ad colendos homines: Idem docet D. Bonauent. cum alijs DD. in Tertium d. 9. Et ratio reddi poteſt, quia adoratio per ſe primò tendit ad excellentiam vt ſic; ergò vbi eſt tanta diuerſitas excellentiæ, quanta eſt inter Deũ & creaturas, non tantum adorationis actus, ſed etiam habitus ipſos, qui horum ſunt principia, diuerſos eſſe neceſſe eſt. Vnde ad rationem dubitandi 64

Reſpondetur Neg. Aſſump. ſi intelligatur, quod virtus illa ſemper tanquam principium proprium inclinet ad colendas inferiores excellentias, ſic vt ipſa eliciat earum cultum: poſſet tamen dici inclinare 65

ad colen-

ad colendas eiuſdem participatas excellentias, quatenus poteſt imperare hos actus, & referre in cultum ſupremæ & infinitæ excellentiæ, idque tantò magis, quantò veneratio inferioris excellentiæ habet maiorem proportionem & coniunctionem cum honore illius ſupremæ excellentiæ: ſed hoc non arguit, quo minus ſit ſtatuendus particularis habitus à quo eliciantur actus adorationis Sanctorum, Sed diſputatio iſta propriè non eſt huius loci,

DVBIVM TERTIVM.

Vtrùm Sancti à nobis ſint inuocandi?

66 RESPONDEO & dico Primò: Sancti ſiue Angeli, ſiue homines non ſunt inuocandi tanquam principales auctores beneficiorum ſiue gratiæ, ſiue gloriæ, quæ poſtulamus. Patet, quia ſolus Deus agnoſcendus eſt author horum principalis, qui ſuâ virtute propriâ poſſit nobis iſta donare, iuxta illud Pſalmi 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: vnde in orationibus quæ in Sanctorum feſtis leguntur in miſſa, vel officio diuino, nihil ſolet peti, quàm vt ipſorum precibus & interceſſione nobis à Deo beneficia concedantur.

67 Notandum tamen eſt: In precibus ad Sanctos directis, ſpectandum ſemper eſſe ſenſum formularum, & intentionem eas dictantis vel orantis: nam quædam ita ſonant, quòd ab ipſis Sanctis petamus protectionem contra hoſtes, peccatorum remiſſionem, illuminationem, ſalutem, & ſimilia. Vt in quodam hymno ad Beatam Virginem, Tu nos ab hoſte protege: & in altero: Solue vincula reis, profer lumen cœcis: Item in hymno Apoſtolorum: Quorum præcepto ſubditur ſalus, & languor omnium: ſanate ægros moribus, &c.

Sed hæc & ſimilia, iuxta vſitatam intelligendi Eccleſiæ rationem, intelligntur peti à Sanctis vt nobis ſuâ interceſſione apud Deum iſta impetrent, non vt ſuâ abſolutâ autoritate & virtute conferant: quod etiam communiter aliquæ particulæ adiunctæ in ſimilibus precibus ſolent indicare. Vnde in eodem hymno vbi dicitur, Profer lumen cœcis: additur, Bona cuncta poſce, Vbi indicatur, quod eius poſtulationibus rogemus nobis concedi bona à Deo, Neque hic loquendi modus debet videri inſolens aut alienus: ſi enim licuit Apoſtolo ad Rom. 11. dicere: *Vt ſaluos faciam aliquos ex illis*, & 1. ad Corrinth. 9. *Vt omnes facerem ſaluos*, videlicet prædicationibus, precibus, conuerſatione, & vitæ exemplo: cur non licebit nobis dicere & rogare Sanctos in cælis, vt à peccatis nos liberent, vt illuminent? non vt tanquam principalis cauſa ea conferant, ſed vt tanquam deprecatores apud Deum iſta nobis obtineant.

68 Dico Secundò: Sancti quoque non ſunt inuocandi tanquam mediatores noſtri principales & primi apud Deum, qui abſque Mediatore Chriſto valeant nobis beneficia impetrare, ſed ſolùm tanquam ſecundarij, qui pro nobis apud Chriſtum, ſiue apud Deum per Chriſtum intercedant: vnde nos inuocamus Sanctos vt nobiſcum faciant quod nos facimus: quia melius & efficacius ipſi facere poſſunt, quã nos, & melius illi & nos ſimul, quàm nos ſoli, & propterea illos comprecatores nobiſcum eſſe deſideramus.

69 Probatur Concluſio: Quia non eſt aliud nomen datum hominibus in quo poſſint ſalui fieri, quam in nomine Chriſti; ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis totius mundi. Vnde Auguſtinus in Pſalm. 108. exponens illud, *Oratio eius fiat in peccatum*, dicit, Orationem, quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poſſe delere, ſed etiam ipſam eſſe peccatum: Ambroſius lib. de Iſaac. cap. 8. Ipſe Chriſtus eſt os noſtrum, per quod Patri loquimur: & Bernardus ſerm. qui incipit, Signum magnum, &c. Opus eſt, inquit, mediatore ad mediatorem, nec alter nobis vtilior, quàm Maria. Non ſunt igitur Sancti inuocandi tanquam patroni & mediatores primi, & independentes à meritis, & interpellatione alterius, quaſi ipſi, quâ pollent gratiâ & meritis apud Deum poſſint ſine mediatore Chriſto impetrare nobis apud Deum ea quæ poſtulamus. Quod etiam ex orationibus Eccleſiæ comprobatur: quia omnes quæ de Sanctis ſunt, hanc, aut ſimilem habent formam: Concede, aut, Præſta nobis omnipotens Deus, interceſſione huius aut illius Sancti, per Chriſtum Dominum noſtrum.

70 Dico Tertiò: Sancti in cælis piè, atque vtiliter inuocantur à viuentibus, vt ſint comprecatores noſtri, vt pro nobis apud Chriſtum, ſiue apud Deum per Chriſtum intercedant; & nobis ſalutaria impetrent. Ita docet Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 2. de Inuocatione Sanctorum, vbi mandat quatenus Epiſcopi & Paſtores diligenter inſtruant Chriſti fideles, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre: bonum atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium eius Ie-

ſvm Chriſtum ad eorum orationes, opem, auxiliumq́ue confugere.

71 Probatur primò ex Scripturis, Geneſ. cap. 48. Iacob benedicens filijs Ioſeph ait, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Vbi manifeſtè Iacob inuocat Angeli opem & benedictionem circa pueros iſtos, vt ſcilicet protegat eos & cuſtodiat: Iob capite 5. *Voca, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Quibus indicatur etiam tunc in more fuiſſe confugere ad Sanctos, ſiue Sanctorum inuocationem. Vbi Sanctorum nomine Diuus Auguſtinus intelligit, Angelos: Exodi 32. ita orat Moyſes, *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſraël, ſeruorum tuorum*: Danielis 3. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſraël ſanctum tuum.* Neqoe in bis & ſimilibus precibus tantummodo commemoratur pactum, quod Deus cum patriarchis fecerat de protegenda & promouenda ipſorum poſteritate, vt vult Caluinus: ſed ſimul etiam ipſorum iuſtitia & virtutes allegantur, quibus Deo grati extiterunt & extant. Vnde & Dominus apud Hieremiam cap. 15. dicit, *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Quod non dicit propter pactum ſuum cum ipſis, ſed propter ipſorum iuſtitiam, & cum Deo amicitiam, quod ne hæc quidem poſſint eum commouere ad affectum applicādum erga populum iſtum. Hic tamen

72 Notandum: Quia ante Chriſti adoentum, Sancti qui moriebantur, non intrabant in cælum, neque clarè Deum videbant, ac proinde neque ordinariè ſic cognouerant in particulari preces ſupplicantium, quemadmodum modò Beati in cælis, idcirco non fuiſſe conſuetum tempore antiqui teſtamenti orare ſub hac forma, Sancte Abraham, aut, Sancte Iſaac ora pro nobis: ſed homines illius temporis orando conſueuiſſe allegare merita Sanctorum qui obierant, vt ipſorum orationes per horum commemorationem adiuuarentur, & fierent efficaciores.

73 Poteſt Secundò prabari Concloſio ex illis Scripturis, quæ ſignificant Sanctos pro nobis orare: quod inprimis indicant verba Hieremiæ citata: 2. Machab. cap. vlt. legitur Iudas in quadam viſione vidiſſe Oniam Pontificem & Hieremiam Prophetam qui iam obierant orantes pro populo Iudæorum: Apocalip. 5. deſcribuntur 24. ſeniores procidiſſe corā throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ibidem dicuntur eſſe orationes Sanctorum, quas Primaſius, Richardus, & alij in illum locum dicunt eſſe interceſſiones Sanctorum pro infirmorum ſtabilitate: ex Tobiæ cap. 12. Zachariæ 1. Danielis 10. Pſalm. 90. Apocalip. 8. & Matth. 18, planè conſtat Angelos noſtri curam habere, & nos, ac preces noſtras apud Deum commendare: Lucæ 16. Diues epulo orat pro fratribus: multò magis igitur boni & Sancti orant pro ſuis conſeruis, & pro tota Eccleſia.

74 Accedit quod iuxta Scripturam ſacram ſit cōmunio Eccleſiæ triumphātis cum militante: Ad Hebræos 12. dicit Apoſtolus: nos acceſſiſſe ad Eccleſiam primitiuorum, qui ſunt in cælis: ad Galat. 4. dicit matrem noſtram eſſe Hieruſalem, quæ eſt in cælis: ad Epheſ. 2. docet Chriſtum eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam, tam quę in cælis, quam quæ in terris eſt, vt ſuprà fuit explicatum; atqui cōmunio iſta poſtulat vt membra pro ſe iuuicem ſint ſollieita, ſeſe iuuent, & firmiora infirmioribus ſuccurrant, vt boni conciues eiuſdem Reip. aut communitatis facere ſolent, de quo videre licet D. Auguſtinum lib. 20. de Ciuit. cap. 9. Quod ſi Sancti in cælis de nobis ſolliciti ſint, & pro nobis orent, conueniens quoque ac pium eſt, nos ipſorum interceſſiones & ſuffragia poſtulare.

75 Probatur Tertiò ex antiquis Concilijs: Actione 11. Concilij Calcedonenſis ſic loquuntur Patres: Flauianus poſt mortem viuit & martyr pro nobis orat: Synodus 7. act. 6. ſic loquitur: Cum timore omnia agamus, poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, omniumq́ue Sanctorum. Similia habentur in Concilio Gerundenſi cap. 3. Aurelianenſi 1. cap. 29. in Moguntino ſub Carolo Magno cap. 33. Toletano 5. cap. 1. & in Toletano 6. cap. 2. & Braccarenſi 2. cap. 9. indicuntur litaniæ recitandæ triduo ante Aſcenſionem, & dicebantur circumeundo aliqua loca, quemadmodum adhuc fit hoc tempore in rogationibus: quæ omnia ferè Concilia iam ante annos mille aut circiter fuerunt celebrata.

76 Probatur quartò: Quia idem vniformiter docent omnes antiqui Patres, tum Græci, tum Latini: Dionyſius cap. 7. Eccleſiaſt. Hier. docet eum impoſſibile quid tentare, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipſorum conſentaneas ſacras operationes abigit. Vbi manifeſtè ſupponit tunc in vſu fuiſſe, implorare Sanctorum preces: S. Irenæus lib. 5. contra hæreſes vltra medium, Et ſicut illa (videlicet Eua) ſeducta eſt, vt effugeret Deum, ſic hæc (videlicet Maria) ſuaſa eſt obedire Deo: vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata: Euſe-

ta: Euſebius lib. 13. de præparat. Euangelica cap. 7. Dei amicos honorantes ad monumenta illorum quoque accedimus, votaque ipſis facimus tanquam viris Sanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum nos iuuari profitemur: Athanaſius ſerm. de Sanctiſſima Deipara: Ad te clamamus: recordare noſtri Sanctiſſima Virgo: & infrà: Intercede hera & Domina, & Regina, & Mater Dei: Cyrillus Catecheſi 5. Cum hoc ſacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum qui ante nos obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum vt Deus illorum orationibus ſuſcipiat preces: Ambroſius lib. de Viduis viti medium: Obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati: ſunt martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare, poſſunt pro peccatis noſtris rogare, &c. Hieronymus in epitaphio Paulæ, Vale, inquit, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua, fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius quod poſtulas, impetrabis: Aug. tract. 84. in Ioannem: Ideo quippe ad ipſam menſam, inquit, non ſic eos (martyres ſcilicet de quibus loquitur) commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro ipſis oremus, ſed magis vt ipſi pro nobis orent. Vide plura Patrum teſtimonia apud Bellar. tomo 2. lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 19.

Obiectiones Hæreticorum,

77 Sed obijciunt hæretici Primò: Ad Rom. 10. dicit Apoſtolus, *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* ergò nemo poteſt inuocari in quem non poteſt credi; imò in quem de facto non creditur; atqui in Deum ſolum poteſt credi; ergò hic ſolus poteſt inuocari: & per conſequens, iniuriam faciunt Deo qui Sanctos inuocant.

Reſpondetur, Apoſtolum loco & verbis citatis non docere, quem liceat, vel non liceat inuocare, ſed docere, quid prærequiratur ex parte alicuius vt poſſit nomen Domini inuocare: præcedit namque, *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*: & tunc ſequitur: *Quomodo ergo inuocabunt, in quē non crediderunt.* Docet itaq; prærequiri quòd quis credat in Dominum, priuſquam illum tanquàm Deū & Dominū poſſit inuocare: nemo enim ſincerà mente inuocabit aliquē tanquā Deum & authorem ſalutis à quo iuuari & ſaluari deſideret, quem non credit Deum & Dominum, ac ſalutis ſuæ authorem; hoc enim ratio rerum non patitur. Verùm inde non ſequitur, non poſſe nos inuocare Sanctos tanquam comprecatores nobiſcum, & interceſſores pro nobis, niſi credamus in illos tanquā Deos: ad hoc enim ſufficit, nos credere eos Dei amicos, & erga nos beneuolos, qui velint & valeant nobis deſiderata ſuis precibus impetrare apud Deū, vt per ſe patet. Quare

Ad formam argumenti reſponderi poteſt diſtinguendo primum conſequens: ſi enim intelligatur; ergò nemo poteſt inuocari ſub quâcumque ratione, aut titulo, niſi in quem tanquam Deum fide diuinâ creditur, ſic negatur conſequentia: & ratio patet ex dictis: ſi verò intelligatur; ergò nemo poteſt inuocari quomodolibet, niſi credatur ipſe eſſe talis pro quali inuocatur, & credatur poſſe præſtare ſuo modo vt petita obtineantur, ſic bene ſequitur, eſtque hoc verum: quamuis itaque non poſſimus in Sanctos tanquam in Deos credere, tamen rectè credimus Sanctos in cælis Deo charos eſſe, ipſos pro nobis orare & intercedere, Deum quoque multum tribuere precibus ipſorum: & hinc ex bona ratione, & abſq; Dei iniuria poſſunt eo modo à nobis inuocari.

Secundò

Obijciunt: 1. ad Timoth. cap. 2. dicitur, *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus* IESVS; ergò qui inuocat alios mediatores, iniuriam facit Chriſto. 78

Reſpondetur, qui alios inocat mediatores tanquam principales, & non innitentes meritis & patrocinio Chriſti, facit iniuriam Chriſto: vt diximus Concluſione 2. Eſt namque vnicus talis mediator, cuius interceſſio & merita pro hominibus apud Deum, neque præſupponunt antecedenter, neque requirunt concomitanter neceſſariò interceſſionem & merita alterius, à quibus ſiue in Eſſe ſuo, ſiue in ſuis operationibus & impetrationibus dependeant: hic autem eſt homo Chriſtus IESVS. Aſt verò qui inuocat alios, vt mediatores ad mediatorem: vt loquitur D. Bernardus ſuprà, ſiue tanquam mediatores apud Deum per Chriſtum, à quo habeant omnem ſuam virtutem interueniendi & impetrandi, non facit Chriſto iniuriam, non magis quàm qui petit pro ſe orationes hominis iuſti adhuc viuentis: quod iuxta Scripturam ſacram licitè ac piè fieri ipſi hæretici nobiſcum docent. Neque hic ſermo, quo ſecundarios mediatores admittimus, alienus eſt à modo loquendi Scripturæ: nam Moyſes Deuter. 5. de ſe dicit: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.*

Ad quæ verba alludens Apoſtolus ad Galat. 3. dicit legem ordinatam fuiſſe per Angelos in manu mediatoris, id eſt, Moyſis: Cyrillus quoque lib. 12. Theſauri cap. 10. dicit, Prophetas & Apoſtolos fuiſſe mediatores. Similiter Gregorius Nazianz. in oratione ad Gregorium Nizenum, martyres appellat mediatores inter Deum & nos. Sed

79 Contra replicant: Diuus Ambroſius in cap. 1. ad Rom. ſic ſcribit, Ad Deum autem (quem vtique nihil latet, omnia enim merita nouit) promerendum, ſuffragatore, inquit, non opus eſt, ſed mente deuotâ; ergò ne quidem debent inuocari Sancti, vt quocũq; modo nobis ſuffragentur apud Deum.

Reſpondetur, Diuus Ambroſius eo loco reprehendit Ethnicos, qui creaturam pro Creatore colebant: tractat enim hæc Apoſtoli verba, *Et mutauerunt gloriam Dei*, &c. ac reijcit ſimul quorundam excuſationem ſuper cultu illo creaturæ, qui dicerent per creaturas poſſe iri ad Deum, ſicut per Comites peruenitur ad Principem, idque duplici argumento refutat: Primò, quia qui honorificentiam Regis vendicat Comiti, iure vt reus damnatur majeſtatis, Et iſti, inquit, ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino, conſeruos adorant, adoratione videlicet Deo debitâ, de qua ſatis conſtat ipſum ibi loqui. Deinde addit, quod non eadem ſit ratio Regis & Dei: quia Rex pro ſua parte indiget perſonis intermedijs, quia nón poteſt ſingulorum ſubditorum ipſe virtutes & merita noſcere, & proinde debent interuenire qui Regem informent de ipſis, vt cognoſcat quibus regnum ſuum committat; Deus verò intuetur omnia, vnde ipſi opus non eſt internuntijs per quos de actibus noſtris & ſtatu informetur, quemadmodum illi qui cultum diuinum creaturis exhibitum conabantur excuſare, id viſi ſunt apud Ambroſium intellexiſſe & voluiſſe. Quare ſub tali conſideratione, & cum tali mente non ſunt aliqui interceſſores interpellandi aut colendi. De reliquo, quod D. Ambroſius comprobet inuocationem Sanctorum prout à Chriſtianis exercetur, ſatis conſtat ex verbis eius iam ante n. 76. citatis ex lib. de Viduis.

Tertiò

80 Obijciunt: Ad Coloſſenſ. 2. dicitur, *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans.* Hic reprobatur cultus Angelorum ab Apoſtolo; ergò multò magis reprobandus eſt cultus hominum mortuorum.

Reſpondetur: quidam ex ijs qui legis neceſſitatem adhuc aſtruebant (contra quos ibi Apoſtolus agit) docebant ſimul, non accedendum ad Patrem per Chriſtum: quia hoc maius eſt, quam vt ad nos pertineat, quamque noſtra paruitas ferat: imò indignum dicebant Vnigeniti majeſtate, quod ipſe ad Patrem nos duceret & reconciliaret, ſed accedendum dicebant per Angelos, quos Chriſti loco faciebant mediatores, ſine quibus ad ſummum, & vniuerſorum Deum perueniri non poſſit: vt notant hæc in ſuis commentarijs in hunc locum Chryſoſt. Oecum. Theodoret. & Theophilactus.

Videtur autem hæc hæreſis proceſſiſſe partim ex Schola Platonicorum, qui docuerunt Angelos tanquam minores Deos fabricaſſe mundum, ac eius totalem habere adminiſtrationem, partim quoque ex eo, quod lex vetus fuerit in manu Moyſis per Angelos ordinata. Primus verò eius auctor putatur fuiſſe Symon Magus: vt conſtat ex Epiphanio hæreſi Symonis. De eadem quoque ſcribunt Irenæus lib. 1. de hæreſibus cap. 20. & Tertullianus lib. de præſcriptione: & damnatur in Conc. Laodiceno cap. 35. vbi dicitur, Non oportet Chriſtianos derelictâ Eccleſiâ abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quicumque autem inuentus fuerit occultè huic idololatriæ vacans, anathema ſit: quoniam derelinquens Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum acceſſit ad idola.

Huic conformiter, & eodem ſenſu intelligendum eſt quod ſcribit Theodoretus ad citata Apoſtoli verba, Synodus quoque, quæ conuenit Laodiceæ, quæ erat Phrigiæ Metropolis (vbi dixerat vitium illud ſuperſtitioſi cultus Angelorum diu manſiſſe) lege prohibuit: Ne precarentur Angelos, videlicet adoratione idololatricâ, quâ deſerentes Chriſtum, vt Synodus loquitur, confugiebant ad Angelos, tanquam paruos Deos & mediatores, ſine quibus neque Deo reconciliari, neque ad eum peruenire poſſent. Addit ibidem Theodoretus, Et in hodiernum vſque diem videre licet apud iſtos, & eorum finitimos, oratoria Sancti Michaelis, videl. quæ aliquando ſuperſtitioſo iſto cultu iam explicato fuerant ei dedicata, & veriſimiliter tum in alium meliorem vſum conuerſa: quemadmodum templa idolorum multa fuerunt conuerſa in baſilicas, & memorias martyrum, vt ſuprà Dubio 1. ex codē Theodoreto oſtendimus. 81

Quod igitur ad verba Apoſtoli attinet, monet ipſe Coloſſenſes: vt non permittant ſe ſeduci ab iſtis impoſtoribus, qui ſub ſpecie humi- 82

cie humilitatis, & quaſi venerationis erga Deum, ac eius vnigenitum Filium ſeducebant homines à Chriſto, & à fide in Chriſtum tanquam redemptorem, mediatorem & Saluatorem noſtrum, & inducebant ſuperſtitioſum, ac idololatricum quendam Angelorum cultum, eo quod illi legem ordinaſſent in manu Moyſis, & per Prophetas locuti fuiſſent: quos proinde tanquam mediatores, excluſo Chriſto, volebant adorandos eſſe: eiuſmodi ergò ſuperſtitionem ibi reijcit Apoſtolus: non autem debitum ipſorum cultum, quem abſque Chriſti mediatoris excluſione, aut iniuria, eis deferendum docent Catholici.

Colligitur hoc ipſum ex verbis adiunctis, dicit enim *Nemo vos ſeducat* &c. *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones,* &c. quibus ſatis declarat eos Chriſtum deſeruiſſe, qui totius corporis Eccleſiæ caput eſt, qui Angelorum hanc religionem Coloſſenſibus obtrudebant.

Quartò

84 Obijciunt: Sancti iam defuncti non cognoſcunt viuentium preces; fruſtra igitur inuocantur: Antecedens probatur tum ex Script. tum ex Patribus: 3. Regum 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum;* ergò Sancti non intelligunt noſtra deſideria & cogitationes: apud Eccleſiaſt. cap. 9. *Viuentes ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius:* Iſaiæ 63. *Tu es enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos.* 4. Regum 22. dicit Dominus Ioſiæ regi, *Colligam te ad Patres tuos,* &c. *vt non videant oculi tui omnia mala quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.*

Diuus Auguſtinus quoque de Cura pro mortuis cap. 13. ſcribit, Si parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerunt quid agamus, quidve patiamur? Iſaias Propheta dicit, *Abraham neſciuit nos,* &c. D. Greg. Nazianz. Oratione in Gorgiam ſororem ſuam circa finem: Si tibi, inquit, aliqua ſermonis noſtri eſt ratio, & hoc Sanctis animis à Deo munus vt talia reſiſcant: ſuſcipe noſtrum ſermonem, multorum epitaphiorum loco. Vbi Gregorius videtur dubitare, an Sancti nos intelligant.

85 Reſpondetur: inprimis poteſt negari Conſequentia primi argumenti: nam D. Auguſtinus de Cura pro mortuis cap. 16. diſputans de modo quo opitulentur martyres ijs, quos dicit certum eſſe, per eos adiuuari, allegat etiam hunc modum, quod ipſis martyribus in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, Deus qui vbique eſt præſens exaudiens martyrum preces, præbeat per Angelica miniſteria hominibus iſta ſolatia, quibus in huius vitæ miſeria iudicat talia eſſe præbenda: & ſic ipſe commendat martyrum ſuorum merita, idque maximè per eorum memorias, quas videlicet facimus eos colendo & inuocando. Et rationem adiungit: quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, pro cuius illi confeſſione ſunt paſſi. Vbi Diuus Auguſtinus admittit illa poſſe ſimul ſtare, quod Sancti non interſint mortalium conuerſationi, nec in particulari intelligant, aut cognoſcant quæ à nobis geruntur, & tamen vtiliter & cum fructu celebrentur ipſorum memoriæ; atque à nobis inuocentur: tum quia ipſi generaliter orant pro indigentia ſupplicantium, eorumque preces Deus exaudit, tum quia Deus intelligit memorias & inuocationes martyrum, quas nos facimus, & ipſe ad eorum merita commendanda, & noſtram fidem ædificandam, confert nobis deſideratos effectus: Quæ omnia bene ex D. Auguſtino contra hæreticos noſtros ſunt notanda.

86 Reſpondetur Secundò Neg. Antecedens: intelligunt enim Sancti in cælis cum Chriſto regnantes, quæ ad eas funduntur preces, & quæ ab ipſis poſtulentur: vt docetur prima Parte qu. 12. vbi etiam explicantur modi quibus hæc poſſint cognoſcere, ſicuti ibi videre licet.

87 Quod ad primum Scripturæ locum attinet, non habet ille difficultatem: quia non dicimus quemlibet Sanctum cognoſcere cor omnium filiorum hominum, ſiue omnes omnium hominum cogitationes, ſed ſingulos cognoſcere eas cogitationes & deſideria hominum, quæ ad ipſos aliquâ ratione pertinent: quam tamen cognitionem non à ſe habent, ſicuti Deus omnium à ſe habet intelligentiam, quod ei proprium eſt, ſed ex Dei dono, & virtute. Cæteræ quoque Scripturæ allegatæ quibus etiam addi poteſt illud Iob cap. 14. *Siue nobiles fuerint filij eius ſiue ignobiles, non intelliget*, nihil probant contra cognitionem quam dicimus Sanctos in cælis habere de rebus noſtris, potiſſimum quæ ad eos ſpectant: nam agunt Scripturæ illæ omnes de conditione defunctorum tempore ſtatus veteris teſtamenti, priuſquam eſſet propalata via Sanctorum, & datus ingreſſus in cælos, quando iuſti deſcendebant in limbum: vbi eos iam ſuprà diximus, ordinariè non cognouiſſe quæ apud homines gerebantur.

Sed longè alia eſt ratio Sanctorum nunc in cælis, vbi Deum clarè intuentur, & ſecundum animam perfectè ſunt beati: completa enim hæc beatitudo etiam videtur poſtulare, vt cognoſcant ea quæ ad ipſos ſpectant, licet in locis remotis fiant: vnde dubitandum non eſt, quin Deus ea ipſis manifeſtet, ſiue in Verbo, ſiue per nouas reuelationes: vt latius explicatur 1. p. q. ſuprà citata.

88 Deinde quæ ex Eccleſiaſte allegantur, ſolũ dici videntur ſub nomine inſipientiũ, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus: non enim tantùm dicitur, *Mortui verò nihil nouerunt amplius*, ſed etiam additur, *Nec habent vltra mercedem*: dixerat enim immediatè ante Sapiens: *Hoc eſt peſſimum* (videlicet occaſionaliter) *inter omnia, quæ ſub Sole veniunt, quia eadem cunctis eueniunt* (videlicet in hoc ſæculo) Rationem reddit, quare hoc ſit peſſimum: quia inde corda filiorum hominum implentur malitiâ & contemptu: his autem dictis ſubiungit ſub nomine iſtorum filiorum hominum, quorum corda ſunt impleta malitiâ & contemptu, *Nemo eſt qui ſemper viuit*, &c. *melior eſt canis viuus leone mortuo*, (id eſt, viliſſimus quiſque vitam adhuc agens melioris eſt conditionis, quàm præſtantiſſimus quiſq; mortuus: quia inquiunt, viuentes ſciunt ſe morituros, id eſt, habent adhuc aliquem ſenſum, & proinde etiam adhuc bonis poſſunt frui: mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, videlicet cuiuſcumque boni aut fælicitatis: his autem poſitis incipiunt ſe animare ad voluptuariè, & ſine timore ac remorſu vitam hanc tranſigendam & dicunt: *Vade ergo, & commede in lætitia panem tuum*, &c. Quibus eſt locus omnino ſimilis Sapientiæ cap. 2. *Dixerunt* (ſcilicet impij) *cogitantes apud ſe non rectè: Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis*, &c. *venite ergò, & fruamur bonis*, &c.

89 Ad locum verò Iſaiæ quod attinet, non videtur ibi ſermo eſſe de nuda, & quaſi ſpeculatina notitia, ſed de cognitione cum affectu auxiliandi & ſuccurrendi neceſſitatibus aliorum: quaſi dicerent: *Abraham neſciuit nos*, id eſt, non habet nos pro filijs, vt ſit ſollicitus nobis ſuccurrere: negligit nos, quia à te nos receſſimus. Vnde & rogant, vt Dominus attendat de cælo, & videat de habitaculo ſancto ſuo. Quibus non petunt à Deo ſpeculatiuè videri, ſed oculis miſericordiæ reſpici.

90 Quod ad Ioſiam attinet, poteſt inprimis admitti, quod ipſe poſt mortem ſimpliciter non cognouerit in particulari mala quę populo ſuo poſtmodum obuenerunt: quia ad limbũ deſcendit. Deinde poſſet intelligi id fuiſſe dictum Ioſiæ hoc ſenſu, vt non videant oculi tui mala, videlicet, cum animi perturbatione, & doloribus, quemadmodum hic fit quando mala obueniunt ijs, qui nobis ſunt coniuncti: in limbo autem, ſiue ignorauerit, ſiue ex particulari reuelatione ſciuerit, non tamen fuit inde mœrore aut perturbatione affectus.

Eodem ſenſu poteſt intelligi locus Iob, vel quod ſimpliciter tunc temporis ſæculo defunctus ignoraret ſtatum filiorum ſuorum, quia hoc ordinariè ita ſe habuit: vel quod non intelligeret, id eſt, non eſſet habiturus illius rationem, ſiue filij ſint nobiles, ſiue ignobiles, quia mortuos id non afficiet gaudio vel dolore. Quem ſenſum probabiliorem reddit id quod ſequitur, *Attamen caro eius dum viuet dolebit*, id eſt, tunc eiuſmodi paſſionum capax eſt.

Ad Auguſtinum verò dicendum eſt, 91
quod diſputet loco citato, Vtrùm mortui, naturali virtute & ordinariâ lege interſint ſecundum ſe hominum conuerſationi, rebuſque humanis? & exinde res in ſe ipſis intuendo cognoſcant ſtatum viuentium: & reſoluit negatiuè. Sed hoc nobis non aduerſatur, non enim dicimus Sanctos cognitionem, quam de precibus noſtris, & inuocationibus habent, accipere à rebus ipſis propter conuerſationem, quam nobiſcum ſecundum ſe præſentes habeant, ſed alijs modis. Quod verò D. Aug. id ſolum ibi doceat, manifeſtè conſtat ex cap. 15. ſequente, vbi expreſſè admittit defunctos non eſſe omninò ignaros omnium quæ hic geruntur, quamuis ea non ſuâ naturali virtute & ordinariâ lege cognoſcant, ſed ex particulari diuina diſpenſatione: vbi ſimul aſſignat plures modos quibus ea cognoſcere poſſint, & clarius cap. 16. vbi cum narraſſet Confeſſorem Fælicem non ſolis beneficiorum effectibus, ſed etiam ipſis hominum aſpectibus apparuiſſe, ciuibus, vel inquilinis piè à ſe dilectis, quando à Barbaris Nola oppugnaretur, prout (inquit Aug.) non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis audiuimus, tunc addit: Verùm iſta diuinitus exhibentur, longè aliter, quã ſeſe habet vſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus: & paulò poſt: Non igitur ideo putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis, vel adiuuandis adſunt; ſed ideo potius intelligendum eſt, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam, viuorum rebus intereſſe non poſſunt.

Eodem ſenſu loquitur Origines lib. 2. in epiſt. ad Rom. vbi dubitat, Vtrùm Sancti qui cum Chriſto ſunt, agant & laborent

pro no-

pro nobis, videlicet per familiarem & pręſentem ipſorum cuſtodiam, quam nobis adhibeant, ad ſimilitudinem Angelorum, vt ipſe Origines addit.

92 Sed dices: D. Auguſtinus non tantùm videtur reſoluere defunctos non conuerſari naturali virtute & ordinariâ lege inter nos, ſicq; rerum humanarũ cognitionem non accipere: ſed etiam non videtur agnoſcere vllum modum, quo diuinitùs cognoſcant ordinariâ quaſi lege ea quæ hic in terris geruntur: nam cap. 15. vbi diuerſos modos ponit, quibus per diuinam diſpenſationem aliquando poſſint cognoſcere res humanas: vt v.g. per relatum eorum qui poſterins moriuntur, & ad ipſos veniunt, aut per Angelica miniſteria, vel etiã per diuinam reuelationem, quemadmodum Prophetis reuelabantur abſentia, aut futura: nullum tamen ibidem ponit modum qno ordinariè & aſſiduè cognoſcant Sancti ea quæ hic geruntur, & ad ipſos pertinent; ergò videtur quod ſecundum Aug. ſimpliciter loquendo, non debeant Sancti dici cognoſcere preces & inuocationes quę ad ipſos fiunt.

93 Reſpondetur Neg. Conſ. Quia D. Auguſtinus ibi tantummodo videtur agere de modis cognitionis, qui potuerint eſſe communes iuſtis defunctis tam ſub antiquo Teſtamento, quàm ſub nouo: Vnde & in declaratione vtitur exẽplo Lazari & Epulonis, quorum facta fuiſſe cognita ab Abrahamo, teſtatur textus hiſtoriæ: in genere enim diſputat, an & quomodo poſſint aliquid cognoſcere de rebus noſtris? Sed lib. 9. Confeſſionum cap. 3. ſatis indicat Sanctos cognoſcere in Deo illa, qnę ad ipſos ſpectant: vbi ſcribit Nebridium amicum ſuum dum viueret, etiam nunc ſui memorem eſſe: quia inebriatur ab eo qni ipſius memor eſt, videlicet ab ipſo Deo, Iam, inquit, non ponit aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt: ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine fælix, nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei, cum tu Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor.

Nihil igitur ex Auguſtino pro ſe habent hæretici, ſed potius multum ex eodem ſtabilitur Catholica doctrina de Sanctorum innocatione. Primò, qnia dicit certum eſſe, martyres opitulari aliquando hominibus: Secundò, qnia dicit eos apud Deum orare, ſaltem in communi pro indigentiâ ſupplicantium, vnde ſupponit poſſe martyribus ſupplicari: Tertiò, quia dicit Deum preces martyrum exaudire: Quartò, quod conferat nobis beneficia & ſolatia ad merita martyrum nobis commendanda, idque potiſſimum ad martyrum memorias: Vnde declarat etiam certis in locis peculiariter martyres coli conſueuiſſe, quemadmodum id noſtro quoque tempore obſeruatur: additque Aug. id conducere ad fidem noſtram ædificandam, pro cuius confeſſione ipſi ſunt paſſi.

Ad Greg. Nazianz. dēnique reſpondet Bellarminus, ibi coniunctionem illam, *Si*, non eſſe dubitantis, ſed affirmantis: ſicuti quando Apoſtolus ſcribit ad Philemonem, *Si habes me ſocium, ſuſcipe*, &c. quaſi diceret: Si habes, prout ſcio te habere. Qui loquẽdi modus magis ſolet mouere: Deinde textus ſic habet, Quod ſi quid noſtros etiam honores curas, atque hoc præmij Sanctis animabus à Deo confertur, vt iſta perſenriſcant, noſtram quoque orationem multorum inſtar accipias velim. Quorum hic videtur eſſe ſenſus, Si ſolemnitates has funebres tibi honori ducis, & tibi ſint curæ ant cordi, atque adeò hoc etiam in præmium donetur animabus Sanctis, vt huiuſmodi perſentiſcant, non nudâ tantùm cognitione, ſed cnm lætitia & voluptate, accipe hanc orationem præ multis funerijs, videlicer celebritatibus quæ ab alijs adhiberi ſolent. 94

Quintò

Obijciunt: Deus paratiſſimus eſt nos audire, & magis nos diligit quàm vllus ex Sanctis; ergò fruſtra inuocamus Sanctos; imò ſignum diffidentiæ eſſe videtut, Sanctos inuocare: ait enim Chriſtus Lucæ 11. *Petite, & dabitur vobis*: & Ioannis 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: & Apoſt. ad Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*. 95

Reſpondetur, Deus paratiſſimns eſt nos audire, ſed vult vt debitè ſimus diſpoſiti, & debito modo, ac conuenienti ordine petamus. Vnde Scriptura commendat orationem quæ fit in abſcondito, non ad iactantiam: item quæ fit cum inſtantia, ac rurſum, quæ fit cum ieiunio, & eleemoſynis.

Ad argumentum itaq; negatur conſeq. quando infertur; ergò fruſtra inuocantur Sancti, vel, ex diffidentia de Deo inuocantur: non enim inuocamns diffidentes de Dei bonitate, aut fidelitate, ſed non ſatis fidentes de diſpoſitionibus, & virtutibus ex parte noſtra, noſtræq; orationis requiſitis: quia metuimus eas non eſſe tales & tantas, qnantas oporteat eſſe ad efficaciter impetranda quæ petimus: & ideo Sanctos rogamus vt charitate ſuâ & amicitiâ, quibus apud Deum pollent, ſuppleant ea quæ ex parte noſtra, & noſtrarum precum deſunt. Interim abſque hæſitatione tenentes,

quod quæcumque promiſit Deus potens ſit & facere; atque adeo facturus ſit, ſi ex parte noſtra non ſit impedimentum.

Vnde patet, quod neque fruſtra inuocentur: quia mediante ipſorum interceſſione, ſiue ipſis nobiſcum comprecantibus obtinemus ea, ad quæ efficaciter obtinenda, preces noſtræ ſolæ non fuiſſent ſufficientes. Deinde Scriptura nobis commendat hanc orandi rationem, vt aliorum preces pro nobis fieri poſtulemus; non eſt ergò ſignum diffidentiæ Deo iniurioſę, neque fruſtrà fit, quod alios interpellemus vt pro nobis orent: Iob c. vlt. *Ite ad ſeruum meum Iob*, &c. *orabit pro vobis*: Geneſ. c. 20. Abraham orat pro Abimelech, & ſic vitam ſeruauit. Ezech. 20. Dominus quærebat virum qui opponeret ſe irę & indignationi eius. Quod ſi viuorum ſuffragia liceat cequirere, quare non etiam Sanctorum in cælis cum Chriſto regnantium? Denique alios in adiutorium aduocare, ſignum eſt modeſtiæ, & ſubmiſſæ æſtimationis de ſe ipſo, quæ non poteſt non eſſe grata Deo: ac rurſum, eſt ſignum reuerentialis timoris, ac venerationis erga diuinam majeſtatem: quia indicat ſe non ſatis diſpoſitum aut dignum vt ſolus per ſe ad eam accedat. Tertio ſignum quoque eſt boni & honorarij noſtri affectus erga Sanctos & amicos Dei.

97 Quod verò ad Scripturas contra allegatas, non aduerſantur illæ nobis: quia dicimus etiam omnia à Deo eſſe petenda, vt ipſe tanquam primus fons & auctor nobis deſiderata præſtet, ad thronum gratiæ eius cum fiducia accedendum, ſed cum eo ſtare, quod poſſimus rogare alios, vt ipſi nobiſcum, aut pro nobis ea petant à Deo quæ conſequi intendimus.

98 Sed dicunt: Matth. 6. & Lucæ 11. docet Chriſtus ſic nos orare: *Pater noſter qui es in cælis*; ergò nullo modo oportet orare Sanctos.

Reſpondetur Neg. Conſ. Quia Chriſtus Ioannis 6. etiam ſignificat nos à Patre oportere audire & diſcere, vt veniamus ad Chriſtum, & tamen non ſequitur inde; ergò non ſunt audiendi Apoſtoli, Epiſcopi, Paſtores qui euangelium annunciant. Orandus itaque eſt pater cæleſtis tanquam per ſe fons & auctor omnium bonorum, qui ſuâ poteſtate & voluntate illa diſtribuit; Sancti verò ſunt orandi tanquam amici & familiares illius Patris, vt ipſi pro nobis eundem orent propter noſtras infirmitates, ob quas de efficacia noſtræ ſolius orationis non ſatis confidimus.

99 Dicunt Secundò: Chryſoſt. Homil. de profectu Euangelij ita loquitur, Certùm, inquit, non opus tibi patronis apud Deum, neque multo diſcurſu vt blandiare alijs, ſed licet ſolus, patronoque careas, & per temetipſum Deum preceris, omninò enim voti compos eris: neque enim tam facilè Deus annuit, quando alij pro nobis orant, vt cum ipſimet oramus, etiamſi plurimis ſimus pleni malis.

Reſpondetur, Chryſ. inprimis ibi agere, non de ijs qui Sanctos in cælis inuocant, ſed qui preces viuorum requirebant: reprehendit autem illos in hoc, quod tantùm aliorum orationes implorabant; & ipſimet orationis ſtudio non vacabant: vt diuites & voluptuarij homines, qui aliquid adhuc timoris Domini habent, facere ſolent: dant enim eleemoſinas, vt religioſi & pauperes pro ipſis orent; ipſi verò mollitec, & ſine orationis labore viuant. His autem Chryſoſt. præfert eos, qui qualeſcumque ſint, ipſi tamen orationis ſtudio pro ſe vacant: non autem reijcit abſolutè implorationem ſuffragiorum aliorum, vt patet ex homilia 1. in epiſtolam 1. ad Theſſal: His itaque cognitis, inquit, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proijciamus.

ARTIC. III. & IV.

Vtrùm imago Chriſti ſit adoranda adoratione latria? &,
Vtrùm Chriſti crux adoranda ſit adoratione latria?

VArias difficultates tangit his articulis D. Thomas circa vſum & cultum imaginum & reliquiarum Sanctorum occurrentes, quas pro clariori totius huius materię intelligentia, diſtincto ordine proponemus.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm vſus Imaginum Chriſti, & Sanctorum, ſit Chriſtianis licitus?

100 OBſeruanda hic eſt Vocum imaginis, & idoli ſiue ſimulachri differentia, quod videlicet imago ab imitando dicta, ſit ſimilitudo rei veræ ad eam vt exemplar, expreſſa; idolum verò, ſit ſimilitudo falſa ſiue ſimulata, quæ proponitur tanquam exprimens & repræſentans id eſſe quod non eſt. Vnde Apoſt. 1. ad Cor. 8. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*: nihil videlicet in ſua repræſentatione: quia nihil diuinitatis, ſiue in ſe, ſiue in ſuo prototypo, ſi tale habere ponatur, exiſtit; alioquia

Digitized by Google

quin erat aliquid materialiter, videlicet lapis aut lignum, aut aliquid ſimile: quando verò in Scripturis eſt ſermo de ſimilitudinibus rerũ veraciter exiſtentium, nunquã appellantur idola: Sic Verbum ſiue Filius in diuinis Sapientię c.7. ad Coloſ. 1. & ad Heb. 1. dicitur imago Patris, non idolum Patris, & 3. Regum c.7. vbi Salomon curauit fieri varias ſimilitudines & figuras diuerſarum rerum, vt leonum, boum, ac etiam ipſorum Cherubin, non vocantur ſimilitudines iſtę, idola: hinc Hieron. in cap. 2. Abacuc, & cap. 13. Zachariæ, & alibi comparat hæreſes cum idolo: nam ſicut idolum eſt falſa imago, ita hæreſis eſt falſa imaginatio ſeu doctrina & falſa religio.

In eadem ſignificatione vtitur etiam Scriptura ſemper nomine Simulachri, & vbi Græcus textus habet nomen idoli, paſſim vertit Latinus interpres ſimulachrum: vt Actorum cap. 15. 1. Ioannis vlt. Pſalm. 113. Lactantius tamen lib. 6. de vero cultu cap. 10. & 13. latiùs accipit hoc nomen, vt ſignificet quamlibet ſimilitudinem rerum: nam & hominem vocat Dei ſimulachrum: ſed hoc eſt contra modum loquendi Scripturæ, & ex falſo fundamento: nam ipſe vult ſimulachrum dictum à ſimilitudine, cum tamen longè verius ſit, dictũ eſſe à ſimulando: quia ſimulatur eſſe quod non eſt. Sunt autem hæc notanda propter imposturas hæreticorum, qui Scripturas omnes inuectiuas in idola & ſimulachra Gentilium detorquent, contra vſum imaginum Chriſti & Sanctorum. His præmiſſis

101 Reſpondeo & dico Primò: Vſus Imaginum Chriſti & Sanctorũ, per ſe loquendo, licitus eſt & honeſtus, ideoque meritò in Eccleſia Catholica retinendus. Patet ex Conc. Trid Seſſ. 25. cap. 2. vbi docet Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas & retinendas eſſe.

Probatur Primò ex antiquiſſimo & perpetuo Eccleſiæ vſu, qui ab ipſo Chriſto Domino ſumpſit exordium, iuxta Eccleſiaſticam traditionem: nam ipſe ſimilitudinem benedicti Vultus ſui reliquit impreſſam linteo: quæ imago hactenus Romę ſeruatur & oſtenditur.

Secundò: Corporis ſui delineamenta reliquit impreſſa in Syndone, in qua inuolutus iacuit in ſepulchro: quæ Taurini in Pedimontio reſeruari & exhiberi dicitur.

Tertiò miſit effigie ſuam Abagaro regi Edeſſæ: vt teſtantur Stephanus, & Adrianus Pontifices apud Iuonem 4. Parte ſui Decreti cap. 83. Et eandem hiſtoriam refert Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 17. & Orat. 1. de Imaginibus circa finem: & addit Euagrius lib. 4. hiſt. cap. 26. ob preſentiam illius Imaginis ciuitatem Edeſſæ ſæpius fuiſſe ab incendio liberatam.

In Synodo 7. act. 4. refertur & probatur alia antiqua hiſtoria de Imagine crucifixi à Nicodemo parata, quam Iudæi poſtmodum contumelijs affecerunt, & lanceâ transfixerunt, vnde mox aqua & ſanguis emanarunt, quibus multorum corpora & mentes ſanatæ ſunt, teſte Athanaſio, vel ſub nomine eius alio antiquo Scriptore, ſermone de paſſione Imaginis Domini.

102 Antiquâ etiam traditione receptum eſt, mulierem illam, quam Chriſtus à fluxu ſanguinis in Euangelio liberauit, in memoriam tanti beneficij, Cęſareæ erexiſſe Chriſti imaginem ſiue ſtatuam, quod & refert Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 14. vbi addit, iuxta ſtatuam naſci ſolitam herbam, quæ cum primùm fimbriam imaginis attingebat, ſimilem, ac etiam alios morbos, curabat. Meminerunt quoque huius Nicephorus lib. 6. hiſt. cap. 15. & Damaſc. Orat. 3. de Imaginibus circa medium, & recipitur à Synodo 7. act. 4.

Similiter antiqua eſt traditio de Imaginibus Chriſti, & Beatæ Virginis à S. Luca depictis. de quibus ſcribunt Nicephorus lib 2. hiſt. cap. 43. & lib. 14. cap. 2. & Metaphraſtes in vita Sancti Lucæ.

Idem quoque Nicephorus lib. 7. cap. 33. mentionem facit Imaginum Petri & Pauli, quas apud ſe habebat Silueſter Papa & exhibuit Conſtantino, ex quibus agnoſcebat eoſdem eſſe qui ſibi in viſione apparuerant.

Meminit quoque Euſebius lib. 1. hiſt. cap. vlt. & lib. 7. cap. 14. Imaginum Petri & Pauli, quibus ferè à principio Eccleſia Romana fuit vſa.

103 Conſtat denique hæc traditio de imaginum Chriſti & Sanctorum vſu apud Chriſtianos ſemper ſeruato ex antiquorum Patrum Scriptis Dionyſij, Tertulliani, Athanaſij, Baſilij, Chryſoſtomi, & aliorum, quorum teſtimonia magna ex parte referuntur in Synodo 7. act. 3. 4. & 5. Vide D. Auguſtinum lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 10. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 73.

104 Probatur Concluſio Secundò ratione: Quia ſi vſus imaginum eſſet illicitus, id foret, vel quia in ſe intrinſecè eſt malus, vel quia lege poſitiuâ diuinâ, vel humanâ eſt prohibitus, vel denique quia licet prohibitus non ſit, tamen ſit ſcandaloſus, atq; ita ob periculum ſcandali ab eo abſtinendum ſit; atqui non eſt illicitus propter primum: quia ſic ipſa ars ſiue ſculpendi, ſiue pingendi in ſe eſſet illicita & mala, cùm nullum haberet licitum vſum aut finem: quod falsũ eſſe ex eo patet, quia Exodi 31. dicit

Digitized by Google

dicit Dominus ſe impleuiſſe Beſeleel, *Spiritu Dei, ſapientiâ, & intelligentiâ & ſcientiâ in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, argento, ære*, &c. igitur ars ſculpendi non eſt in ſe mala, cum à Deo Beſeleel fuerit indita, quemadmodum & ſocio eius Ooliab; imò Deus per eoſdem mandauit fieri diuerſi generis ſculpturas & Imagines, Cherubim quoque ſuper Propitiatorio; ergò Imaginum vſus non eſt in ſe intrinſecè malus: nam & ſerpentem quoque æneum Numer. 21. fieri, & in altum erigi Dominus curauit, ad quem ſi percuſſi à ſerpentibus ignitis aſpicerent, ſanabantur & viuebant. Similiter & Salomon 3. Regum cap. 5. & 6. diuerſarum rerum ſimilitudines ſculpi in vaſis, & in aliâ ſupellectile Templi fecit; ergò &c.

Sed neque imaginum vſus illicitus eſt propter ſecundum vel tertium membrum: vt plenius conſtabit ex ſolutione obiectionum, quas inde hæretici ſumunt, & contra nos mouent.

105 Obijciunt itaq; primò: Exo. 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra*; ergò abſolutè omnium Imaginum vſus eſt diuinâ lege prohibitus.

Reſpondeo Primò: Si præceptum illud tam crudè & vniuerſaliter eſſet intelligendum, non fit vllo modo veriſimile, quod mox poſt illud datum Dominus impleuiſſet ſuprà dictos Beſeleel & Ooliab ſpiritu Dei, vt Scriptura loquitur, ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, ſculpendiſque lapidibus, &c. atque adeo tam diuerſarum rerum ſimilitudines fieri mandaſſet, cum factum præcepto fuiſſet contrarium. Vnde

106 Reſpondeo Secundò Neg. Conſ. quia non aliud illis verbis prohibetur, quàm quod lege naturæ eſt illicitum, videlicet more & ritu Gentilium fabricare ſibi ſculptile qualecumque ad illud pro Deo habendum & adorandum, ſicut tunc apud omnes ferè nationes in vſu erat.

Ita exponunt Tertullianus de Spectaculis cap. 3. & aduerſus Marcionem cap. 22. Athanaſius Orat. contra idola: Euſebius lib. 8. de Præparat. euangelica cap. 3. & communiter DD. Scholaſtici in Tertium d. 9. & D. Thomas hic art. 3. ad Primum: vbi ſenſum præcepti dicit eſſe, vt cum dicitur, *Non habebis Deos alienos coram me*, prohibeatur actus interior idololatriæ, quando additur, *Non facies tibi ſculptile*, prohibeatur exterior: quod videtur habere ex Auguſtino qu. 71. ſuper Exodum vbi dicit, Vnicum eſſe præceptum, Non erunt tibi Dij alij coram me, & non facies tibi ſculptile ſiue idolum: quia in poſterioribus eſt diligentior quædam expoſitio illius quod præmittitur, non erunt tibi Dij alij coram me.

Sed contra opponit Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 11. vbi ad hæc Exodi verba ita ſcribit, Hic Deus licentiam noſtram coërcet, ne ipſum vllâ viſibili ſpecie repræſentare tentemus. Confirmat id ex alijs Scripturis: Deuter. cap. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem aut Imaginem*, &c. & Iſaiæ cap. 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Quibus tum Moyſes tum Iſaias apertè videntur ſignificare nullam prorſus Dei ſimilitudinem ſiue Imaginem abſque Dei iniuria & vilificatione, fieri poſſe. 107

Confirmat idem quoque ratione: quia indecorâ & abſurdâ fictione videtur Dei majeſtas fœdari, quando incorporeus materiâ corporeâ, inuiſibilis viſibili ſimulachro, ſpiritus re inanimatâ exprimitur & repræſentatur.

Reſpondetur Primò, ſaltem iuxta hanc Caluini expoſitionem diuini præcepti, non generaliter eo vetari quarumcumque rerum Imagines & ſimilitudines, ſed tantùm ipſius Dei: vnde magna eius eſt fraus & aſtutia, quod poſtquam ſe probaſſe exiſtimaret, non eſſe faciendas Imagines ipſius Dei, mox digrediatur ad amplificationes, & triumphum canat, quaſi iam conuiciſſet, nullas abſolutè Imagines fieri poſſe, aut debere: cum tamen & Scripturæ, & rationes quibus vtitur, ne vel apparenter quidem poſſint applicari ad tollendum vſum Imaginum Chriſti hominis, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, vt quilibet facilè videt. 108

De Imagine Dei & SS. Trinitatis?

Sed antequā ad rem reſpōdeamus, examinandum eſt. quid de Imaginibus Deum referentibus (quas Caluinus vetitas eſſe conatur oſtendere) ſecundum ſanam doctrinam dicendum ſit: nam & Catholici quidam Doctores exiſtimant nullam Dei imaginem rectè fieri poſſe, & in Eccleſia fortaſſis id tolerari, non probari. Ita Durand. in Tertium d. 9. q. 2. ad Quartum. Toſtatus in cap. 4. Deuter. q. 5. & Pereſius de tradit. p. 3. in Tract. de Imag. Vnde 109

Dico Secundò: Non eſt tam certum in Eccleſia, an ſint faciendæ Imagines Dei, aut Sanctiſſimæ Trinitatis, quàm eſt certum licitè & conuenienter admodum fieri Imagines Chriſti & Sanctorum. Ita Bellar. tomo 2. lib. 2. de reliquijs SS. cap. 8. Et patet, quia poſterius de fide certum eſt: 110

vt patet

vt patet ex Conc. Trid. ſuprà nu. 101. citato, & ex Synodo 7. generali: prius verò abſque errore in fide adhuc diſputatur.

111 Dico Tertiò: Licitè fieri poſſunt Imagines Deum Patrem referentes, v. g. in forma hominis antiqui dierũ: ſimiliter & referentes Spiritum S. in forma columbæ; ſano tamen ſenſu, non quaſi imagines iſtæ ſint formales ſimilitudines Dei Patris aut Spiritus Sancti (neque enim *Debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Diuinum eſſe ſimile:* vt loquitur Apoſtolus Act. 17.) ſed ſolùm vt ſeruiant ad hiſtorias, vel narrationes Scripturæ ſacræ exprimendas, vel ad declarandas per metaphoram aliquas Dei proprietates.

112 Probatur Primò ex Conc. Trid. ſuprà: Vbi tametſi definiat ſolummodo de Imaginibus Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum quod in templis habendæ ſint & retinendæ, tamen quod modo & ſenſu iam explicatis poſſint quoque fieri aliquæ Imagines, ſiue Dei Patris, ſiue Spiritus Sancti ſufficienter declarat his verbis: Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Vbi Conc. planè ſupponit poſſe exprimi hiſtorias picturis, in quibus Deus legitur hominibus in forma aliqua viſibili apparuiſſe: v. g. viſionem Danielis cap. 7. eius libri deſcriptam, vbi Deus Pater iuxta Auguſtinum lib. 3. de Ciuit. cap. vlt. apparuit Danieli ſub forma hominis antiqui dierum: quod ex eo probatur, quia dicitur ille tradidiſſe filio hominis, id eſt, Chriſto, regnum & poteſtatem, &c. Eadem eſt ratio de hiſtoria Domini Dei deambulantis in paradyſo ad auram poſt meridiem Geneſis cap. 3. & de hiſtoria deſcripta c. 18. Geneſis: vbi Abraham legitur vidiſſe tres viros, & vnum adoraſſe. Quibus iuxta eundem Auguſtinum lib. 2. de Ciuit. cap. 11. fuit repræſentata Trinitas. Similiter depingi poteſt hiſtoria Baptiſmi Chriſti: & ſicut ibi legitur, quod Spiritus Sanctus in forma columbæ deſcenderit ſuper Chriſtum, ita poteſt in forma columbæ per picturam exhiberi: quemadmodum & Chriſtus aliquando repræſentatur ſub figura agni, ad metaphoricè ſignificandum, quod eſſet voluntaria & manſueta victima, quâ delerentur peccata mundi.

113 Probatur Secundò: Scriptura verbis tribuit Deo humana membra, vt caput, pedes, brachia, cor: item tribuit illi proprios ſitus membrorum: vt Sedere Iſaiæ cap. 6. Stare Amos cap. 9. Ambulare Geneſis 3. rurſum tribuit illi ſedem, thronum, ſcabellum: quare igitur non poterit in aliqua ſimilitudine exhiberi, qualis in litteris Sacris per verba deſcribitur?

Dicent fortaſſis: Scripturam ita de Deo loqui ſine periculo erroris: quia alibi eadem Scriptura ſatis docet Deum incorporeum, immaterialem & inuiſibilem, ac proinde ſermones alios non in proprietate, ſed ſecundum quandam metaphoram eſſe accipiendos. Sed contra, quia ſicut illa inſtructio Scripturæ tollit erroris periculum, quod ex alijs eius locutionibus poſſet naſci, ſic etiam poteſt impedire periculum erroris ex pictura, quæ ſimiles Scripturæ narrationes repræſẽtat: nã ſicut àScriptura diſcimus membra & ſitus membrorum, quę in Scripturis Deo tribuuntur, metaphoricè eſſe accipienda, ſic ab eadem diſcimus, membra quæ Deo tribuuntur in pictura, eſſe metaphoricè quoque accipienda, & quatenus ſic inſtruatur populus, diligenter monet Eccleſia: vt patet ex verbis Conc. Trid. ſuprà citatis.

Probatur Tertiò: Quia Angeli ſunt incorporei, & tamen ſuo modo depicti & ſculpti leguntur in veteri teſtamento: Exodi 35. & 3. Regum cap. 6. & approbantur huiuſmodi imagines in Synodo 7. act. 2. & 5. vbi duplex aſſignatur cauſa: Vna quidem tunc temporis probabilis ex ratione petita: quia videlicet Angeli circumſcribi poſſint, ſiue ſint corporei, quæ tamen modo reijcitur: Altera ex Scripturis petita vera & ſolida: quia Angeli vt homines apparere ſolent. Solent autem pingi ſub formis illis in quibus leguntur apparuiſſe, v. g. tanquam iuuenes decorâ facie cum alis & ſtolis candidis, ad qualitates eorum & officia metaphoricè deſignanda: quemadmodũ & ipſæ virtutes, quę accidentia tantummodo ſunt, aliquando certis ſimilitudinibus & picturis exhibentur; nihil ergò videtur obſtare, quo minus ſic fieri poſſint aliquæ imagines ad hiſtorias Scripturæ repræſentandas, quæ ſecundum analogiam quandam aut metaphoram Deum repræſentent. 114

Probatur vltimo ex vſu Eccleſiæ: ſunt enim modo vbique propemodum eiuſmodi imagines, non eſt autem credibile Eccleſiam toleraturam aliquid vniuerſaliter, quod ſit illicitum. 115

Soluuntur obiectiones contra imagines Dei,

Ad argumenta itaque Caluini ſuprà nu. 105. & 107. allegata Reſpondetur, Ad primum quidem negando illis Decalogi verbis demandari nobis, ne ipſum Deum 116

vllâ

vllâ viſibili ſpecie repræſentare tentamus, modò id fiat ſano ſenſu & bonâ intentione: & Patet Primò ex contextu: præcedit enim proximè, *Non habebis Deos alienos coram me*, vnde quod ſequitur, *Non facies tibi ſculptile*: ſecundum aptiſſimam cohærentiam intelligitur de ſculptili Deorum alienorũ. Accedit communis antiquorum Theologorum ſenſus, qui ſemper intellexerunt vetari ſculptilia quæ ſunt idola, ſiue illa in ſe tanquam diuinitatem habentia colebantur, ſiue in reſpectu ad falſa prototypa quæ habebantur tanquam Dij, cum nihil minus quàm aliquid diuinitatis haberent, ſed fuiſſent vel homines mortales, ac frequenter flagitioſiſſimi, vel beſtiæ cuiuſuis generis: vt explcat Apoſt. ad Rom. 1. & D. Auguſt. epiſt. 49. & in Pſam. 113. quæ Diui Auguſtini loca fruſtrà Caluinus contra nos allegat: quia manifeſtum eſt D. Auguſtinum agere tantummodo de idolis ſiue ſimulachris, quæ tanquam Dij colebantur à Gentilibus, quorum prototypa dicit fuiſſe miſeros & mortales homines: non autem loquitur de imaginibus quæ apud Catholicos in vſu ſunt.

117 Quæ ex Deuter. c. 4. allegantur, plus videntur habere difficultatis. Vnde & Abulenſis exiſtimauit eiuſmodi imagines eſſe vetitas: ſed tamen Reſpondetur, Moyſen non hoc ibi agere, vt declarer non poſſe fieri aliquam Dei repræſentationem, ſed ex propoſito populum Iſraëliticum, quem obſeruabat ad idololatriam valde procliuum, dehortari, ne faciat ſibi ſimilitudines ſculptas qualeſcumque ſiue hominis, ſiue bruti, ſiue cuiuſcumque creaturæ, *Ne fortè*, inquit Moyſes, *Eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*. Ex quibus manifeſtum euadit, Moyſen hoc ſolùm eis commendare, ne colant creaturam pro creatore; non autem vetare omnem Dei veri repræſentationem: allegat tamen quod Dominus Deus non ſe oſtenderit eis in aliquâ viſibili formâ, idque ne forſitan exinde fierent propenſiores ad quamlibet creaturam pro Deo colendam, dum vnuſquiſque forſitan diceret, hanc vel illam formam Dei apparuiſſe, & ſic inciperet vnus hanc, alius aliam creaturam colere, quam exiſtimaret formæ exhibitæ magis ſimilem. Vtitur autem Moyſes hoc argumento, quod Deus voluerit ipſorum infirmitati ſic conſulere, quod ne quidem in vllâ ſimilitudine externâ per modum perſonæ aut quaſi perſonæ, apparere voluerit toti populi, vt vehementius eos abſtraheret à ſimulachris quibuſcumque faciendis & colendis. Cum his tamen non pugnat, quod Deus ſeruis ſuis prophetis, quibus illud idololatriæ periculum non erat, aliquando ſub forma viſibili apparere dignatus eſt, & quod modo ſub eiuſmodi forma ad hiſtorias exprimendas in picturis exhibeatur, accedente inſtructione, quomodo iſta repræſentatio ſit accipienda.

Ad locum Iſaiæ Reſpondetur, Prophetam immediatè ante verba allegata, magnificè extollere potentiam & ſapientiam Dei, quæ oſtenſtit relucere ex ipſarum creaturarum magnitudine firmâ, conſiſtentiâ & proportionato ordine, & tum cum quâdam irriſione ſubijcere reprehenſionem idololatrarum, & dicere: *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum*: quaſi diceret, cum tanta Dei excellentia & potentia reluceant in creaturis ab ipſo factis, quomodo igitur habetis inſipiens cor ita obſcuratum, vt aſſimiletis & æquiparetis lapides & ligna non tantùm in figura, ſed in ſubſiſtentia ipſi Deo: nam vt refert D. Auguſtinus in Pſalm. 113. de ſimulachrorum cultoribus in litteris ſacris ſcriptum eſt illud: *Dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti*, &c. Ieremiæ cap. 2. 118

Colligitur hic ſenſus ex eodem cap. Iſaiæ infrà: vbi non tantùm dicit. *Cui ergò ſimilem feciſtis Deum*, ſed ſub nomine ipſius Dei *Cui aſſimulaſtis me, & adæquaſtis*: adiungit autem Propheta, *aut quam Imaginem ponetis ei*, idque contra illos idololatras, vt apparet, de quibus D. Auguſt. loco iam citato ſic ſcribit, Videntur autem ſibi purgatioris eſſe religionis, qui dicunt nec ſimulachrum, nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem eius rei ſignum intueor, quam colere debeo: ita verò, inquit, interpretantur ſimulachra, vt alio dicant ſignificari terram, vnde templum telluris, alio mare, alio Solem, &c. Hos ergo redarguit ſimiliter Propheta, quod tam abiectè de Deo ſenſerint vt diuinitatem attribuerint rebus corporeis, vt animalibus cuiuſuis generis terræ, maris, Soli, & proinde ſtultè putauerint ſe poſſe ſuis imaginibus, ſiue ſculptilibus formaliter, & vt in ſua ſubſtantia eſt, repræſentare diuinitatem, quaſi Deus non eſſet quid maius & præſtantius, quàm creaturæ illæ, quarum ſibi ſimilitudines fabricabant. 119

Non agit itaque Propheta contra cultores veri Dei, neque eos debet cenſeri reprehendere, qui quandoquidem ex litteris ſacris didicerunt; v. g. Danielem vidiſſe Antiquum dierum ſedentem in throno, & tradentem regnum filio hominis, etiam pictura aut ſculpturâ repræſentant hanc Danielis viſionem, quam pictura proximè refert, ſiue repræſentat illam 120

ſpeciem

ſpeciem Antiqui, quam vidit Daniel: & quia ſpecies illa Senis ſecundum Doctores ſacros repræſentabat Deum Patrem, hinc etiam conſequenter imago ſuo modo repræſentat Deum Patrem, non tamen cum illa ſignificatione, quòd Deus in ſubſtantia aut figura ſimilis ſit homini ſeni (non enim eſt ratio, quare dicatur imago id ſignificare potius, quam ipſa ſpecies à Daniele viſa) ſed vt ſuprà dictum fuit, ad ſignificandum per metaphoram, aliquam Dei proprietatem: quòd apparet vt antiquus dierum, potuit eſſe ad ſignificandum, quod Deus Pater ſit ſine origine à quo filius ſecundum originem procedat, cui ibidem dicitur tradere regnum,&c. eadem eſt ratio de alijs imaginibus, quibus ſecundū Eccleſiæ vſum Deus nobis repræſentatur.

121 Obſeruandum tamen eſt, Non debere huiuſmodi imagines Dei, aut Trinitatis pro imaginatione cuiuſlibet formari, ſed tantum ſub illis formis, in quibus aliquando perſonæ diuinæ iuxta Scripturam apparuerunt: vnde tolerandum non eſt, quod pictores pro ſua phantaſia confingere audeant nouas formas Imaginum Trinitatis: vt dum pingunt vnum hominem cum tribus faciebus, vel vnum hominem cum duobus capitibus, & in medio columbam: quia cum hæc nullum habeant fundamentum in hiſtoria Scripturæ ſacræ, potius monſtra cenſenda ſunt, quàm imagines Trinitatis, quæ multum ſcandali adferunt, & nihil ædificationis: ac ſolùm præbent aduerſarijs noſtris occaſionem irridendi & calumniandi.

122 Ex his patet, quid ad rationem Caluini, quam objicit, reſponderi debeat: Dicendum enim eſt, Non magis minui aut defædari Dei maieſtatem, quando imagine aliquâ exhibetur Scripturæ narratio, in quâ Deus legitur ſub aliqua viſibili forma apparuiſſe, quàm dum eadem hiſtoria verbis deſcribitur, & Deus ſub tali vel tali ſpecie dicitur eſſe viſus, aut ſe exhibuiſſe ſeruis ſuis prophetis: & proinde ſicut Deus ipſe non defœdat ſuam majeſtatem, quando dignatur ſub aliquo viſibili ſigno aut formâ apparere, ſic neque defœdant illam qui huiuſmodi Dei formam, verbis vel picturis deſcribunt ſenſu & intentione iam ſæpe explicatis.

123 Objiciunt præterea diuerſa incommoda, ad quæ ſtatim reſpondebimus.

Dico Quintò: Propter varias vtilitates, & honeſtos fines in Eccleſiâ, introductus eſt imaginum vſus.

Primò quidem ad inſtruendam plebem: vt docet Damaſc. lib. 4. de Fide c. 16. Greg. Niſſenus Orat. de S. Theodoro: Solet, inquit, etiam figura tacens in pariete loqui, maximeq; prodeſſe. Similia habet Chryſoſt. Hom. 33. in Ioan. & Greg. li. 9. epiſt. 9. Quod legētibus, inquit, ſcriptura, hoc præſtat idiotis pictura; ergò ſicuti hiſtoriæ lectio honeſta eſt, & Eccleſiæ multum vtilis, ſic etiam imaginū vſus honeſtus eſt & vtilis: vtpote quæ neſcientibus legere ſeruiunt librorum loco, vt ex ipſis diſcant tum res antiquitùs fortiter geſtas à Chriſtianis, tū etiā beneficia à Chriſto nobis præſtita.

Sed opponet aliq[illegible] quod quidem hiſtoriç depictç inſtru[illegible], ſed non ita imagines ſolitariç. Reſ. quod imagines vt à Chriſtianis pinguntur, & in vſu habentur, ſemper quaſi per Compendium contineant aliquā hiſtoriā: nam dum v.g. pingitur Chriſtus, repręſentatur vel in forma pueri in pręſepio, aut in ſinu matris, vel in forma viri alligati ad Columnam & flagellati, aut crucifixi, aut reſurgentis ex ſepulchro, &c. Sic etiam Sancti ſemper pingi ſolent cū aliquo inſigni notabilioris rei geſtę, aut gratię vel poteſtatis illis cōceſſę. Sic Petrus cum clauibus aut cruci affixus: S. Paulus cū enſe: S. Andręas cum cruce: martyres omnes cū palmis: alij Sancti cū coronis, quibus coronati ſunt à Domino: ex quibus ſignis quaſi per cōpēdiū diſcimus, principaliorē aliquā partē vitę, & exitus SS. quos veneramur.

Secundò: huiuſmodi imagines quædam ſunt fidei & amoris teſtimonia, & omnium virtutum fomenta: profitemur enim credere nos myſteria quæ depingimus, excitamur ad memoriam beneficiorum Dei, & ad gratiarū actionem: vt docet Gregorius lib. 7. epiſtola 5. prouocamur ad petenda Sanctorum ſubſidia, & ſigna amoris erga illos exhibemus dum quos diligimus, cupimus quoad poſſumus, habere præſentes: vt notat Chryſoſtomus Homilia 35. in Matthæum. Inſuper viſis Sanctorum imaginibus, vita eorum & exempla occurrunt, atque hoc modo ad eorum imitationem iuuantur.

Denique harum imaginum vſus, honor 124
eſt Sanctorum: omnes enim nationes, quaſi naturâ dictante, hoc ſigno honoris vſæ ſunt, erigendo ſtatuas vel imagines illuſtrium virorum in eorum excellentiæ & virtutis teſtimonium. Vide Plinium lib. 35. hiſtoriarum cap. 2. & in Iure habentur Tituli de Statuis & imaginibus inſignium perſonarum, Cod. lib. 1. Tit. 24. & ſequent. Huic ergò rationi, & modo honorandi viros excellentes, & teſtandi virtutes ipſorum, vtpote honeſto & rectæ rationi conſentaneis, quando excellentia in veris, & non fucatis virtutibus eſt fundata, perrexit inſiſtere Eccleſia, & meritò ſic honorare viros verâ ſanctitate & religione præcellentes, præſertim quorum

quorum ſanctitatem Deus ipſe ſignis & miraculis eſt teſtatus. Vide Synodum 7. Act. 2. 4. & 6. Baſilium Homilia de 4. Martyribus, & Nycephorum lib. 6. cap. 16. qui & ideirco dicunt imaginũ vſum ex gentium conſuetudine eſſe introductum, non quidem imitando errores gentium, ſed corrigendo & benè vtendo eo quo illi abutuntur frequentiùs: nam quæ illi honoris inſignia ementitæ diuinitati, aut fucatæ excellentiæ ſtatuebant, hæc aut ſimilia ſtatuimus inſignia veræ excellentiæ & veris virtutibus.

Obiectiones contra Imagines in genere,

125 Contrà objicit Caluinus loco ſuprà citato: Apud Hieremiam cap. 10. Lignum dici doctrinam vanitatis, & apud Abacuc cap. 2. Conflatile vocari Doctorem mendacij: Ex quibus vult generalem doctrinam eſſe colligendam, futile eſſe, adeoque mendax, quidquid de Deo ex imaginibus homines didicerint. Ita ipſe contra doctrinam Gregorij ſuprà citati.

Reſpondetur: Vtrumque Prophetam agere contra Idola, & vocare lignum doctrinam vanitatis, & conflatile Doctorem mendacij, ſiue vt noſtra editio habet, conflatile appellare imaginem falſam: quia lignum vel metallum in idolum compoſitum oſtentatur tanquam diuinitatem habens, & tanquam Deus, atque adeò, vt habet Auguſtinus epiſtola 49. Idola ipſâ ſimilitudine animatorum membrorum & ſenſuum, quamuis ſenſu & animâ careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac ſpirare videantur, cum ergò nihil diuinitatis, nihil vitæ, nihil ſenſus vel motus habeant, & tamen tanquam Dij oſtententur, atque ipſa ſic efformata deprauatis animis hoc ſimul quodam modo ingenerent, conuenienter & meritò à Prophetis vocantur Doctrina vanitatis & mendacij, ac Imagines falſitatis.

126 Quod autem Prophetæ eo nomine & ſenſu, ita compellent ſimulachra gentium, patet ex adiunctis: præcedit enim apud Hieremiam, *In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt, & non loquentur*, &c. Deinde, è contra exponit vitam & ſapientiam veri Dei, & tunc quaſi ſubinfert, *Doctrina vanitatis eorum lignum eſt*, & tum iterum ſubijcit de eodem, *Opus artificis eſt*, &c. & apud Abacuc cap. 2. *Væ qui dicit ligno: expergiſcere; ſurge lapidi tacenti: nunquid ipſe docere poterit?* &c. *& omnis ſpiritus non eſt in viſceribus.* Non loquuntur itaque generaliter Prophetæ de omni ligno ſculpto aut effigiato: non enim exiſtimandum eſt, quod reprehendant Cherubim ex diuino mandato ſculptos, & appoſitos ſuprà Arcam: vel quod de his pronuntient, quod ſint doctrina vanitatis vel mendacij, quin & Caluinus ipſe cap. citato §. 3. de illis ſcribit hoc modo: Quid obſecro volebant imagunculæ illæ, niſi imagines repræſentandis Dei myſterijs non eſſe idoneas, quando in hoc formatæ erant, vt alis velantes Propitiatorium, non oculos modo humanos, ſed omnes ſenſus prohiberent à Dei intuitu.

Quæro igitur ab illo, Vtrùm ſignificatio illa, quam dabant imagunculæ iſtæ 127
ipſorum Cherubim, vera fuerit an falſa? Dicet haud dubiè quod Vera; vel certè neceſſum eſt, vt faciat Deũ ipſum huius falſitatis authorem, qui eas ad hoc ſignificandum ex ſenſu Caluini ſic ſculpi, & apponi iuſſit; ſi autem vera, manifeſtum igitur eſt inprimis, non omne lignum ſculptum etiam ad vſum ſacrum, eſſe doctrinam vanitatis, ſed aliquando etiam eſſe magiſtrum veritatis ex diuina inſtitutione; non poteſt ergò Caluinus ex citatis Prophetarum verbis ſtatuere generalem concluſionem contra imagines omnes & ſculpturas quarumcumque perſonarum vel rerum, ne quidem incorporearum omnium, & in ordine ad ſignificationem ſpiritualem: vt patet per exemplum iam allegatum.

Sed replicabit: Saltem omnes Imagines & ſigna, quæ adhibentur ad Deum, 128
vel ad diuina myſteria repræſentanda damnantur generaliter à Prophetis tanquam Doctores mendacij.

Reſpondeo: Si quis faciat, aut adhibeat imagines tanquam formales ſimilitudines Dei, ſiue diuinitatis ad ſignificandum, quod Deus verus in ſubſtantia vel figura formaliter ſit talis, qualis in imagine exprimitur, haud dubiè iſte damnabilis eſt, & imagines iſtæ mendaces ſunt, poteſtque illis accommodari quod Prophetæ de idolis ſcribunt, quamuis ad huiuſmodi non reſpexerint, vt ex citatis adiunctis verbis ſatis colligitur: ſi quæ verò adhibeantur imagines aut ſigna, vel ad repræſentandum tantùm formam in quâ Deus aliquando viſibiliter ſenſuis ſuis apparuit, vel ad ſignificandum per metaphoram, aut ſecundum quandam analogiam, certam aliquam diuinæ naturæ proprietatem ſiue attributum, vel ad declarandos aliquos Dei effectus, quos certo loco, aut in certis perſonis operatur, negamus huiuſmodi imagines aut ſigna à Prophetis damnari.

Quod declaratur primò contra Caluinum ex ipſo Caluino: nam docet ipſe, 129
quod Cherubim velantes Propitiatorium ſignifi-

ſignificarent, non tantùm oculos, ſed omnem ſenſum à Dei intuitu prohiberi: ibidem dicit, quod Prophetæ Seraphin ſibi in viſione oſtenſos velatâ facie nubis pingant, quo ſignificant tantùm eſſe diuinæ gloriæ fulgorem, vt Angeli quoque à recto intuitu arceantur. Similiter forma columbæ in qua Spiritus Sanctus in Chriſtum deſcendiſſe legitur, & mox euanuit, fuit idoneum ſymbolum, inquit, quo admonerentur fideles Spiritum Sanctum inuiſibilem eſſe credendum. Eadem eſt ratio de Propitiatorio velato alis ipſorum Cherubim: deinde de flamma ignis, & alijs ſimilibus: omnia enim iſta ſymbola viſibilia ſunt exhibita ſiue data à Deo ad ſignificanda diuina myſteria, aut diuinæ majeſtatis præſentiam. Conſtat ergò manifeſtè falſum eſſe, omnem externam formam quæ adhibetur ad Deum, vel diuina myſteria, aut diuinitatis attributa repræſentanda ſecundum metaphoram aut ſimilem rationem, eſſe doctrinam vanitatis: quin potius admittendum ſit, eiuſmodi formas etiam diuinitus eſſe adhibitas ad diuina myſteria nobis ſignificanda.

130 Sed dicet fortaſſis Caluinus: Non ſe loqui de eiuſmodi ſymbolis, ſed de imaginibus quæ in forma humana pinguntur ad Deum quomodolibet repræſentandum, quod huiuſmodi ſint doctrina vanitatis. Sed contra, Gentiles inprimis non minus idololatricè fornicati fuerunt in ſymbolis & figuris animalium brutorum; atque etiam in lapidibus & lignis non ſculptis, quæ erigebantur in titulum, quam in idolis figuratis formâ humanâ; Cur igitur minus licebit vti figura hominis ad exprimendum aliquod diuinum myſterium, quam figurâ columbæ vel aliarum rerum: Deinde, vt ſuprà diximus, tres viri quos vidit Abraham, & vnum adorauit, iuxta Auguſtinum, repræſentabant Trinitatem, & Antiquus dierum apud Danielem repræſentabat Deũ Patrem. Hinc ergo neq; huiuſmodi imagines dicendæ ſunt doctrina mendacij, prout à Chriſtianis fiunt: non enim fiunt vt ſignificent nobis, quòd Deus in ſubſtantia & figura ſit formaliter ſimilis huiuſmodi imaginibus, ſed vt proximè repræſentent nobis formam aut figuram, in quâ Deus aliquando hominibus apparuit iuxta Scripturam ſacram, in quo non eſt mendacium, neque diuinitatis diminutio, & conſequenter nobis per metaphoram ingerant illud Dei myſterium aut attributum, quod Deus nobis inſinuatum voluit, quando ſub tali forma viſibili ſeſe videndum exhibuit.

Secundò

Obijcit: Imagines & ſtatuæ ſculptæ ſunt res periculoſæ natæ inducere populum in ſuperſtitioſum & idololatricum cultum.

Probatur ex Diuo Auguſtino qui de ſimulachris gentium epiſtola 49. quæſt. 3. 131 ita ſcribit, Cùm his ſedibus locantur honorabili ſublimitate, vt à precantibus & immolantibus attendantur, ipſâ ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum (quamuis ſenſu & animâ careant) afficiunt infirmos animos, vt viuere ac ſpirare videantur. Quæ poſteriora verba etiam nos ſuprà allegauimus, ad declarandum, quomodo idola ſint doctrina vanitatis: & in Pſalm. 113. Hoc enim facit & extorquet quodammodo illa figura membrorum, vt animus in corpore viuens magis arbitretur ſentire corpus quod ſuo ſimillimum videt, &c. ac infrà: Plus valent ſimulachra ad incuruandam infælicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habeant, quàm ad corrigendum quod non loquuntur, non vident, neque audiunt, neque ambulant; videtur ergò quod imagines omnes ſint oſtenſiuæ, vtpote quæ mox inducant populum, vt credat eis ineſſe vitam & diuinitatem, & ſic ad illas colendas tanquam Deos quoſdam prouocetur.

Reſpondeo Primò: Si in imaginibus 132 tantum ſit periculum quantum Caluinus exaggerat: quod inducant aut pertrahant mox populum in perſuaſionem, vt credat eis vitam & diuinitatem ineſſe, quare igitur ſcribit eodem loco, ethnicos non fuiſſe tam ſtupidos, vt credendi ſint non intellexiſſe Deum alium eſſe, quàm lapides & ligna, cum tamen de illis Scriptura expreſsè teſtatur, quod dixerint *Ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuiſti?* quæ quid aliud ſignificant, quàm idolorum cultores ad eam deueniſſe inſipientiam, vt crederent lapides & ligna numina quædam eſſe, à quibus ipſi Eſſe & vitam accepiſſent? His ſimilia ſunt, quæ paulò antè ex cap. 2. Habacuc allegauimus, & docet Apoſtolus ad Rom. cap. 1. *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c. & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum* &c. Idem habet expreſsè Diuus Auguſtinus in Pſalm. 113. non longè à principio: & indicant ſatis ipſa eius verba quæ Caluinus hic nobis obijcit. Verum quidem eſt D. Auguſt. locis allegatis recenſere diuerſas diuerſorum interpretationes, quibus Gentiles pudefacti de ſuis inſipientijs conabantur apud Chriſtianos ſe excuſare: illis tamen recenſitis concludit Auguſt. Itaque Apoſtoli vna ſententia pœnam

iſtorum, damnationem q; teſtatur *qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium*, &c. *& ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Similem facit Concluſionẽ epiſt. 49. q. 3. Neq; illinc, inquit, excuſant impij ſua ſacrilegia ſacra, & ſimulacra, (ſcil. ſatis) quod eleganter interpretãtur, quid quæq; ſignificent: omnis quippe illa interpretatio ad creaturã refertur, non ad creatorem &c. patet igitur Gentiles in ſuis ſimulachris non coluiſſe verum Deum.

133 Iudæos quoque vult excuſare Caluinus, quod non tam prorſus incogitantes fuerint, vt non meminiſſent Deum fuiſſe cuius manu educti eſſent ex Ægypto: vnde concludit, eos non adoraſſe vitulum aureum in ſe, neque falſos Deos in vitulo, ſed in eo coluiſſe Deum verũ liberatorẽ ſuum: quod eſt contra doctrinam pſaltis, qui Pſalm. 105. poſtquã enumeraſſet beneficia à Deo præſtita illi populo, expreſsè de illis pronuntiat, *Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius:* & paulò poſt: *Fecerunt vitulum in Oreb: & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam* (id eſt, Deum ſuum, qui erat gloria populi) *in ſimilitudine vituli comedentis fœnum, obliti ſunt Deum qui ſaluauit eos*, &c. Vbi nota, quòd Propheta non dicat, Aſſimularunt gloriam ſuam ſimilitudini vituli, ſed, Mutarunt gloriam ſuam, id eſt, loco Dei gloriæ ſuæ aſſumpſerunt in Deum ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Scripturis ergò manifeſtè aduerſatur Caluinus, quando vult patrocinari pudendæ inſipientiæ Gentilium, & ingratæ obliuioni Iudæorum, idque eo tantùm fine, vt Catholicos improbè inſimulare poſſit criminis idololatriæ hoc ſolo titulo, quod imagines in templis ſuis habeant, non obſtante quod profiteantur ſe non credere illis ineſſe aliquam diuinitatem & virtutem propter quam ſint colendæ, neque ab eis aliquid eſſe petendum, vel fiduciam in ipſis imaginibus eſſe figendam, vt expreſsè habet Conc. Trid. Seſſ. 25. loco cit. ſed ob alias cauſas iam ſuprà commemoratas.

134 Ad formam igitur argumenti quod Caluinus mouet, Reſpondetur Negando imaginum vſum ſiue ipſius Dei, aut Trinitatis, multoque minus Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum apud Chriſtianos tam eſſe periculoſum, vt vel propter ſcandalum ſolum ab illis ſit abſtinendum. Vbi inprimis ad hominem poſſet reddi ratio: ſi enim hoc de Gentilibus vel Iudæis, vt ipſe vult, cogitandum non ſit, quod lapides & ligna Deos exiſtimauerint, cur hoc de Chriſtianis tam anxiè rimendum venit? Certè in his parum ſibi Caluinus conſtat. Alia vera ratio eſt: quia de filijs noui teſtamenti ſcriptum eſt, Ioan. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei:* quia videlicet tempore noui teſtamenti, communis & publica eſt notitia vnius veri Dei, quæ etiam in Eccleſia per Epiſcopos, Doctores, & Paſtores omnibus annuntiatur & ingeneratur, ac ſimul quod imagines non proponantur tanquam Dij, vel quibus credatur ineſſe diuinitatem & virtutem aliquam; ſed quia honos, qui illis exhibetur, refertur in prototypa per eas repræſentata, & ob alios legitimos vſus: quæ inſtructiones erroris periculum tollunt.

Quod ad ea attinet, quæ ex Auguſtino obijcit, Reſpondetur: præſuppoſitis ignorantiã veri Dei, & communi erroneã hominum opinione de pluribus Dijs, vt Ethnicis accidebat, ſimulachra ſic eminenti loco cum ſimilitudine membrorum animatorum locata adferre multum momenti tum ad confirmandos inſipientes in inſipientia ſua, tum etiam ad perſuadendum accedentibus ſiue accreſcentibus de nouo qui meliorem inſtructionem non audiunt, vt credant numen aliquod occultum iis ineſſe: vnde eodem loco ſic de Ethnico loquitur Auguſtinus: Seductus formâ, inquit, & commotus auctoritate quaſi ſapientium inſtitutorum, obſequentiumque turbarum, ſine viuo aliquo habitatore eſſe non putat effigiem corpori viuenti ſimilem. Sed quando habetur vera cognitio, & vera fides vnius Dei, & myſteriorum eius, & accedit bona inſtructio, quã populus Chriſtianus docetur de repræſentatione, de vſu & fine imaginum ſacrarum quæ in templis, vel alijs locis deuotionis collocantur, tantum abeſt quod creent aliquod periculum receſſus à Deo, quin potius plurimum valeant ad accendendum & promouendum affectum erga Deum, & Sanctos eius, dum nobis diuina myſteria & beneficia in memoriam reuocant, & virtutes ſeruorum eius, quibus illum coluerunt, ob oculos ponunt, atque ita nos prouocant ad ſimiliter Deo conſtantiſſimè inhærendum, ac ſeruiendum. Quando autem Diuus Ioannes 1. epiſtolæ cap. 5. in fine dicit, *Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris:* dehortatur ab Idolis, ne Chriſtum deſerant, & illis adhæreant. 135

DVBIVM SECVNDVM,

Vtrùm Imagines in templis poſſint collocari?

CAluinus loco ſuprà citato, poſtquam multa contra imagines tum Dei, tum 136

etiam contra Imagines Virginum & Martyrum euomuiſſet, adiungit tandem: ſe non eâ tenere ſuperſtitione, vt nullas prorſus imagines faciendas cenſeat, ſed in templis eas minimè collocandas eſſe contendit.

Reſpondetur nihilominus, Imagines Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis collocandas eſſe. Ita definit Conc. Trid. loco ſuprà citato.

137 Probatur Primò: Quia tempore veteris teſtamenti, quando maximè populus ad idololatriam erat procliuis, fuerunt in tabernaculo, & in templo Imagines ſculptæ Cherubinorum, & figuræ diuerſorum animalium: Exodi 35. & 3. Regum cap. 6.

Probatur Secundò: Quia ab initio, etiam primis 500. annis conſuetudo in Eccleſia Catholica obtinuit, quod Imagines in templis Chriſtianorum collocarentur, licet Caluinus falſò contrarium affirmet: Baronius tomo 1. anno Chriſti 57. oſtendit Chriſti Redemptoris noſtri Imagine Eccleſias condecorari conſueuiſſe ex antiquo canone Synodi Antiochenæ, ſiue Synodi Apoſtolorum, vt vocari ſolet: de quo canone etiam videre licet Turrianum lib. 1. de Canonibus Apoſtolorum cap. 25. Tertullianus in lib. de pudicitia refert, in ſacris calicibus Eccleſię Catholicę depictum ſiue effigiatum Chriſtum in forma Paſtoris ouem errantem ſuis humeris ad ouile reportantis, Calices autem ſacri non alibi, quàm in templis vſum ſuum habere ſolent, & ſi in vaſis ſacris fuerit Chriſti effigies expreſſa, quæ ratio negandi, quod etiam in alijs tabulis? Lactantius qui vixit in fine ſæculi tertij in carmine de paſſione Domini manifeſtè ſignificat Imaginē crucifixi in templis reponi ſolitam: ita enim ſcribit:

Quiſquis ades, mediíque ſubis in limina templi:
Siſte parum, inſontemque tuo pro crimine paſſum
Reſpice me, &c.

138 Cui conſonat id dictum Theodoſij Imperatoris quo præcepit, vt delubra gentilium Chriſtianæ religionis cultui manciparentur, Collocato in ijs, inquit, venerando Chriſtianæ religionis ſigno: vnde illato crucis vexillo velut præfixo titulo, locus Deo dicatus cenſebatur. De quo vide Baronium in notis ſuis ad Martyrol. Romanum ad diem 26. Iulij: Euſebius lib. 3. & 4. de vita Conſtantini, qui vixit circa initium quarti ſæculi ſcribit, in templis à Conſtantino extructis in Palæſtina fuiſſe magnam copiam Imaginum ex auro & argento: Damaſus quoque ſiue auctor libri de vitis Pontificum in vita Sylueſtri teſtatur Conſtantinum poſuiſſe diuerſas Imagines aureas & argenteas in loco, vbi fuit baptizatus. Similiter etiam in Eccleſia Lateranenſi: Soſomenus lib. 5. cap. 20. & Nicephorus lib. 1. cap. 30. ſcribunt, ſtatuam Chriſti, quam erexerat mulier liberata à fluxu ſanguinis, fuiſſe in templum à Chriſtianis introductam, Baſilius oratione in Sanctum Barlaan in fine: Gregorius Nazianzenus epiſt. 49. ad Olympiums Greg. Nycenus Oratione in Theodorum Martyrem: Chryſoſt. in ſua lyturgia, & Prudentius in caſſiano, manifeſtiſſimè docent, tempore ſuo in templis habitas fuiſſe Imagines ſacras, qui omnes vixerunt ſæculo quarto.

Patet ergò mendaciter Caluinum aſſerere primis quingentis annis nullū in templis Imaginum vſum fuiſſe: Auguſtinus quoque lib. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 10. teſtatur ſuo tempore multis in locis fuiſſe Chriſtum depictum inter Apoſtolos Petrum & Paulum: floruit autem ipſe anno 420. 139

Probatur Tertiò ex Concilijs: ex Synodo 7. quæ tota verſatur circa hanc doctrinam tradendam & confirmandam: & ex Synodo 8. vbi canone 3. renouantur decreta 7. Synodi: item ex Conc. Romano ſub Gregorio III. cui interfuerunt mille ferè Epiſcopi, in quo damnata fuit hæreſis Iconomachorum, imagines è templis deturbantium. 140

Probatur denique ratione: quia pro diuini cultus augmento conuenit templa & oratoria decenter ornari; conuenientiſſimè autem exornantur illo ornatu, quo fidelium animi abſtrahuntur à vanis & ſæcularibus cogitationibus, & excitantur in illis actus fidei, charitatis, gratiarum actionis, deuotionis, & animantur ad patientiam in perſecutionibus aut difficultatibus, & ad alias virtutes; atqui ad hæc præſtanda ſunt imagines quæ hiſtorias ſacras referunt, aut viros Sanctos repræſentant, admodum opportunę: vt ex ſuprà dictis patet, & docet experientia. Deinde Imagines Sanctorum conuenienter in templo collocantur, vt per hoc ſignificemus eos quorum imagines amplectimur, Deo in cæleſti Hieruſalem (cuius templa noſtra typum gerunt) eſſe coniunctiſſimos. 141

Sed contra obijciet Caluinus ex Epiphanio, qui in fine epiſtolæ ſuæ ad Ioan. Epiſ. Hieroſol. ſcribit, quòd dum pergeret ad Sanctum locum qui vocatur Bethel, & intraſſet ibi Eccleſiam quandam, ſe inueniſſe in ſoribus Eccleſiæ velum tinctum atque depictum, & cum ibi vidiſſet contra Scripturarum autoritatē, hominis pendere 142

imaginem, ſe ſcidiſſe illud; non ſunt igitur imagines in templis habendæ.

Reſpondeo Primò: Quidquid de iſta narratione ſit, tamen factum vnius non debere præualere, nec poſſe præiudicare communi conſuetudini totius Eccleſiæ, quæ tempore Epiphanij plurimum vigebat, & à viris Sanctis approbatur: vt patet ex Baſilio, vtroque Gregorio, Nazianz. & Niſſeno, Prudentio, & alijs, qui eodem ſæculo cum Epiphanio vixerunt.

Reſpondeo Secundò: Illam epiſtolæ partem non eſſe Epiphanij, ſed ſuppoſititiam: ita Bellarminus ſuprà cap. 9. Quod colligitur Primò: quia hæretici Iconomachi antiquis temporibus non obiecerunt hunc locum Catholicis, cum tamen obiecerint omnia dicta Patrum, quæ vllum poterant habere colorem: vt patet ex Synodo 7. act. 6. Deinde, quia Epiphanius Diaconus in eadem Synodo conijcit duo loca alia Epiphanij ſcriptis fuiſſe ab hæreticis inſerta: Tertiò, quia in ſuis libris contra hæreſes, nuſquam ſcribit contra eos, qui docebant in templis imagines habeodas, cum tamen ex modo citatis auctoribus conſtet tunc paſſim imagines in templis habitas fuiſſe: Quartò, quia dicit auctor partis illius epiſtolæ, ſe non meminiſſe cuius imago fuerit: qualis obliuio aut inaduertentia in re tanti momenti, non videtur tanto viro, vt erat Epiphanius, aſcribenda. Denique, ex contextu legentibus patet, epiſtolam iam abſolutam & concluſam fuiſſe, priuſquam narratio illius fabulæ attexatur: vnde nec Hieron. qui totam ferè hanc epiſtolam à ſe latinè redditam refert in epiſtola quadam ad Pamachium, non facit mentionem huius veli depicti ab Epiphanio dilacerati.

143 Obijcitur Secundò ex Conc. Elibertino Canon 36. qui ſic habet: Placet in templis non haberi picturas, ne quod colitur, vel adoratur in parietibus pingatur; ergò &c. Reſpondetur: Baronius exiſtimat iſtū canonem quoque ſuppoſititium eſſe, cuius coniecturę adfert plura argumenta Tomo 1. anno 57. quæ ibi videre licet; ſed vt canon ſuppoſititius non ſit, poteſt eius reddi ſanus & commodus ſenſus, quod videlicet vetet ipſa templa intus pingi: quia dum ea pinguntur, ſoleot pro maiori conuenientia talis loci pingi perſonæ ſacræ: vt Chriſtus Dominus, Beata Virgo, Martyres: & quamuis hoc faciat pro reuerentia loci, tameo ex altera parte cedit in quandam irreuerentiam ipſorum Sanctorum ſæpius: quia quod in muris vel parietibus pingitur, facilè corrumpitur & fœdatur, & monſtroſam formam poſtea accipit, quo nomine id Concilium prohibere potuit. Et hunc ſenſum apertè indicat ratio adiecta, Ne quod colitur aut adoratur, in parietibus pingatur. Vbi ſi abſolutè intendiſſet vetare poni quaſuis imagines in templis, potius pro ratione adiunxiſſet: Ne quod pingitur, adoretur aut colatur.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrùm Imagines Chriſti & Sanctorum ſint adorandæ? & quo genere cultus?

Reſpondeo & dico Primò: Imaginibus Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum debitus honor, & veneratio eſt impertienda. Eſt fidei, ita docet Conc. Trid. loco ſuprà citato: & infrà addit: Si quis autem his decretis contraria docuerit aut ſenſerit, anathema ſit. Idem definitum fuit in Synodo 7. quæ eſt Conc. Nicenum 2. & in Synodo 8. can. 3. ſub Adriano I. 144

Probatur Primò: Quia Arcæ fœderis tempore veteris legis, ſua debebatur & impertiebatur veneratio, quia cæleſtium rerum gereret imaginem. Confirmatur, quia ad litteram de illa dicitur Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt:* vocatur autem ſcabellum pedum Domini, quia ſupra Arcam inter Cherubim erat Propitiatorium, quod erat velut ſedes Dei: quia inde dabat reſponſa: vt clarius intelligitur ex illis verbis 1. Paral. c. 28. *Cogitaui vt ædificarem domū, in qua requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri:* ipſa igitur Arca tunc temporis erat adorāda ſiue veneranda. Accedit quod ex pluribus Scripturæ locis conſtat, eam in magna reuereotia habitam, & magnā cum veneratione tractatam ſemper fuiſſe, ita vt à ſolis ſacerdotibus & Leuitis portare aut attingi potuerit: & ſi qui temerariè aut indecenter eam tetigerunt, vel etiam aſpexerunt, eos grauiter fuiſſe à Deo punitos: Deuter. 10. Ioſuæ 3. 1. Regum 6. & 2. Regum 6.

Probatur Secundò: Quia ita de Imaginibus ſenſerunt & docuerunt antiqui Patres, quos videre licet citatos in Synodo 7. & apud Damaſcenum in Orat. eius de Imaginibus.

Probatur Tertiò ex miraculis quę Deus per Imagines eſt operatus circa cultores ipſarum, aut ad inſtantiam huiuſmodi cultorum: quibus declarauit Imaginum cultum ſibi complacere: de huiuſmodi autem miraculis, videre licet Synodum 7. actione 4. & 5. Damaſc. Orat. 2. & 3. Athanaſium de paſſ. Imaginis Domini, & Euagrium lib. 4. hiſt. cap. 26.

Probatur

145 Probatur denique ratione: Quia honor Imaginis per ſe redundat in prototypum, vt docet Baſilius de Spiritu Sancto cap. 18. videturque eſſe principium lumine naturali euidens: quis enim non putabit ſe honorari, ſi Imago eius, non propter artificium aut materiæ præſtantiam, ſed propter repræſentationem talis viri habeatur ab alijs in veneratione? quemadmodum etiam è contra, vt habet Ambroſ. ſerm 10. in Pſalm. 118. qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique, cuius ſtatuam conſtupauerit, feciſſe videtur iniuriam; quidni ergò ſicuti cultu ciuili & politico honorantur imagines & ſtatuæ virorum excellentium moralibus aut politicis virtutibus; ita & ſimiliter honorandæ ſint cultu religioſo ſiue ſacro Imagines virorum excellentium ſanctitate & religione, ac peculiari quâdam cum Deo coniunctione? non quidem propter ipſas imagines tanquam res quaſdam, ſed propter earum habitudinem ad viros Sanctos, quatenus hos repræſentant: quando enim quippiam induit habitudinem peculiarem ad rem vel perſonam ſacram, mox quâdam veneratione afficiendum venit, ne & ipſa res ſacra, vel ſacra perſona contemni aut negligi videatur. Vnde Exodi 3. dicitur Moyſi *Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt:* quia videlicet Dominus ibi ſuæ præſentiæ manifeſtationem dabat. Eandem doctrinam tradit D. Thomas 2. 2. qu. 99. art. 1.

146 Obijciuntur hic Primò duo Concilia Conſtantinopolitana: Vnum ſub Leone Iconomacho celebratum, teſte Paulo Diacono lib. 21. rerum Romanarum: & alterum ſub Conſtantino Copronimo, teſte eodem Paulo lib. 22. quæ ambo definierunt Imagines eſſe abolendas.

Reſpondetur Primò: Concilia iſta non fuiſſe legitima: quia non interfuit Pontifex Romanus, neque per ſe, neque per ſuos legatos, vt ex Paulo Diacono, & Synodo 7. act. 6. conſtat. Deinde non conſenſerunt vlli Patriarchæ, vt ex ijſdem & Zonora, & alijs patet. Vnde etiam omnes auctores, qui de Concilijs ſcribunt, iſta Concilia vel non recenſent, vel certè reprehendunt. Accedit, vt fuiſſent legitima prouincialia, tamen quia à Pontifice approbata non fuerunt, non poſſunt præiudicare Synodo 7. quæ fuit Concilium plenarium, & verè generale, quin & ab illâ meritò potuerunt reprobari. Notat Bellarminus à multis recentioribus Cōcilium illud Conſtantinopolitanum erronicè vocari Epheſinum III. nam non fuiſſe Epheſi, ſed Conſtantinopoli habitum dicit patere ex omnibus antiquis Hiſtoricis, & ex ipſo Concilio, quod inſertum habetur in Synodo 7. actione 6.

147 Obijciunt Secundò Conc. Francford. quod ſcribitur damnaſſe Synodum 7. quæ definierat Imagines eſſe adorandas. Ita referunt Ado in Chronico anni 795. Abbas Vrſpargenſis in chronico anni 793. Wycmarus Remen. lib. contra Epiſcop. Laudunenſem, & auctor libri cuiuſdam ſcripti, vt apparet tempore ipſius Concilij Francfordienſis, qui Carolo Magno adſcribitur, qui etiam liber contra dictam Synodum 7. agit, & videtur continere acta quædam ipſius Concilij Francford. quod ita aſſerit Wycmarus loco libri citato.

Reſpondetur, Acta Concilij Francford. pro parte, quâ dicitur tractaſſe de Imaginibus per ſe nō extant, ſed nec vllus Catholicus auctor ſcribit ſe ea vidiſſe: quæ verò hæretici hoc tempore ſub illo nomine diuulgarunt, ab eis conficta ſunt, quia neque exemplar deſignant ex quo ea tranſtulerint, nec locum in quo hactenus delituerit; vel vbi ipſi inuenerint. Deinde neque ad verbum deſcribunt acta Conc. quemadmodum in alijs Concilijs fieri ſolet: vnde quæ hinc inde ſub nomine illius Concilij allegantur, fidem nullam merentur contra Synodum 7. generalem, quam conſtat fuiſſe legitimè congregatam, & approbatam, & cuius indubitata acta habentur.

148 Præterea, ſi quis circumſtantias benè conſideret, omninò fit in ſe incredibile, Concilium iſtud Francfordienſe reprobaſſe Synodum generalem 7. quia fuit celebratum ſub Adriano Papa I. cuius legati eidem interfuerunt, quos Ado nominat Theophilactum & Stephanum: iſte autem Adrianus confirmauit Synodum 7. & ſcripſit contra Imaginum impugnatores; imò contra librum adſcriptum Carolo Magno: quam igitur poteſt habere apparentiam in Concilio iſto damnatam fuiſſe Synodum iam recenter ab eodem Pontifice approbatam? quod ſi dixerint hæretici Concilium reprobaſſe ſuâ auctoritate illam Synodum, non aſſentiente, neque approbante Pontifice acta Concilij pro hac parte, vt Magdeburgenſes centuriatores Centuria 8. ſcribunt: quamuis conſtet ſatis, dictum Pontificem approbaſſe acta pro altera parte, quâ Concilium damnauit errorem Elipandi & Fælicis de adoptiua filiatione Chriſti, Iam argumentum quod inde poſſent capere per ſe ruit: quia nouum non eſt, Concilium aberrare, quando ab auctoritate Sedis Apoſtolicæ recedit. Quod verò ad ipſam rem geſtam & hiſtoriam attinet ex auctoribus citatis, & alijs ſatis videtur conſtare, in dicto Concilio aliquid de Imaginibus tractatum, & alicuius præcedentis Synodi

acta ibidem fuiſſe reprobata, aut ſaltem in dubium reuocata: ſed tam repugnantia ſunt quæ diuerſi ſcribunt; imò quæ vnus & idem ſcribit, tam parum cohærent, vt nihil certi videatur poſſe haberi de Synodo in particulari, cuius acta ibi fuerint diſputata.

Omnibus autem attentis, vel dicendum
149 eſt, Si admittatur ibi reprobatam fuiſſe veram Synodum 7. ſiue ſecūdam Nicænam, id factum fuiſſe tumultuariè, neque acceſſiſſe aliquam Romani Pontificis approbationem: quia, vt modo diximus, Pontifex illius temporis ſcripſit contra librum qui putatur decreta Concilij Franefordienſis de Imaginibus continere: & idcirco, quia res tumultuariè geſta eſt, & ſine approbatione, & fortaſſis etiam abſque formali Concluſione, idcirco acta illa manſiſſe obſcura, ſic vt hiſtoriographi rem certò & definitè non intellexerint. aliqui tamen exiſtimant, ibi Synodum 7. fuiſſe abſolutè reprobatam, ſed ex errore facti: quia Patres Concilij exiſtimauerint eam à Pontifice non fuiſſe approbatam, ac ipſam docere Imagines tanquam Deos quoſdam eſſe colendas. Sed hoc parum eſt veriſimile, quandoquidem Adrianus Papa ibi habuerit ſuos legatos, qui alios Patres ſufficienter potuerunt inſtruere de auctoritate & doctrina Synodi 7.

Vel certè dicendum erit, Conc. Franc-
150 fordienſe non damnaſſe veram Synodum 7. ſed Pſeudoſynodum, ſiue Concilium Iconomachorum Conſtantinopoli celebratum ſub Conſtantino Copronimio abſque Pontificis auctoritate, & Patriarcharum. Pro hoc facit quod pleriq; auctores citati ſcribant ſemper de Conſtantinopoli, quod ibi Synodus eſſet celebrata quam damnauit Conc. Franeford. & quod aliqui addant, quod ſit celebrata abſque Pontificis auctoritate. Neque obſtat quod quidam dicant Synodum 7. Græcorum fuiſſe damnatam: nam iſti Iconomachi vocabant ſuū conuenticulum Cōſtantinopolitanum Synodum vniuerſalem, & 7. vt refert Zonoras in vita Conſtantini: vnde facilè potuit naſci error & confuſio, ſic quod Hiſtorici non ſatis potuerint diſtinguere, quæ Synodus reprobata fuerit, cum nec Concilio Francford. interfuerint, neque determinata eius acta legerint, vt apparet.

151 Denique hîc notandum eſt, Librum illum, de quo iam egimus, & Carolo Magno aſcribitur, ab eo verè compoſitum non eſſe, ſed potius ab aliquo hæretico Iconomacho, cuius nomen non exſtat. Quod ex his poteſt colligi: quia extat liber Adriani Papæ ad ipſum Carolum, vbi refutat ea quæ in dicto libro continētur contra Imaginum venerationem: vnde magis fit veriſimile dictum librum Carolo fuiſſe oblatum, & ab eo ad Pontificem miſſum, vt illi reſponderet: ſed poſtmodum hæreticorum caliditate Carolo tanquam auctori adſcriptum fuiſſe. Accedit quod Ionas Aurelianenſis lib. 1. de Cultu Imaginum, qui floruit tempore ipſius filij Caroli, Ludouici Pij, ſcribat, Claudium Taurinenſem Patronum Iconomachorum toto tempore quo vixit Carolus, non fuiſſe auſum mutire: quomodo igitur credi poterit Carolum librum contra Imagines ſcripſiſſe? Deniq; ex hiſtoricis & Caroli epiſtolis conſtat, Adrianum Papam, & Carolum fuiſſe ſemper coniunctiſſimos. Quod ſi itaq; huic libro fides fuerit detracta, iam videntur concidere omnia quæ alij quoque auctores de hac re ſcribunt: quia cum hic liber tempore ipſius Concilij ſcriptus videatur, veriſimile eſt alios ſua inde deſumpſiſſe.

Tres modi bene notandi circa adorationem Imaginum,

Sed vt intelligatur, quo venerationis genere Imagines ſint afficiendæ, Notandum eſt tribus modis apprehendi poſſe Imagines adorari:

Primò, quia ad præſentiam ſiue conſpe- 152
ctum Imaginis occurrit memoria perſonæ repræſentatæ, eiuſque excellentiæ. Vnde fit quod tunc mens intuentis Imaginem, moueatur in admirationem ac veneratione perſonę repræſentatæ, dirigendo totam venerabundam intentionem ad exemplar repræſentatum tanquam obiectum adorationis, nullo modo ſe extendendo in ipſam Imaginem.

Secundò dirigendo adorationem tùm ad exemplar repræſentatum, tum ad Imaginem in qua repręſentatur, apprehendendo vtrumque ſimul tanquam vnum obiectum adæquatum, ad quod per ſe terminetur adoratio ex intentione adorantis.

Tertiò dirigendo Adorationem ad ſolam Imaginem tanquam ad materiam ſeu rem adoratam per ſe, ad exemplar verò ſolum vt ad ipſam rationem adorandi Imaginem: Aliud enim eſt adorari per ſe, aliud adorari propter ſe, ſicut aliud eſt in ſe aut per ſe amari, & aliud amari propter ſe. His poſitis

Dico Secundò: Quando Imagines præ- 153
ciſè primo modo intelliguntur adorari, tunc non propriè & per ſe, ſed impropriè tantū, & quaſi abuſiuè adorari dicuntur: neque ſic ſufficienter explicatur Imaginum adoratio iuxta Eccleſiæ ſenſum.

Probatur Prior pars: quia iuxta illum adorationis modum, Imaginem adorari nihil aliud eſt dicere, quam Imaginem eſſe occaſionem vel ſignum excitans hominem ad prototypum recogitandum, ipſiq; honorem deferen-

deferendum, non autem Imaginem eſſe quomodolibet rem quæ adoretur, ſiue quę quomodolibet honore aliquo afficiatur: quemadmodum dum quis ex conſideratione cæli & aſtrorum fertur in adorationem Creatoris, non poteſt niſi admodum impropriè tunc dici adorare aut venerari ipſum cælum & aſtra.

154 Pars poſterior eſt contra Durandum in Tertium d. 9. qui hoc ſolo modo vult imagines adorari, & admittit impropriè dici eas adorari, ſed nos ita loqui, quia plures ita loquuntur. Ab eâdem ſententia non ſatis recedunt, qui tametſi ſimpliciter dicant Imagines verè & propriè adorari, non tamen id aliter expoount, quàm quia coram illis & circa illas exhibentur externa honoris ſigna, vt genuflexio, deoſculatio, & ſimilia; ſic vt ipſe affectus interior quatenus eſt affectus honorandi, nullo modo dirigatur ad Imaginem nec primariò, nec concomitanter, ſed ad ſolum prototypum tanquã vnicũ adorationis obiectum.

155 Sed Concluſio noſtra colligitur ex D. Thoma hic art. 3. Caiet. Medina ibidem, ex Gabriele in Tertium d. 9. & Paludano ibid. q. 1. art. 3.

Et probatur, quia Concilia quæ definiunt Imagines eſſe adorandas, & honorem illis impertiendum, non debent cenſeri loqui impropriè aut abuſiuè; imò ſi Imagines non poſſent niſi impropriè dici honorari, tunc potius negandum eſſet ſimpliciter loquendo, quòd adorandæ ſint, quàm idipſum affirmandum, quia impropria & abuſiua adoratin non eſt adoratio: neque ſufficiunt ſola ſigna externa ad veram & propriè dictam adorationem, quo pacto alij volunt illud explicare: quia ſola exterior actio abſque intentione colendi non eſt adoratio, ſed potius fictio adorationis: Intentio namque eſt veluti anima, & vita adorationis; neque ſufficit intentio adorandi prototypum ad hoc vt imago propriè adorari dicatur: quia ſicut adoratio vera vt ſic, requirit neceſſariò intentionem adorandi in communi, ita adoratio huius vel illius neceſſariò requirit in adorante proportionalem quaodam intentionem adorandi, hanc vel illam rem quę adorari denominatur.

156 Dico Tertiò: Imagines Chriſti & Sanctorum non tantùm primo illo modo à fidelibus adorari cenſendæ ſunt (quamuis cõtingat aliquando ex occaſione imaginis, mentem intuentis totaliter ſic ferri in prototypi adorationem, vt ad imaginem ſe non reflectat) ſed etiam rectè & decenter prototypum in imagine, & Imago propter prototypum vno actu intentiori & exteriori ſimul adorari dicuntur.

Colligitur ex D. Thoma hic: & idem videtur eſſe ſenſus Doctorum, quos modo citauimus, & Ferrarienſis 3. contra Gentes cap. 120. & Capreoli in Tertium diſt. 9. qu. vnicâ.

Probatur Primò, Quia Concilia & San- 157
cti Patres, quando de cultu ſiue adoratione Imaginum agunt, planè indicant hunc modum, & rationem adorandi Imagines: Synodus 7. act. 4. ex Baſilio contra Savellium, & Athanaſio ſerm. 4. contra Arrianos ſcribit, Qui adorat Imaginem, in ea ipſum Regem adorat: vnde Ioannes legatus Orientis, approbantibus alijs Patribus, ibidem concludit, non eſſe duas adorationes, ſed vnam Imaginis & primi exemplaris: & infrà: Chriſtiani Imagines Chriſti, & Martyrum tenentes & oſculantes animo videmur nobis Chriſtum ipſum aut Martyres amplecti. Idem ſignificat Conc. Trid. Seſſ. 25. dicens, Per Imagines quas oſculamut, & coram quibus procumbimus, Chriſtum adoramus, & Sanctos veneramur: Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 18. Rex, inquit, dicitur Regis Imago, & non duo Reges, neque Imperium ſcinditur; neque gloria diuiditur: quia ſicut poteſtas eſt vna, ita glorificatio eſt vna: Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 12. Quocirca nobis faciendum eſt, vt crucis ſignum adoremus: vbi enim ſignum fuerit, illic quoque & ipſe erit. Similia habet Origines Homil. 1. in Geneſim.

Probatur Secundò, & ſimul decla- 158
ratur ratione: Quia licet prototypum non ſit ſecundum eſſe ſuum reale in imagine præſens, vel realiter ei vnitum, eſt tamen illud eius Eſſe ibi repræſentatum: vnde fit, vt homo, qui ex ſenſibilibus obiectis ſibi præſentibus mouetur, propoſitâ huiuſmodi imagine, ſtatim ac veluti coniunctim, prototypum cum Imagine apprehendat, ipſumque vt hâc imagine repræſentatum concipiat: quâ tali apprehenſione poſitâ, adorantis animus vno adorationis motu, primariò quidem in exemplar, concomitãter verò in Imaginẽ fertur: quâ v. g. deoſculando, primò quidem prototypo, vt Chriſto ſi eius imago fuerit, illud honoris & affectus ſignum exhibere intendit: ſed quia dirigitur ad Chriſtum cum aliquo reſpectu ſiue ordine ad imaginem vt hæc illum repræſentat, idcirco concomitanter iſtud honoris ſignum afficit quoque ipſam imaginem, etiam ex intentione ipſius deoſculantis, ſed non propter illã, verùm propter ipſum exemplar: quemadmodum qui oſculatur. v. g. Regem in veſte quâ indutus eſt, primò defert honorem Regi, & concomitanter etiam ipſi veſti.

Dico Quartò: Rectè etiam ac licitè fieri 159
poteſt,

poteſt, quod Imagines Chriſti & Sanctorum aliquâ veneratione afficiantur, cuius ipſæ Imagines ſint totum obiectum *quod*, in quod directè & expreſsè actus ille venerationis ſe extendit, & prototypum ſit ratio propter quam talis venerationis Imaginum. Ita docent Sanderus lib. 2. de Imaginibus cap. vlt. Bellarm. tomo 2. lib. 2. de Imaginibus cap. 21. & 25. Suarez hic, & alij plerique recentiores.

Probatur & ſimul explicatur: Quia voluntas poteſt verſari, & alicuius ſui affectus actū exercere circa rem vnam propter aliam, ſic vt directâ & expreſsâ operantis intentione actus ille nō terminetur in cauſam illam propter quam, tanquā in obiectū quod actus illius. Declaratur, quia poſſum miniſtris Principis aliquē honorem deferre, quia Principis miniſtri ſunt, non cogitando expreſsè & directè actum illum honorarium exhibere perſonæ Principis. Similiter viſâ veſte Principis, poſſum ex quadam veneratione abſtinere, v. g. à contactu veſtis propter Principem, non tamen intendendo tunc actu explicito & directo per veſtē honorare Principem in ſua perſona; ergò fieri poteſt, quod Imagines aliquo honore afficiantur propter prototypum, ſic etiam, quod actus ille explicitè & directè non extendat ſe in prototypum tāquam obiectum quod ipſius.

160 Illud ipſum verò rectè & licitè fieri poſſe probatur, quia huiuſmodi Imaginis veneratio propter prototypum, non eſt iniurioſa ipſi exemplari, ſed illi admodum honorifica: quia ſignum magnæ æſtimationis eſt de excellentiâ alterius, ac boni etiam erga illum affectus, quando quis propter ipſum, eiuſque præſtantiam defert venerationem, non tantùm ipſius perſonæ, ſed etiam omnibus quę ipſum contingunt: vt amicis, famulis, veſtibus, Imagini eius, & ſimilibus, quamuis non cogitet directè & expreſsè actum illum honoris dirigere in ipſam perſonam. Et ratio eſt, quia licet eiuſmodi veneratio explicito & directo actu venerantis non extendat ſe in exemplar tanquam obiectum quod, ſed ſolummodo vt in motiuum, & ſiſtat circa imaginem propter exemplar, tamen ex natura rei redundat in ipſum prototypum, eo quòd reſpectiua ſit, & non deferatur imagini propter aliquam virtutem aut perfectionem illi inexiſtentem: ſed propter habitudinem tantùm, quam habet vt repræſentans ad exemplar vt repræſentatum: vnde per hoc nihil excellentiæ prototypi ſubtrahitur, quemadmodum neque aliquid venerationis, quæ tota in ipſum reſultat. Sed contra

161 Obijcitur: Concilia quando docent aut definiunt Imagines adorandas ſiue venerandas eſſe, ſemper ita exponunt, vt totam adorationem & adorationis modum ponere videantur in eo, quòd prototypa ipſa adorentur in illis, quod honos qui eis exhibetur, referatur ad prototypa: vt Conc. Trid. ſuprà dum ait, quod per imagines quas oſculamur, & coram quibus procumbimus, tunc Chriſtum adoremus, & Sanctos veneramur. Similiter loquitur Conc. Zenonenſe in Decretis fidei, vbi etiam addit, Imagines retinendas eſſe, quo per Imaginum pictarum inſpectionem omnes contemplantes ad prototyporum memoriam, & recordationem, & deſiderium veniant: imò Concilium Moguntinum cap. 41. ſic ſcribit, Paſtores noſtri populum accuratè moneant, Imagines non ad id proponi, vt adoremus aut colamus eas, ſed vt quod adorare aut colere, aut quarum rerum vtiliter meminiſſe debemus, per Imagines recordemur. Similiter etiam antiqui Patres videntur Imaginum adorationem exponere, quando de ea tractant; videtur ergò non poſſe Imaginibus honorem exhiberi poſteriori modo explicato.

Reſpondetur Primò: Concilia determina- 162
tè & expreſsè duo hæc docere ac definire: vnum eſt, Imagines licitè haberi, in templis collocari, & debitâ veneratione afficiendas eſſe: Alterum eſt, Imagines non eſſe adorandas Gentilium more tanquam Deos quoſdam, aut quibus inſit aliqua diuinitas aut virtus: quemadmodum neque propter materiæ aut artificij præſtantiam: ſed omnem honorem & venerationem, quę illis exhibentur, exhiberi propter ipſum prototypum.

Verùm, quo modo in particulari adoratio iſta attingat Imaginem, & quomodo in particulari tranſeat ad prototypum, non ita determinatè explicant, multoque minus definiunt: ſed ex diuerſis locutionibus poſſumus colligere vtrumque modum venerandi imagines à nobis explicatum & approbatum: De priori patet ex dictis circa Concluſionem 3. Poſteriorem verò inſinuant Concilia, quando dicunt honorem imaginis reſultare in prototypum, vt loquitur Synodus 7. in definitione fidei. Vbi illud reſultare in prototypum, indicat venerationem imagini delatam, non directâ & expreſsâ intentione terminatam ad exemplar vt obiectum quod: ſed quia imagini defertur propter exemplaris excellentiam, idcirco redundare & virtualiter terminari in ipſum exemplar.

Rurſum indicant hunc modum, quan- 163
do dicunt imaginibus deberi venerariam adorationem, qualis debetur rebus ſacris, non tamen verâ latriâ, vt docet Synodus 7.

loco

loco citato. Quibus ſignificat, non deberi imagini adorationem omnino æqualem ei, quæ debetur exemplari: quod optimè intelligitur in hoc ſecundo modo à nobis explicato: quando enim ſic honoratur imago tanquam totale obiectum *quod* illius actus, tametſi propter exemplaris excellentiam, tamen tunc honor ille eſt diuerſæ & inferioris rationis ab eo qui defertur prototypo tanquam obiecto *quod*. Quemadmodum longè minor eſt æſtimatio, v. g. quâ quis æſtimat effigiem parentis ſui, quia effigies parentis eſt, quàm quâ æſtimat ipſum parentem, & alium honorem exhibebit, ſi cogitatio & intentio per imaginem feratur in parentem, & alium, ſi tantùm cogitet de illâ in pretio habendâ, quia effigies parentis ſui eſt. Et ratio eſt: quia licet vtrobique cauſa motiua æſtimationis, & venerabundi affectus ſit excellentia exemplaris, (& proinde vtrique actus ab eodem habitu poſſint procedere, qui tam ſecundarios quàm primarios actus venerationis talis excellentiæ cauſare & imperare poteſt) tamen non ſunt eiuſdem rationis & præſtantiæ: quia iſta excellentia non eodem modo eſt applicata imagini, & exemplari: ſed huic eſt intrinſeca ſiue eſſentialiter, ſiue accidentaliter, eſtque verum huius ornamentum intrinſecum, & principium præſtantiſſimarum actionum: ad imaginem verò extrinſecè omnino ſe habet, vtpote quæ illam tantùm cum prototypo repræſentat, neq; in imagine principium eſt alicuius actionis: quæ diuerſa excellentiæ habitudo ad materiale obiectū Quod adorationis ſufficiens eſt, vt inter tales actus conſtituat diuerſas rationes, vnam longè ſublimiorem, alteram inferiorem.

164 Inferet aliquis: Ergò poſterior modus venerandi imagines eſt defectuoſus: quia per illum non honorantur exemplaria, quantum eis debetur, & proinde videtur reprobandus.

Reſpondetur, ſi intelligatur quod ſit defectuoſus culpabiliter, ſic nego conſequentiam: quia ſicut nullum præceptum nos obligat ad poſitiuè adorandum ſemper Deum vel Sanctos, ita neque vllum obligat ad adorandum ſemper præſtantiſſimo aut perfectiſſimo modo; ſi verò intelligatur defectuoſus, id eſt, minus perfectus, quia exemplaria minus perfectè ſic adorantur, tum quia iſta imaginis veneratio non eſt actus honorarius in ratione honorificentiæ tam perfectus, quàm eſt adoratio exemplaris, tum etiam quia non directè & expreſsè dirigitur in exemplar, ſed tantùm in illud redundat, ſic quidem verum eſt quod infertur, ſed propterea modus ille non eſt illicitus aut reprobandus, vt ex modo dictis conſtat: ſed bene quod alter modus ſit magis frequentandus, vt videlicet cogitatio & intentio adorantis imagines dirigantur in ipſa prototypa, ita vt in intentione principale ſit adoratio exemplarium, ſecundarium autem, veneratio imaginum, licet in executione videatur prius attingere imaginem, quatenus ſuo modo per imaginem tranſit in exemplar: & hic ſine dubio primarius vſus eſt & principalis finis imaginum, vt Concilia ſuprà citata ſatis ſignificant. Vbi tamen

Notandum, quando dicunt imagines habendas eſſe, vt per earum inſpectionem in memoriam nobis reuocentur exemplaria, non hunc eſſe ſenſum, imagines ita eſſe propter prototypi recordationem, vt non imagines, ſed tantùm prototypa in memoriam reuocata adorentur, vt Durandus voluit: quia Synodus 7. vbi tale quid dixiſſet, adiungit expreſsè: illiſque, videlicet imaginibus, venerariam adorationem, non tamen veram latriam exhibendam eſſe: & Synodus 8. can. 3. propter honorem qui ad principalia ipſa refertur, etiam deriuatiuè imagines honorantur. 165

Reſpondetur itaque nunc Secundò: Quamuis Concilia & Sancti Patres priorem modum venerandi imagines magis videantur inculcare & commendare, tamen poſteriorem quoque ab illis ſufficienter indicari. Neque obſtat quod doceant generaliter imagines tantum honorandas propter prototypa: quia illa præpoſitio, *propter*, admittit plures habitudines, vt ſignificetur vel eas honorandas vt in illis directè adorentur prototypa tanquam obiectum quod, vel propter prototypa tanquam finem in quem referatur veneratio imaginis. Quando itaque vno ex iſtis modis propter prototypū, imago honoratur, nihil committitur contra Conciliorum doctrinam. 166

Quod verò Moguntinum Concilium dicat imagines non proponi vt adoremus, aut colamus eas, intelligendum eſt cultu videlicet abſoluto, quaſi diuinitatem aut virtutem in ſe haberent, ſiue tanquā Deos quoſdam, quomodo videlicet hæretici per calumniam ſolent obijcere, Chriſtianos imagines colere.

Obijcitur Secundò: Solum ſuppoſitum naturæ intellectualis eſt obiectum capax adorationis ſiue honorationis; ergo imaginibus cum ſint res inanimes, non poteſt deferri vlla veneratio, quæ ex intentione adorantis non directè & expreſsè dirigatur in prototypum. 167

Reſpondetur vt antecedens verum ſit, intelligendum eſſe hoc ſenſu: ſolum ſuppoſitū naturæ intellectualis eſt obiectum honora-

honorationis, ita vt omnis honoraria actio debeat ex intentione honorantis dirigi in tale ſuppoſitum tanquam obiectum quod, vel ſi in rem aliam, hoc non niſi propter aliquē ordinem ad tale ſuppoſitū, ita vt ex natura talis actionis, & ex communi hominū ſenſu veneratio iſta redundet & tranſeat in ſuppoſitum naturæ intellectualis, quod illam cognoſcere & attendere valet, tametſi honorans non directè & expreſsè cogitet illo actu adorare ſuppoſitum illud in ſe tanquam obiectum quod. Vt autem hoc modo rationabiliter honor poſſit deferri rei alicui irrationali, ſufficit quod habeat coniunctionem aut habitudinem ad ſuppoſitum excellens naturæ intellectualis, propter quam communiter æſtimatur id cedere in honorem, vel cōtumeliam talis ſuppoſiti, quod reverenter, vel contumelioſè fit circa rem talem: quia tunc vltimatè cenſetur homo ſe dimittere non coram re inanimi, ſed ſe ſubmittere ſuppoſito excellentiori intellectuali, propter quod reverenter agit circa rem inanimem, atque ita cultus ille rei inanimis tantummodo reſpectiuus eſt, non abſolutus.

168 Dico Quintò: Iuxta rationem adorandi imagines in tertiâ Concluſ. explicatam, imago Chriſti Domini adoranda eſt eodem actu latriæ, quo exemplar: ſimiliter imago Deiparæ Virginis eodem cultu hyperduliæ, quo Beata Virgo: & imagines Sanctorum cultu Duliæ ſicut ipſi Sancti: quamuis hic idem actus non eodem modo terminetur ad imagines, & ad prototypa. Eſt expreſſa ſententia D. Th. hic art. 3. & 4. & aliorum quos ſupra citauimus ad 3. Concl. Colligitur ex dictis ibidem: quia iuxta illum adorandi modum adoratur imago vnâ eâdemque actione, quâ prototypum, ſic tamen vt primariò dirigatur in prototypum, & concomitanter in imaginem: quarè quando prototypum adorandum eſt latriâ, tunc etiam imago eius iuxta hunc modum adoratur cultu latriæ: quemadmodum qui exoſculatur purpurā regis quâ ille indutus eſt, animo recognoſcendi regem vt talem, eodem actu honorario adorat regem propter ſe, & purpuram propter regem vt aliquid eius.

169 Obijcitur: Iam ſuprà ex Synodo 7. dictum fuit, imaginem Chriſti non adorari verâ latriâ, ſed quâdam minori venerariâ adoratione: & cum hoc doctrinaliter ibidem determinetur, vniuerſaliter intelligendū venit, vt videlicet nullo caſu poſſit verâ latriâ adorari; ergò falſū eſt quod &c.

Reſp. Neg. Conſeq. & ratio eſt, quia licet eadem honoraria actio latriæ attingat imaginem, & prototypum, tamen longè aliter, & modo perfectiori tendit in prototypum, videlicet per ſe primò tanquam in ſuppoſitum naturæ intellectualis & infinitæ excellentiæ, quod adorationem attendere & acceptare valet; in imaginem verò, modo longè imperfectiori, & iuxta modum quo res inanimes ſunt capaces venerationis, non propter intrinſecam ſuam perfectionem aut virtutem: ſed quia prototypum concipitur vt in imagine repræſentatum, & ſic vtrumque per modum vnius obiecti veneramur: ſicut Rex, & veſtis quâ indutus eſt, concipiuntur per modum vnius perſonæ honorandæ.

Quare licet eadem ſit re ipſâ actio honoraria, tendens v. g. in imaginem Chriſti, & ipſum Chriſtum, ſitque hæc actio ſimpliciter loquendo vera & perfecta latria, quia ſimpliciter, & per ſe primo tendit in Chriſtum verum Deum (qua conſideratione D. Th. ſimpliciter affirmat cādem adoratione adorandam eſſe imaginē Chriſti, & ipſum Chriſtum) tamen ſi hæc actio conſideretur præciſè vt afficit partiale obiectum hoc, videlicet imaginem, non eſt reſpectu huius perfecta & proprie dicta latria, neque cultus abſolutus, ſed reſpectiuus: quia non tendit in imaginem tanquam primum & vltimum rerum principium, & finem infinitæ potentiæ, bonitatis, intelligentiæ, &c. quemadmodum tendit in exemplar, ſed modo inferiori, tanquam in aliquid illius exemplaris: vt modo fuit explicatum. Et ſecundum hanc conſiderationem docet Synodus 7. non veram latriam, ſed minorem venerationem exhiberi imagini Chriſti: quod ſic intellectum eſt, vniuerſaliter verum eſt. Quare verò ſicuti imagines aliquando eodem cultu cum prototypo dicuntur adorari, ſic quoque de illis dici non poſſit, quod ipſæ orentur, ſiue illis ſupplicetur, aut ſacrificetur, poterit intelligi ex ijs quæ ſuprà nu. 19. & ſeqq. de adoratione humanitatis Chriſti in abſtracto diximus. 170

Dico Sextò: Iuxta modum venerandi imagines in quarta Concluſ. explicatum, ſimpliciter dicendum eſt, imagines non poſſe adorari eodem vel pari cultu quo prototypa: ſed veneratione inferiori, ſecundum proportionem exemplarium. Vide dicta circa 4. Concluſ. ex quibus facilè intelligetur ratio huius. Quomodo autem cultus hic, præſertim imaginis Chriſti, ſit appellandus, diſputatur: aliqui vocant latriam ſecundum quid: quia infinita excellentia eſt motiuum eius, ſed extrinſecè ſe habens ad imaginem; alij vocant duliam, quia non eſt ſuprema recognitio. Sed de nomine parum eſt, quando res intelligitur. Vide dicta ſuprà de adoratione humanitatis Chriſti. 171

ART.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ?

172 CONCLVSIO D. Thomæ eſt: Beatæ Virgini non debetur adoratio latriæ. Probat, quia nulli puræ creaturæ debetur cultus latriæ; atqui B. Virgo eſt pura creatura; ergò &c. Sed, inquit D. Thomas, debetur ei ſolùm veneratio duliæ, eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis: & ideo dicitur quod debetur ei, non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia: quia habuit omnia gratiarum dona in maioribus, & ſublimioribus gradu & menſura prout Dei Matrem decet, quàm alia quæcumque pura creatura.

173 Sed contra obijciet aliquis: D. Thomas art. præced. in Corp. docet, crucem cui Chriſtus fuit affixus, non ſolùm in quantum inſtar imaginis repræſentat Chriſtum extenſum, ſed etiam in quantum eſt aliquid quod Chriſto coniungitur, adorandam eſſe eâdem adoratione quâ adoratur Chriſtus: ſicut eâdem adoratione adoratur purpura Regis, quâ ipſe Rex; atqui B. Virgo non minus fuit coniuncta Chriſto, & vt ſic conſiderari poteſt, quàm ipſa crux: poteſt enim attendi vt Chriſtum vtero geſtans, vt vberibus lactans, &c. ergò non minus dicendum eſt, B. Virginem adorandam eſſe eâdem adoratione quâ Chriſtus, quàm ipſam eius crucem.

174 Reſpondetur, D. Thomam hic agere de adoratione abſolutâ, quæ directè & per ſe primò B. Virgini debetur & defertur: ipſa namq; eiuſmodi adorationis, & huius adorationis modi capax eſt, vtpote quę eſt ſuppoſitum naturę rationalis ſuam habens excellentiam propriam præ alijs creaturis: quæque poteſt intelligere, & acceptum habere honorem ſibi delatum: & quoad hanc adorationem & adorationis modum docet, B. Virginem non eſſe adorandam adoratione latriæ: quia hæc adoratio eo modo nulli purę creaturę poteſt deferri.

175 Quod ad crucem Chriſti attinet, hæc dicitur à D. Thoma, adorari eâdem adoratione, quâ Chriſtus: vel quia in illa tanquam in imagine apprehenditur Chriſtus repræſentatus, qui dum ſic repræſentatus adoratur, ſimul eâdem adoratione ipſa crux conſideratur & attenditur, vt quid Chriſto coniunctum portans ipſum Chriſtum: & ſic quando Chriſtus adoratur vt cruci affixus, afficit illa adoratio ſimul ipſam crucem, vtpote Chriſto coniunctam, ſicut dictum eſt de adoratione Regis & eius purpuræ. Quando verò crux ſeorſim conſideratur in quâ ſuſpenſus fuit, & ei exhibetur reuerentia, quæ proximè in illam tendit & in illa ſiſtit, propter reſpectum tamen quem ad Chriſtum habet, tunc illa adoratio eſt inferioris rationis & ordinis, quàm ſit adoratio abſolutæ & perfectæ latriæ, vt in fine præcedentis difficultatis explicuimus de imaginibus.

Sed petes: Quare interim Beata Virgo non dicatur adoranda quoque eâdem adoratione quâ filius eius propter habitudines coniunctionis ad Chriſtum allegatas, quemadmodum hoc dicitur de cruce? Reſpondetur id non poſſe abſoluto ſermone de Beata Virgine dici: quia quando agitur de adoratione rei quæ capax eſt adorationis abſolutę, quæ directè & vltimatè in illam tendat & ſiſtat, tunc quando res talis ſimpliciter dicitur colenda hoc vel illo modo, id natum eſt intelligi de adoratione quæ illi ſecundum ſe tanquam ſuppoſito rationali præexcellenti debetur; Beatæ Virgini autem ſic non debetur adoratio eadem quę filio: vnde etiam D. Thomas ſuprà art. 3. ad Secundum dicit, creaturæ rationali, in qua eſt imago Dei, non eſſe exhibendam adorationem latriæ: quia ex quo naturæ rationali debetur reuerentia propter ſeipſam, poſſet ibi naſci erroris occaſio, vt ſcilicet motus adorantis ſiſteret in homine, tanquam in re, & perſona ſecundum ſe capace adorationis: imago autem Chriſti, & crux Chriſti ſimpliciter dicuntur adorandæ eâdem adoratione quâ Chriſtus: quia ex quo ſunt res quæ non ſunt capaces adorationis abſolutæ, quæ per ſe in illis ſiſtat, non intelligitur aliud ſignificari iſto ſermone, quàm adorationem quæ per ſe primo ſit Chriſto, ſimul quoque ſuo modo afficere res illas propter ſuas habitudines ad Chriſtum, quamuis interim diuerſimodè ad Chriſtum, & ad res illas terminetur, vt ex ſuprà dictis conſtat. 176

Addo denique, Certo modo B. Virginem etiam poſſe adorari eâdem adoratione quâ Chriſtus: ſicuti crux vel imago, v. g. quando Chriſtus adoratur cum illa conſideratione adiunctâ, quod ſit Filius B. Virginis, quod eius vberibus lactatus ſit, tunc eâdem adoratione ſimul honoratur B. Virgo: quia iſta Chriſti adoratio ſimul cedit in venerationë & honorem B. Virginis: Propter rationes tamen iam allegatas, non poteſt ſimpliciter dici, quod ipſa adoratione latriæ, vel eâdem quâ filius ſit adoranda: quia mox conciperetur, quod iſta adoratio ei abſolutè, & tanquam principali ſuppoſito in quod tenderet, eſſet deferenda: quod omnino falſum eſt. 177

183 Clemens Romanus lib. 6. Conſtitut. c. 30. Eorum, inquit, qui Deo viuunt, nec reliquiæ ſine honore manent: Iuſtinus martyr q. 28. à Chriſtanis propoſitâ ſcribit, Corpora & ſepulchra martyrum virtutem habere, & aduerſus dæmones, & ad morbos ſanandos qui arte medicinę curari non poſſunt. Tertul. l. 2. ad vxorem dicit, ſolitos eſſe fideles reptate in carceres ad exoſculanda vincula martyrũ, Baſil. ad illa verba Pſalm. 125. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, ita ſcribit: In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazarçis illud: Nõ contaminabitur ſuper vllo mortuo, & ſi quis tetigerit cadauer, immundus erit; nunc è diuerſo, martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fit aliquis ſanctificationis particeps: Et in oratione in Iulittâ ſcribit: Cum reliquię huius ad quendam locum adductæ fuiſſent, vbi laborabatur penuria aquæ, mox à terra erupiſſe fontem aquæ dulciſſimæ: vt videretur Sancta illa quaſi mater vel nutrix communis totam illam regionem lacte ſuo alere. Vide eundem Orat. in S. Babilam. Greg. Nazian. Orat. in Cyprian. Omnia poteſt, inquit, puluis Cypriani cum fide, vt ſciunt hi qui ipſi experti ſunt, & miraculum ad nos vſq; tranſmiſerunt: Euſeb. Emiſcenus homil. de S. Blandina: Vbi ſunt, inquit, qui venerationem ſacris martyrũ dicunt deferendam non eſſe corporibus. Chryſ. ſerm. de Sanctis Vincentio & Maximo: idcirco ſępius ipſos inuiſamus, tumulos adoremus, magnaq; fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionẽ aliquam aſſequamur: & ibid. refert eorum vultus poſt mortem ita ſplendere cæpiſſe, vt non poſſet in eos intendi abſq; horrore quodam venerabundo: ac planè tales fuiſſe, qualem S. Lucas Act. 6. deſcribit vultum Stephani, dum ait, *Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli*, Et lib. contra Gentiles: Sententiæ noſtræ, inquit, abundè fidem faciunt, quæ quotidiana à martyribus ędunturr miracula. Vide eundem homil. 61. ad populum, & Damaſ. de fide lib. 4. cap. 16. vbi latè diſputat de martyrum reliquijs venerandis.

184 Ambroſ. ſerm. 93. de Sanctis Nazarço & Celſo in fine: Quod ſi dicas mihi, inquit, quid honoras in carne iam reſolutâ & conſumptâ: Honoro, ait, in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viuentis perennitate virtutis memoriam, honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina ęternitatis, honoro corpus quod mihi oſtẽdit Dominum diligere, quod me propter Dominum, mortem docuit non timere, &c.

185 Auguſt. epiſt. 103. portant ſanè (videl. epiſt. eiuſdem latores) reliquias beatiſſimi & glorioſiſſimi martyris Stephani, quas nõ ignorat ſanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis: & ſerm. 2. de S. Vincent. ſcribit, corpus eius expoſitũ feris à coruo mirabiliter fuiſſe defenſum: & lib. 9. confeſ. c. 7. dicit, corpora Geruaſij & Protaſij per plurimos annos à Deo conſeruata incorrupta, vt ſuo tempore propalarentur. Vide eundem lib. 22. de Ciuit. c. 8. vbi cum magno pietatis affectu refert plurima miracula, & inter alia, etiam quæ acciderunt ad reliquias ſiue memoriam S. Stephani, quibus ipſe pro magna parte ſcribit ſe interfuiſſe: & cap. 9. ſeq. dicit hæc miracula atteſtari fidei, in qua Chriſtus prędicatur reſurrexiſſe in carne: Nam, inquit, ipſi martyres huius fidei martyres, id eſt, huius fidei teſtes fuerunt. Vnde impudens mẽdacium eſt Magdeburgenſium, qui Cent. 5. c. 6. ſcribunt, Auguſtinũ iſto loco venerationẽ reliquiarum, & eos, qui illas venerantur, arguere ſuperſtitionis. Hieron. in vitâ Hilarionis ſcribit, Corpus eius poſt decem menſes planè integrum repertũ, & tantis fragrans odoribus vt delibutũ vnguẽtis videretur. Vide Cypr. lib. 3. epiſt. 6. Greg. loco ſuprà cit. & lib. 5. epiſt. 50. & S. Leonem ſer. de S. Laurentio.

Probatur denique ratione quam ex D. 186
Aug. ſic allegat D. Th. Nam ſi paterna veſtis vel annulus, ac ſi quid eſt huiuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes eſt maior affectus, nullo modo ipſa SS. corpora, quæ vtique multò familiarius atque coniunctius geſtantur, quàm quęlibet indumenta, ſpernenda ſunt ab illis qui Sanctos ipſos in amore & honore habent: præſertim, quia corpora illa Sanctarum animarum ſedes fuerunt, & rurſum glorioſis animabus ſubſtantiali nexu ſunt ſocianda, quia tot actionum & paſſionum & virtutũ pro Chriſti nominis confeſſione fuerunt inſtrumenta & ſubiecta, ac Spiritus Sancti templa & organa, quæ etiam Deus ipſe adhuc honorificat, quando ad illorum præſentiam, beneficia populo fideli ſæpius miraculosè præſtat.

Conclvsio Secunda: Quod ad ge- 187
nus & modum adorationis reliquiarum attinet, poſſunt illæ interdum eâdem adoratione, quâ adoratur perſona, coadorari. Ita docet Damaſc. orat. 3. de cultu Imaginum: & colligitur ex D. Thoma art. præced. vbi docet, Crucem, cui Chriſtus fuit affixus, conſideratam vt quid coniunctum Chriſto, adorari eâdem adoratione quâ Chriſtus. De quo vide dicta ſuprà nu. 173.

Probatur ex 7. Synodo act. 4. vbi ex Leoncio hæc referuntur verba: Quemadmodum filij peregrinantem patrem, ingenti

amore ex animo erga eum affecti, quidquid in illius domo viderint ſiue baculum, ſiue ſedem cum lachrymis amplexantur, non illa honorantes (videlicer tanquam primarium illius amplexus obiectun) ſed patrem deſiderantes & venerantes: ſic nos Chriſtum & reliquos Sanctos colimus, &c. Ex quibus licet ſumere rationem Concluſ. quia tametſi reliquiæ re ipſa ſint ſeparatę à perſonis, tamen mente poſſunt perſona ſimul in illis aut cum illis apprehēdi propter habitudinem quam ad ſe inuicem habet t: quæ hoc cauſat vt mens in vno alterum quaſi præſens amplectatur.

188 CONCLVSIO Tertia: Poſſunt etiam reliquiæ ſeorſim tanquam totale obiectum quod, adorari, ſeu in honore haberi, ac veneratione affici propter reſpectum tamen ad perſonam, cuius ſunt reliquiæ: vnde hęc adoratio reſpectiua eſt, & inferior eâ, quâ adoratur perſona in ſe ipſa: quēadmodum minor honor defertur miniſtro Regis propter ipſum Regem, quàm ipſi Regi in ſeipſo, niſi forſitan in miniſtro conſideretur ipſa perſona Regis, vt fieri ſolet in Legato. Ratio itaq; prioris partis eſt: quia huiuſmodi veneratio reliquiarum ob earum habitudinem ad talem perſonam cēdit per ſe in honorem ipſius perſonæ, vt lumine naturali notum eſt: quando igitur perſona nobis eſt adoranda, conuenienter & licitè etiam à nobis honorantur eius reliquiæ. Ratio poſterioris eſt: quia cultus hic fundatur in excellentiâ & ſanctitate perſonæ, quæ vel ipſa vel ob cuius merita, Deus in illis aut per illas adhuc aliquando operatur virtutes & miracula, ac fidelibus eam venerantibus deſideratos elargitur effectus; ipſæ verò reliquiæ vtpote ratione & vitâ carentes, adorabiles non ſunt adoratione abſolutâ, quæ in illis vltimatè & abſq; reſpectu expreſſo vel implicito ad ſuppoſitum naturę intellectualis, ſiſtat, vt ex ante dictis cōſtat. Quãtis verò diſtinctę rationis ſit & inferioris ordinis hic actus adorationis reliquiarum, ab adoratione quæ per ſe primo debetur perſonæ in ſe, tamen ab eodē habitu vtraq; adoratio procedit, hæc tanquam actus primarius & principalis, illa tanquam ſecūdarius: quia eadē forma ſiue excellētia mouet ad vtrumq; actum. quamuis ipſa ſit diuerſimodè applicata obiecto, in cuius venerationem inducit ac mouet, ex qua diuerſa applicatione ad obiecta, naſcitur diuerſitas in actibus qui in obiecta tendunt. Vide dicta ſuprà nu. 156. & 159.

189 CONCLVSIO Quarta: Ex dictis conſequitur, venerationem reliquiarum eſſe cultum religioſum & ad pietatem pertinere: fundatur enim in ſanctitate & excellentia ſupernaturali perſonarum quarũ ſunt reliquiæ, & ad animæ bonum principaliter refertur. Hinc & per ritus & cæremonias ſacras deferri ſolet. vt per collocationem in templis, in altaribus, per cādelarum accenſionem coram illis, per deuotas peregrinationes. Hier. lib. contra Vigilant. refert ſummos Pontifices ſolitos eſſe ſuper reliquias SS. Apoſt. Deo ſacrificium offerre. Similiter Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 10. dicit, ſacrificium noſtrum ad memoriam martyrum offerri, non tamen ipſis martyribus. Item Hier. in c. 40. Eſechielis de ſeipſo narrat: cum eſſet puer, & Romæ verſaretur, valde fuiſſe ſollicitũ ſe in ſepulchris Apoſtolorũ & martyrum viſitādis, diebus pręſertim Dominicis & feſtiuis: Ruf. lib. 3. hiſt. c. 33. narrat Conſtantinũ ante martyrũ & Apoſt. thecas iacuiſſe proſtratum in cilicio: & ex D. Greg. lib. 3. Dialog. c. 24. cōſtat coram eis fuiſſe luminaria accenſa. Vnde è cōtra Reliquiarum contemptus in SS. iniuriam redundat: propterea enim venditio earum ſacrilega, & ſymoniaca cenſetur, Capitulo Cum ex eo, De reliquijs & veneratione SS. & docent Canōniſtæ in Capit. Quiſquis 17. q. 4.

Obiectiones contra cultum reliquiarum,

Sed cōtra dicta Obijcitur Primò: Chriſtus Mat. 23. redarguit Iudęos in hunc modum: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum*, &c. ergò videtur licitum non eſſe SS. reliquias honorare monumētorum ædificatione & ornatu: & à paritate rationis, neq; vllâ aliâ videntur afficiendę veneratione, quādoquidē Chriſtus tam grauiter videatur reprehēdere Scribas & Phariſęos. 190

Reſpōdetur, Chriſtum reprehendere Iudęos, eiſq; dicere, Væ: quia eos qui occiderãt, prophetis occiſis ędificando ſepulchra, ſceleris arguebant extrinſecus, ac ſe illud deteſtari foris profitebantur, & nihilominus paribus factis eos quos condemnabant, imitabantur: vnde vocat eos hypocritas: quia volebãt videri quaſi amare Prophetas & iuſtos, eoſq; in veneratione habere per externa ſigna & dicta, cùm tamen pari cum patribus ſuis odio Sanctos & iuſtos perſequerentur. Ita ferè Ambroſ. in cap. 11. Lucæ: vnde ſic concludit: Non igitur ędificatio, ſed æmulatio loco criminis æſtimatur: & Chryſoſt. homilia 78. in Mat. Non quia ædificant, inquit, nec quia patres ſuos accuſant, ſed quoniam ita facientes & dicentes patres ſuos condemnare audebant. cum ipſi peiora committerent: quod ſignificat Chriſtus quando loco cit. ſubijcit, *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.*

Quaſi

Digitized by Google

Quaſi diceret: & vos pergitis in iuſtorum perſecutione, inſiſtere veſtigijs eurum, quos condemnatis, & pergitis ſic complere menſuram iniquitatis ipſorum: *Vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum*, &c. *à generatione iſta:* vt habetur apud Lucam c. 11. illudque eſt quod in eis arguit Chriſtus.

191 Sed replicatur: apud Lucam antè dicitur: *Profectò teſtificamini quod conſentitu operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatu eorum ſepulchra.* Vbi ipſam ædificationẽ ſepulchrorum tanquam teſtimonium conſenſus in necem iuſtorum Chriſtus videtur reprehendere.

Reſpondetur, per hoc confirmari inprimis id quod diximus, videlicet Chriſtum in Iudęis arguere quod eiuſdem eſſent maligni affectus & ſtudij contra Sanctos cum cum patribus ſuis: & proinde non reprehendere ſepulchrorum ædificationem, & ornatum ſimpliciter, ſed quatenus contingit eſſe in ſignum conſenſus, & applauſus in mala facta patrum ſuorum.

192 Sed difficultas eſt, quomodo Phariſæi id teſtificati ſint ędificando ſepulchra, cum apud Matthęũ ſignificetur quod aliâ planè intentione iſta ędificarent: dicebant enim, *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum.* Quidã exiſtimant non eſſe dicendum, quod id teſtati ſint per ſepulchrorum ædificationem, ſed alijs ſuis factis. Quod licet verum ſit, videlicet alijs factis eos ſatis hoc declaraſſe, tamen Chriſtus omninò videtur hic dicere, quod etiã ipſâ ædificatione id teſtati ſint. Vnde videtur id hoc ſenſu poſſe explicari: quia tametſi apud populum ipſi profiterẽtur ſe patrum ſuorum facta improbare, & quaſi in teſtimonium illiur ſe ædificare & ornare ſepulchra iuſtorum, tamen eos iſta dicere, & agere per hypocriſim arguit Chriſtus: Et quandoquidẽ aliquando etiã fiant tumuli in laudem victorum, & vituperium proſtratorũ, retorquet Chriſtus iſtam ædificationem contra ipſos: ex quo namq; ipſi pari odio, & pari ſtudio iuſtos paſſim, imò ipſum Chriſtum Dominum perſequebãtur, quibus eorum patres Prophetas antecedentes perſecuti fuerãt, conuincũtur profectò ſecundũ morale, & in ratione fundatũ iudiciũ, potius ędificare monumẽta iſta in applauſum factorũ quaſi fortiter geſtorum ab ijs, quos agnoſcebant patres ſuos, quoſq; in ſimilibus factis imitabantur, quàm in horũ deteſtationem, atq; ita ſuppoſitis eiuſmodi circumſtantijs ex parte ædificantiũ ſepulchra, meritò dicit Chriſtus, quod teſtificẽtur ſe conſentire operibus patrum ſuorum.

193 Obijcitur Secundò: Chriſtus ibidẽ apud Matthæũ Phariſæos hypocritas comparat ſepulchris dealbatis, quæ intus ſunt plena oſſibus mortuorum, ſubindicans ſatis per hoc, oſſa eſſe immunda, neque veneratione digna, ſed abominatione potius.

Reſpond. Chriſtum iſtâ metaphorâ notaſſe Phariſæorum hypocriſim: vt autem metaphora ſubſiſtat, ſufficit plerumq;, & vt plurimùm, mortuorum oſſa eſſe res immũdas, & quaſi fœdas: quare idcirco non ſignificauit Chriſtus omnium mortuorum oſſa eſſe immunda, & abominabilia: vt notauit Cyrill. lib. 10. cõtra Iulianum in principio.

Obijcitur Tertiò: Deus abſcõdit Moyſi corpus: vt habetur cap. vlt. Deuter. cauſa verò illius reddi ſolet, Ne Iudæi illud adorarent: vnde & in Epiſt. Iudæ diabolus legitur altercatus cum Michaële de Moyſi corpore, quia diabolus vellet manifeſtare, vt occaſionẽ prębeteret Iudęis illud adorãdi. 194

Reſpondetur, vt admittatur illius occultationis cauſam fuiſſe ad cautelam, ne Iudæi illud adorarent, id intelligendum eſſe, ne adorarent cultu latriæ: non autem, ne quomodolibet venerarentur. Et quidem huiuſmodi idololatriæ multò maius fuiſſet periculum poſt mortem Moyſi, quã in eius vita: quia dum viueret inculcabat ipſe populo vnum eſſe Deum verum, cuius ipſe eſſet ſeruus, poſt mortem verò præſertim poſteri intelligentes mirabilia quæ fecerat, facilè adduci potuiſſent prout erãt ad idololatriam procliues, vt crederẽt ipſum eſſe Deum, & latriæ cultu adorarent, ſi eum in corpore habuiſſent quodammodo pręſentem; nunc verò ex reliquiarum veneratione periculum illud non imminet, ſicut ſuprà de imaginibus demonſtrauimus.

Obijcitur Quartò: Apoſt. ad Coloſſ. 2. damnat omnem cultũ arbitrarium, id eſt, 195
à Deo non inſtitutum: vt interpretatur Caluinus; atqui cultus reliquiarum ab hominibus eſt excogitatus; ergò damnandus.

Reſpondetur, Apoſtolum eo loco agere contra quoſdam, qui ſub prætextu certorum ſuperſtitioſorum cultuum (quos ſub ſpecie pietatis & ſapientiæ fidelibus obtrudebant) conabãntur eoſdem à Chriſto auocare, & ad ſuas ſectas traducere: idque potiſſimùm Apoſtolus eo cap. vrget: vnde de illis dicit, quod non teneant caput, videlicet Chriſtum: cultus autem reliquiarum, quem exercemus Catholici, non eſt talis quo fideles à Chriſto auocentur, quin potius quo in eius fide confirmentur: quando enim coluntur martyres, & eorum reliquiæ qui pro Chriſti teſtimonio mortui ſunt, quid aliud agimus, quàm profiteri nos eandem fidem, cuius ipſi teſtes fuerunt, ſectari, & eundem Chriſtum Deum & Dominum noſtrum eſſe confiteri. Vnde quando transferebantur reliquiæ S. Babilæ, canebant Chriſtiani *Confundantur omnes qui*

Digitized by Google

eundam rationem quæ erat : quia, vt loquitur in lib. de moribus Eccleſiæ, nouerat ipſe ſepulchrorum adoratores multos eſſe, qui luxurioſſimè ſuper mortuos bibe- rent, & epulas cadaueribus exhibentes ſuper ſepultos ſe ipſos ſepelirent,& voracitates, ebrietateſque ſuas deputarent religioni. Vnde & Ambroſius id in ſua Eccleſia fieri inhibuit : vt ſcribit idem Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. 2. vbi totam formam hujus cæremoniæ explicat.

200 Obijcitur Sextò : Non videtur ſaltem à ſuperſtitione poſſe excuſari, quod pro certis malis auertendis, aut certis beneficijs impetrandis inuocetur potius vnus Sanctus, quàm alius, & magis vno loco quàm alio, cum vnus ſit Deus omnium , vbique præſens,qui debet agnoſci auctor omnium donorum; quod &c.

Reſpondetur, antiquam eſſe hæreticorum obiectionem : vt Iuliani Apoſtatæ apud Cyrillum lib. 6. contra eundem: Manichæorum apud Auguſt. lib. 3. contra Fauſtum cap. 4. & Vigilantij apud Hieronymum, quos tanquam Patres imitantur noſtri temporis hæretici. Ad argumentum autem negatur aſſumptum : ratio reddi poteſt ex D. Auguſt. epiſtola 137. vbi ſcribit in hæc verba : Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur aut includitur loco, qui condidit omnia; veruntamen quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non: multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi beati Fœlicis Nolenſis corpus conditū eſt, &c. Et paulo poſt : Nunquid non & Africa SS. Martyrum corporibus plena eſt, & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri: ſicut enim, vt dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. non omnes habent dona curationum,ita nec in omnibus memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique ſicut vult: non igitur ſuperſtitioſum eſt, cuius tantum fundamentum habemus in Scripturis, vbi neque ſimilia exempla deſunt: miſſus eſt enim Naaman Cyrus, vt lauaret ſe in Iordane, non in alio quolibet fluuio, ſi à lepra vellet mundari: Cui conſilio abſque ſuperſtitione acquieuit: miſſus eſt Cęcus vt lauaret ſe in piſcina Syloë : rurſum Angelorum miniſteria circa homines eſſe diuerſa ſiue diſtincta conſtat: quid mirum ſi ad interceſſionem quoque vnius Sancti magis voluerit Deus hominibus opitulari in certis neceſſitatibus, quàm ad interceſſionem alterius, & non indifferēter omnia per omnes operari,& beneficia conferre. Accedit quod tametſi quidam aliquo genere miraculorum, vel certis locis magis clareant , non tamen idcirco nos diffidere,quin vel per inuocationem aliorum, vel alijs in locis poſſimus interdum eoſdem effectus à Deo obtinere.

Obijcitur vltimò : Crux, ſpinæ, claui, & ſimilia paſſionis Chriſti inſtrumenta dolorem & ignominiam Chriſto attulerunt; ergò hęc potius videntur execranda,quàm veneranda vt à Catholicis fit. 201

Reſpondetur,Crucem, in qua Chriſtus fuit ſuſpenſus, omnino adorandam eſſe modis ſuprà explicatis : quia per crucem operatus eſt reconciliationem noſtram, iuxta illud ad Coloſſ. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis*, & cap. 2. *Spolians principatus*, &c. *Affigens illud cruci*. Secundò , quia crux iſta fuit ſacrum altare , in quo Chriſtus cruentum illud ſacrificium obtulit : vt indicat Apoſt. ad Heb. 7. Denique, quia contactu ſancti Corporis & Sanguinis Dominici conſecrata & ſanctificata fuit: vt loquitur Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 12. Iiſdem de cauſis cætera paſſionis inſtrumenta honoranda ſunt.

Ad argumentum autem Reſpondetur, 202 Nos venerari illa inſtrumenta, non vt fuerunt arma iniquitatis, & reſpiciunt iniquam actionem Iudæorum, ſed quatenus fuerunt inſtrumenta per quæ & in quibus Chriſtus Dominus dignatus fuit patiendo honorare Deum Patrem ſuum , offerendo ſemetipſum in ſacrificium acceptabile Domino, & ſic nos Deo reconciliare: quæ proinde cōtactu ſacratiſſimi Corporis cōſecrauit, & ſanctificauit. Nec tamen ſimiliter veneranda erit manus impij miniſtri, qui Chriſto alapam inflixit, neque labia perfidi Iudæ : quia hæc fuerunt inſtrumenſa coniuncta, & ſuo modo informata improba voluntate homicidarum : vnde & innocua & quaſi merè paſſiua conſiderari moraliter non poſſunt, ſicut alia de quibus diximus, & eo nomine nullatenus in membra iſta impiorum veneratio cadere poteſt.

Denique, vt hanc materiam concludamus, Parochos omnes memores oportebit 203 eſſe decreti Concilij Trid. quo ſeſſ. 25. ſtatuit, nemini licere vllo in loco , vel Eccleſia quomodolibet etiam exemptâ, vllam inſolitam ponere vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo. Quibus adde iuxta capitulum Corpora, de Conſecrat. d. 1. non licere quoque reliquias de loco in locum transferre abſque Epiſcopi conſenſu : poteſt tamen, ſi quis aliquas priuatim habeat, ſecū deuotionis gratia eas geſtare , vt docet D. Th. 2.2. q. 96. art. 4. ad Tertium, & cum illo communiter alij Doctores contra

Angelum Verbo Reliquiæ: quia res in ſe bona eſt, & non cadit ſub prohibitionem citati Cap. quod ſolùm agit de corporibus Sanctorũ exhumandis & transferendis ab vno loco ad alium, quod merito prohibetur fieri abſque cognitione Ordinarij propter abuſus & fraudes quæ poſſent interuenire. Quando autem ſubinde plures Eccleſiæ gloriantur ſe habere corpus eiuſdem alicuius Sancti, quod ab antiquo & de ſcientiâ Ordinariorum ibi ſolet coli, id intelligendum eſt ſic eueniſſe: quia vel partes aliquæ eiuſdem corporis ſint in diuerſis illis Eccleſijs, aut certè quod fuerint plures Sancti eiuſdem nominis, quorum vnus fuerit minus celebris: vnde poſtmodum poſteritas exiſtimauit corpus illius, propter identitatem nominis, eſſe alterius qui celebrior in Eccleſia eſt.

QVÆSTIO XXVI.

De eo, quod Chriſtus Mediator Dei & hominum dicitur.

In duos Articulos diuiſa.

ARTIC. I. & II.

Vtrùm eſſe mediatorem Dei & hominum, ſit proprium Chriſto? &, Vtrùm Chriſtus ſecundũ quod homo, ſit Mediator Dei & hominum?

1 Notandum hic eſt, Mediatoris nomen dupliciter accipi poſſe: vno modo quaſi ſubſtantialiter, vt ſignificet eum qui inter duas diſtãtes naturas habet naturam quaſi mediam quoad eſſentiam, & proprietates: vel in quo tanquam in vno ſuppoſito duæ naturæ extremè diſtantes conueniunt. Secundũ priorem rationem dicit Dionyſius de diuin.nominib. cap.4. Angelos eſſe medios inter Deum & hominem: quia ſecundum gradum naturæ ſuæ ſunt infrà Deum, & ſuprà homines: & iuxtà poſteriorẽ rationẽ Chriſtus Dominus dici poteſt mediator ſubſtãtialis, aut magis propriè medius ſubſtantialiter inter Deũ & hominem: quia in eo tanquã vno ſuppoſito natura diuina, & natura humana ſubſtantialiter coniunctæ ſunt: vt loquitur Chryſoſt. hom, 7. in 1. ep. ad Timoth. Ambroſ. ibidem in cap. 2. Et D. Aug. lib. 9. de Ciuit. c. 15. dicit Chriſtũ fuiſſe medium, non ſolum ratione ſubſtantiæ, quia fuit Deus & homo, ſed etiam ratione ſtatus, quia ſimul fuit beatus & mortalis. Alio modo ſumitur, & magis propriè nomen mediatoris tanquam nomen officij, & ſignificat illum qui inter perſonas diſſidentes, aut eas quæ ſuper negotijs quæ inter ſe habent, conuenire non poſſunt, intercedit, vt vel illas inter ſe reconciliet, & amicitiæ vinculo coniungat, vel ſuper negotijs, ſiue contractibus faciat conuenire.

Notandum Secundò: quæſtionem hic eſſe de Mediatore, vt eſt nomen Officij. His præmiſſis ſit

2 Conclvsio Prima: Chriſto proprium eſt, eſſe mediatorem Dei & hominũ perfectum, qui videlicet ſeipſo, nullo alio interpoſito, ſed ſuâ propriâ operâ ſuſtulit inimicitias quę erant inter Deum & hominem, ipſumque hominem Deo reconciliauit. Eſt certa de fide. Probatur primò ex Script. 1. ad Timoth. cap. 2. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Iesvs. 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ad Coloſſ. cap. 1. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius.* Et cap. 2. *Donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, &c. & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, &c.* Et ad Hebr. 9. & 12. Noui Teſtamenti mediator dicitur. Denique Scriptura ſoli Chriſto Domino redemptionem noſtram, & reconciliationem cũ Deo aſcribit: vnde 1. ad Corinth. cap. 1. *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et iuxta hunc ſenſum D. Auguſt. lib. 2. contra Parmenianum cap. 8. Negat Paulum, vel Apoſtolos eſſe mediatores: ſed docet id ſoli Chriſto competere: ipſe enim per ſemetipſum accedit ad interpellandum pro nobis: in nullius alterius nomine rogat, ſed ſuâ propriâ dignitate

dignitate & virtute accedit, alij omnes in nomine eius, tam ſibi, quam alijs petunt.

Probatur Secundò ratione: quia vt quis eſſet abſolutus mediator inter Deum & homines, requiritur vt eſſet medius ſecundum rationem ſubſtantiæ inter vtrumque, id eſt, vt eſſet Deus ſimul & homo, quod Sancti Patres ſæpius vrgent; atqui hoc Chriſto proprium eſt; ergò &c. Probatur Maior: quia præcipuum munus mediatoris Dei & hominum erat, vt hominem Deo reconciliaret ſatisfaciendo ſecundum iuſtitiæ rigorem pro hominis culpa in Deum commiſſa, & honorem Deo ablatum exactè reſtituendo; atqui hoc nullus præſtare potuit qui non ſit ſimul Deus & homo: vt ex antè dictis qu. 1. & qu. 19. conſtat; ergò &c.

4 Conclvsio Secunda: Miniſterialiter tamen, & participatiuè poſſunt etiam alij quidam vocari mediatores inter Deum & homines, ſed cum aliqua eiuſmodi particula diminuente. Ita D. Tho. ar. 1. roboratur, quia licet Chriſtus ſolus ſit *Lux vera quæ illuminat omnem hominem* &c. nihilominus dixit ipſe Apoſtolis ſuis. *Vos eſtis lux mundi*, ſic ille quoque eſt paſtor bonus, videlicet primarius & independens, & velut magiſter, & tamen alios conſtituit Paſtores & Doctores; ergo ſimiliter quamuis Chriſtus ſolus ſit mediator abſolutus & independens ab omni alio mediatore, poterunt tamen etiam alij quidam dici mediatores per quandam participationem & miniſterialiter: ſic Moyſes Deuter. cap. 5. dixit, *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominũ & vos in tempore illo*. Sic quoque modo Epiſcopi & Paſtores debent ſuo modo eſſe mediatores, quia à Chriſto conſtituti ſunt, vt apud Deum pro populo intercedant, vt indignationẽ precibus, & ſacrificijs auertant, populo miſericordiam implorent: & ad diuinam amicitiam recuperandam diſponant, diuina videlicet myſteria eis diſpenſando, quorum vſu & applicatione Chriſti Domini ſatisfactio, & ſanguinis eius pretium ab eo oblatum, hominibus applicantur, & ſic cum Deo reconciliãtur. Similiter quoque Angeli, & beati in cælis dicũtur ſuo modo mediatores noſtri, quatenus preces noſtras Deo offerunt, pro nobis ſimul intercedunt, & deſideratos effectus impetrant, in virtute tamen ſemper 5
meritorum Chriſti Domini.

Conclvsio Tertia: Chriſtus mediator eſt, non ſecundum naturam diuinam, ſed ſecundum humanam, & proindè ſecundum quod homo. Eſt D. Th. ar. 2.

Probatur Primò ex verbis Apoſtoli iam allegatis, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Iesvs: in hoc enim quod dicit Apoſtolus *Homo Chriſtus* Iesvs, non autẽ, Chriſtus Deus Iesvs, ſignificat naturam humanam eſſe ſecundum quam Chriſto competit eſſe mediatorem: quod notauit D. Auguſt. lib. 2. de peccato originis cap. 28. & Tract. 82. in Ioannem, Mediator, inquit, Dei & hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum homo eſt Iesvs Chriſtus. Et ratio eſt, quia munus mediatoris huius in eo conſiſtit, quod per ſui ſubmiſſionem, ac ſui ipſius oblationem Deo in ſacrificium, ac per pænarum tolerantiam, quas homo promeritus fuerat, hominem Deo reconciliauerit, ac iniuriam Deo illatam ſecundum iuſtitiæ rigorem compenſauerit; atqui ſe ſubmittere Deo, ſacrificium offerre, pænas ſuſtinere in naturam diuinam cadere non poſſunt; ergo &c. Notandum tamen eſt, hæc opera naturæ humanæ tanquam principij quo, non habitura fuiſſe ſufficientem valorem & dignitatem ad mediationem hanc perficiendam, niſi illa natura in perſona diuina ſubſtitiſſet, idemque qui homo erat, Deus ſimul eſſet iuxta illud Auguſtini Tract. 81. in Ioannem: Quamuis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet, tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet niſi etiã Deus eſſet. Sed hæc ex ante dictis ſatis conſtant.

FINIS.

Nomini tuo Domine da gloriam.

INDEX

INDEX RERVM

QVÆ IN HOC VOLVMINE

CONTINENTVR.

Littera *P.* denotat Paginam, *N.* Numerum.

A.

Actus.

A Ctus non trahit bonitatem infinitam ab obiecto infinito. p. 16. n. 63.
Vide, opus.

Admiratio.

Quæ eius cauſa. p. 122. n. 51.
Quis actus & cuius potentiæ. ibidem n. 52.
Fuit in Chriſto vera admiratio. ibid. n. 51.

Adoptio, Adoptiui filij.

Adoptio quid. p. 201. n. 1.
Requiritur ad illam conſenſus adoptati ſi ad vſum rationis peruenerit. ibidem.
Adoptio diuina in quo conſiſtat. p. 202. n. 6.
Diſcrimina varia inter diuinam & humanam adoptionem. ibid. n. 4. *& ſeqq.*
Conuenit Deo adoptare ſibi filios. ibid. n. 2.
Adoptare eſt totius SS. Trinitatis. ibidem n. 7.
An omnibus conueniat poſſe adoptare. p. 203. n. 7.
Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus. p. 205. *n.* 17. *& ſeqq.*
Chriſtus vt eſt ſuppoſitum conſtans naturâ humanâ & Verbi perſonalitate non poteſt dici filius Dei adoptiuus. p. 206. n. 20. *& ſeqq.*
Hæc propoſitio, Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei adoptiuus, non eſt admittenda. p. 207. n. 24. *& ſeqq.*
Quare gratia habitualis non faciat Chriſtum filium Dei adoptiuum. ibid. n. 23.
Humanitas Chriſti nequit dici filia Dei adoptiua. ibidem n. 25.
Neque dicitur adoptata. p. 208. n. 26.
Soli Homines & angeli poſſunt eſſe filij Dei adoptiui. p. 203. n. 8.
Iuſti ſub antiquo teſtamento erant filij Dei adoptiui. ibidem n. 9.
Iuſti in nouo teſtamento perfectiori modo ſunt filij Dei adoptiui, quam erant in antiquo. ibid.
Reprobi pro tempore quo ſunt iuſti, ſunt filij Dei adoptiui. p. 203. n. 10.

Adoratio.

Quid ſit. p. 213. *n.* 1. *& ſeqq.*
Quod eius obiectum. p. 214. n. 3. *& ſeqq.*
Adoratio alia interna, alia externa. p. 215. *n.* 10. *& ſeqq.*
Alia abſoluta, alia reſpectiua. p. 216. n. 12.
Adorationis reſpectiuæ capax eſt natura irrationalis; abſoluta ſola rationalis. ibid.
Adoratio triplex ex obiecto formali deſumpta. p. 215. *n.* 7. *& ſeqq.*
Actus externi non ſunt determinati natura ſua ad Dei adorationem. 216. n. 11.

Adoratio Chriſti.

Hic homo Chriſtus in diuinâ & humanâ natura ſubſiſtens adoratur eodem latria cultu quo SS. Trinitas. p. 216. n. 13.
Adoratione illâ latriæ quâ adoratur verbum incarnatum, coadoratur humanitas verbo vnita. ibidem. n. 14. *& ſeqq.*
Humanitas tamen non eſt ratio talis adorationis ſed verbum. ibidem. & p. 217. n. 17.
Humanitas Chriſti non poteſt per ſe primò latria cultu à verbi cultu diſtincto adorari. p. 217. n. 18.
Humanitas Chriſti abſtractim conſiderata cum ſuis tantùm donis, non poteſt adorari adoratione abſolutâ & completâ qua per ſe primò in eam terminetur. p. 218. n. 19.
Eſt tamen vt ſic adorabilis adoratione aliquâ incompletâ, eiq; proportionata. ibid. & ſeqq.
Humanitas Chriſti ratione gratiæ habitualis eſt adorabilis cultu hyperduliæ. p. 219. n. 24. *& ſeqq.*
Humanitas vt eſt natura verbi abſtractim conſiderata non eſt adorabilis ſupremâ latriâ. ibid. n. 26. *& ſeqq.*
Eſt tamen adorabilis latria reſpectiua. ibidem. & p. 22. n. 321.
Hæc adoratio eſt actus ſecundarius habitus latriæ. p. 221. n. 32. *& ſeqq.*
An poßit vocari Hyperdulia. ibid. n. 34.
An Chriſtus ratione perfectionũ creatarum humanitatis ſua ſit adorabilis Duliâ. p. 223. n. 40.
Quando CC. & PP. duas Chriſti adorationes reijciunt, intelligi debent de adoratione completa contra Neſtorium ponentem duas in Chriſto perſonas. p. 222. n. 36. *& ſeqq.*

Adoratio Sanctorum.

Sancti tum Angeli tum homines adorandi. p. 223. *n.* 41. *& ſeqq.*
Obiectionibus ſatisfit. p. 224. n. 46. *& ſeqq.*
Adoratio Sanctorum non eſt ciuilis ſed religioſa. p. 225. n. 51.

Adorantur

Adorantur Sancti ob ſupernaturalẽ eorum excellentiam. p. 226. n. 55. & ſeqq.
Adorantur Beati ex eadem virtute quâ homines iuſti viatores; ſed perfectiori modo. ibidem. n. 57. & ſeqq.
Propria & vſitata adoratio Sanctorum eſt abſoluta. p. 227. n. 61.
Adoratione reſpectiuâ poſſunt etiam adorari. p. 228. n. 62. & ſeq.
Adoratio Sanctorum eſt Dulia. p. 228. n. 62.
Procedit ab habitu diſtincto à Latriæ habitu. ibidem. n. 64.
D. Virgini non debetur adoratio latria ſed Hyperdulia. p. 253. n. 172. & ſeqq.
An B. Virgo poſſit adorari eadem adoratione quâ Chriſtus. p. 253. n. 177.
Solum ſuppoſitum intellectuale quomodo dicatur capax adorationis. p. 252. n. 167.
Natura rationalis creata non dicitur adorabilis cultu Latriæ, etſi poſſit conſiderari vt Deo coniuncta. p. 253. n. 176.
Quomodo Crux Chriſti eâdem adoratione quâ Chriſtus adorari poſſit. p. 253. n. 175.
Inſtrumenta paſſionis Chriſti adoranda vt ſunt inſtrumenta redemptionis noſtræ. p. 259. n. 202.

Amor.

Amor beatificus an ſit neceſſarius ex parte voluntatis. p. 143. n. 21. & ſeqq.
Non impediuit libertatem Chriſti in præceptis adimplendis. p. 144. n. 26. & ſeqq.
Præter amorem beatificum fuit in Chriſto amor Dei ſupernaturalis liber. p. 150. n. 19.
Differt ſpecie ab amore beatifico. p. 151. n. 20.
Duplex amor proximi in Chriſto conſequens viſionem beatam. p. 151. n. 21. & ſeqq.

Angelus.

Quid influat Chriſtus in Angelos beatos. p. 85. n. 10.
Natura angelica eſt aſſumptilis. p. 50. n. 4.
Angelorum gratia & gloria an ſit ex Chriſti meritis. p. 183. n. 164. & ſeqq.

Anima Chriſti.

Anima Chriſti eſt verè vnita corpori. p. 28. n. 36.
Anima Chriſti habet intellectum creatum. p. 88. n. 2. & p. 59. n. 28.
Non poteſt conſtitui intelligens increata intellectione. p. 89. n. 5.
Anima Chriſti cognouit ſcientiâ infuſâ omnes res naturales tam corporeas quàm incorporeas. p. 96. n. 1.
Cognouit omnia ſingularia intuitiuè. ibid. n. 2.
Cognouit actus liberos intellectus & voluntatis exiſtentis. ibidem n. 3.
Item futura contingentia. ibidem n. 4.
Cognouit res ſupernaturales creatas quidditatiuè per proprias ſpecies. ibidem. n. 5.
Item viſionem beatificam. p. 97. n. 6. & 7. Etiam vnionem Hypoſtaticam. ibidem n. 8.
Cognouit ſcientia infuſa Deum vnum & Trinum, ſed non quidditatiuè. ibidem n. 9.
Anima Chriſti poterat vti ſcientia infuſa independenter à phantaſmate. p. 97. n. 10. & ſeq.
In cognitione rerum ſenſibilium poterat ſe conuertere ad phantaſmata. p. 98. n. 12.
Anima Chriſti videt Deum perfectiùs qualibet creatura. p. 95. n. 15.
Videt in verbo omnia quæ formaliter in Deo ſunt. p. 93. n. 6.
Non videt in verbo omnia quæ ſunt in Deo eminenter. ibidem n. 5.
Non comprehendit diuinam eſſentiam. p. 92. n. 1. & ſeqq.
Videt in verbo quæcumque Deus nouit ſcientia viſionis. p. 93. n. 7.
Videt infinita in verbo. p. 94. n. 12.
Non tamen infinitas ſubſtantias ſcientia viſionis. ibidem n. 11.
Cognoſcit infinitas ſcientia ſimplicis intelligentiæ. p. 95. n. 13.
Anima Chriſti habuit potentiam ad omnes effectus humanæ naturæ aliquomodo connaturales. p. 102. n. 4. & ſeqq.
Habuit virtutem quaſi permanenter ad miracula patranda. p. 103. n. 6. & ſeqq.
Non habuit potentiam annihilandi creaturas. ibidem n. 9.
An potuerit efficere quæcumque volebat. p. 104. n. 14. & ſeqq.
Anima Chriſti fuit paſſibilis paſſione tum corporali tum animali. p. 115. n. 24. & ſeqq.

Antichriſtus.

Antichriſtus poteſt dici caput malorum. p. 88. n. 23.

Appetitus.

Appetitus ſenſitiuus poteſt vocari voluntas participatiuè. p. 139. n. 6.
Fuit in Chriſto. ibidem.
Actus inferioris appetitus in Chriſto qui. p. 116. n. 26. & ſeq.
Fuerunt ſemper voluntarij & ſine turbatione rationis. ibidem n. 28.

Aſſumptio, aſſumere, aſſumptibile.

Aſſumptio quomodo ab vnione hypoſtatica, & Incarnatione differat. p. 34. n. 55. & ſeqq.
Aſſumere quid. ibidem & p. 41. n. 2.
Solus filius in diuinis dicitur aſſumpſiſſe naturam humanam. p. 34. n. 55.
Verbum non poteſt dici aſſumptum. p. 35. n. 55.
Verbum aſſumpſit verum corpus. p. 54. n. 1.
Aſſumpſit corpus terrenum. ibidem n. 2.
Aſſumpſit animam rationalem. p. 58. n. 23. & ſeqq.
Anima non fuit aſſumpta tempore prius quam caro. p. 61. n. 7.
Neque caro prius quam anima. ibidem. n. 8.
Quo ſenſu dicatur aſſumpſiſſe carnem mediante anima. p. 59. n. 1. & ſeqq.
Non poteſt dici aſſumpſiſſe animam mediante corpore. p. 60. n. 4.
Aſſumpſit animam mediante ſpiritu. ibidem.
Ordine intentionis prius aſſumpta eſt humanitas quam ſingulæ partes. p. 64. n. 26.

Secu,

Secus, ordine executionis. p. 65. n. 26. & ſeq.
Fuit conueniens vt verbum aſſumeret corpus paſſibile. p. 105. n. 1. & ſeq.
Non fuit neceſſarium ad redemptionem humani generis. p. 106. n. 4.
Conueniens fuit aſſumi naturam ex ſtirpe Adæ. p. 53. n. 22.
Verbum aſſumpſit ſanguinem immediate. p. 55. n. 5. & ſeq.
Aſſumpſit quattuor humores. p. 57. n. 19.
Aſſumpſit dentes, vngues, capillos, ſpiritus animales & vitales. ibidem. n. 20. & ſeqq.
Non aſſumpſit Perſonam. p. 51. n. 9.
Non aſſumpſit propriè hominem. p. 52. n. 17.
Quomodo intelligendi Patres dum aſſerunt verbum aſſumpſiſſe hominem. p. 53. n. 18.
Poteſt natura diuina dici ſecundario aſſumpſiſſe humanitatem. p. 42. n. 8. & ſeqq.
Fuit conuenientius verbum aſſumere humanitatem quam alias perſonas diuinas. p. 48. n. 38.
Nulla natura creata eſt naturaliter aſſumptibilis à perſona diuina. p. 49. n. 1.
Natura humana eſt magis aſſumptibilis quam alia natura. ibidem n. 3.
Natura angelica, & natura irrationalis aſſumi poſſunt. p. 50. n. 4. & ſeqq.
Natura humana abſtracta ab indiuiduis aſſumi non poteſt. p. 53. n. 19. & ſeq.
Natura perſonata aſſumi poteſt. p. 46. n. 27.
Manens affecta propriâ perſonalitate nequit aſſumi. p. 51. n. 11.
Cur minus quam duabus ſubſiſtentijs alienis terminari. p. 52. n. 12. & ſeqq.
Vide verbum Perſona.

Attributa.

Quænam attributa humanitatis non poſſint Chriſto attribui. p. 133. n. 32.
Attributa humanitatis non poſſunt de diuinitate verbi in abſtracto prædicari, neque attributa diuinitatis de humanitate. p. 128. n. 15.
Aliquot PP. locutiones quomodo intelligendæ. ibidem n. 16.

B.

Beatitudo.

Chriſtus fuit beatus ab initio conceptionis. p. 89. n. 7.
Chriſtus etiam in quantum homo eſt obiectum beatitudinis noſtræ. p. 18. n. 72. & ſeqq.
Cur beatitudo vocetur hæreditas. p. 202. n. 3.

C.

Caput.

Capitis myſtici conditiones. p. 82. n. 1.
Poteſt eſſe diuerſæ naturæ à membris. p. 85. n. 11.
Cur caput naturale potius dicitur membrū quam caput myſticum. p. 83. n. 5.
Chriſtus eſt caput Eccleſiæ tam triumphantis quam militantis. p. 82. n. 2. & ſeqq.
Eſt caput omnium hominum capacium ſalutis. p. 83. n. 7. idque ſecundum animas & corpora. p. 84. n. 8.
Melius dicitur Caput Eccleſiæ quam cor. p. 83. n. 6.
Eſt etiam Caput angelorum beatorum. p. 84. n. 9.
Minus proprie tamen quam hominum. ibid. n. 10.
Eſſe caput Eccleſiæ an Chriſto proprium. p. 87. n. 18. & ſeqq.
Chriſtus non poteſt ſimpliciter dici caput damnatorum. p. 85. n. 12.
Generaliſſime loquendo poteſt dici caput omnis creaturæ. p. 85. n. 13.
Vide verbum, gratia capitis.

Caro.

Quis terminus actionis quâ verbum dicitur caro factum. p. 35. n. 56.

Chriſtus.

Chriſti aduentus probatur ex cap. 49. Gen. p. 4. n. 7. & ſeqq.
Probatur ex cap. 9. Daniel. p. 5. n. 16.
Probatur ex Aggæo cap. 2. p. 11. n. 40.
Probatur vaticinijs aliorum Prophetarum. ibidem n. 42.
Chriſtus eſt Deus ſimul & homo. p. 20. n. 2. & ſeqq.
In Chriſto natura diuina & humana manens inconfuſa. ibidem n. 1. & ſeqq.
Chriſtus eſt vnus maſculinè. p. 136. n. 1.
Eſt etiam vnum neutraliter. ibidem n. 2.
Chriſtus non poteſt dici eſſe aliud & aliud. p. 13. n. 3. & 4.
In Chriſto eſt duplex eſſentia. ibidem n. 5.
Dicendum abſolutè quod in Chriſto ſit tantum vnum eſſe. ibidem n. 6.
In Chriſto eſt vnicum ſuppoſitum. p. 25. n. 1. & ſeq.
In Chriſto eſt vnica Perſona in duabus naturis ſubſiſtens. p. 23. n. 17. & ſeqq.
Dici hominem & Deum ſubſtantiuè arguit vnitatem Perſonæ in Chriſto. p. 24. n. 18.
Pronomina, Ego, Tu &c. de Chriſto dicta in Scripturis, probant vnitatem Perſonæ. ibid. n. 19.
An hæc propoſitio ſit vera: Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona. p. 135. n. 42.
Perſona Chriſti nequit dici facta. p. 27. n. 33.
An ſit Chriſtus Perſona compoſita. p. 25. n. 23.
Chriſtus ſupponit pro Perſona. p. 27. n. 32.
Chriſtus quomodo primogenitus omnis creaturæ. p. 18. n. 70.
Chriſtus, homo de cœlo cœleſtis, quo ſenſu dictum. p. 54. n. 4.
Ad exaltationem nominis Chriſti quæ ſpectent. p. 171. n. 110.
Chriſtus non poteſt abſolutè dici minor Patre, ſed cum particula in quantum homo. p. 185. n. 2. & ſeqq.
Chriſtus non poteſt dici annullabilis. p. 132. n. 28.
Hæc propoſitio, Iſte incepit eſſe, demonſtrato Chriſto, eſt ſimpliciter falſa.
Hæc etiam in ſenſu obuio eſt falſa: Iſte homo incepit eſſe. ibidem n. 34. & ſeq.

Erit

Erit vera ſi ſubiectum ſupponat tantùm pro formali ſignificato. ibid. n. 36. & ſeqq.
An hæc ſit vera : Chriſtus vt homo eſt Deus. p. 135. n. 41.
Chriſti ſeruitus, Vide verbum, ſeruum.
Chriſti ſubiectio, Vide verbum, ſubiectio.

Cognitio animæ Chriſti.

Vide verbum anima Chriſti.

Communicatio.

Communicatio Dei per Incarnationem eſt perfectiſſima. p. 12. n. 43. & ſeqq.
Summi boni eſt communicare ſe ſummo modo. ibidem.

Communicatio Idiomatum.

Communicatio Idiomatum quid. p. 127. n. 11.
Fundamentum ipſius in Chriſto eſt vnio hypoſtatica. p. 128. n. 13.
Quæ attributa prædicentur de verbo & homine Chriſto per communicationem Idiomatum. p. 128. n. 14.

Compoſitio, compoſitum.

Vtrùm compoſitio ſupponat aliquam imperfectionem in componente. p. 28. n. 34.
Componens latiùs patet quàm pars. ibid.
Verbum componit Chriſtum. ibid.
Ex natura diuina & humana non exurgit compoſitum vnius naturæ. p. 22. n. 8. & ſeqq.
Vnitas compoſiti per ſe non requirit quod omnes eius partes eadem forma informentur. p. 56. n. 13.

Comprehenſio.

Chriſtus fuit comprehenſor & viator ſimul. p. 123. n. 56.
Anima Chriſti non comprehendit Deum p. 92. n. 1. & ſeqq.

Conceptio.

Conceptio Chriſti in vtero fuit peracta in inſtanti. p. 62. n. 11. & ſeqq.
Secus perambula ad illam. ibid. n. 10.
Vnde factum quod Chriſtus non ſit ante 97. menſem natus ſi conceptio eius fuit inſtantanea. p. 63. n. 15.

Concilium.

Duo Conſtantinopolitana illegittima. p. 247. n. 146.
Concilium Francfordienſe non damnauit ſeptimã Synodum. 247. n. 147. & ſeq.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia non fuit in Chriſto p. 112. n. 16.

Corpus.

Chriſtus habuit corpus verum & terrenum. p. 54. n. 1.
Corpus Chriſti non accepit ſuum augmentum in inſtanti. p. 62. n. 10.
Defectus corporis, Vide verbum, Defectus.

Creatura.

Creatura quid ſit. p. 131. n. 27.
Creatura in rigore non dicitur de re niſi totaliter ex nihilo producta. p. 132. n. 28. & ſeq.
Quomodo res quæ modo producuntur, dicantur creaturæ. p. 131. n. 27.

Hæc propoſitio, Chriſtus eſt creatura, non eſt ſine addito vſurpanda, p. 130. n. 24.
Probabile eſt non eſſe falſam. ibid. n. 25. & ſeq.
Verius eſt in ſenſu proprio & rigido eſſe falſam. p. 131. n. 27.
Hæc, Chriſtus in quantum homo eſt creatura, erit vera, ſi reduplicetur homo gratiâ formalis ſignificati: falſa, ſi ratione ſuppoſiti humani, p. 134. n. 38. & ſeqq.

D.

Defectus.

Quos corporis defectus Chriſtus aſſumpſerit. p. 107. n. 12. & ſeqq.
Chriſtus aſſumpſit neceſſitatem naturalem ſubiacendi defectibus corporis. p. 106. n. 6.
Non ſubiacuit illis ex neceſſitate coactionis. ibid. n. 7.
Non poteſt dici Chriſtus contraxiſſe defectus corporis. ibid. n. 9. & ſeqq.

Deus.

Hæc propoſitio, Deus eſt homo, eſt neceſſaria, ſi ſubiectum accipiatur pro Perſona verbi, vt habente ſibi vnitam humanitatem. p. 125. n. 4.
Si accipiatur pro Perſona verbi vt Deus eſt, erit contingens. ibid. n. 6.
Non eſt tamen accidentaria. p. 126. n. 6.
Hæc eſt vera, Deus factus eſt homo. p. 129. n. 19.
Deificatio quid. p. 35. n. 55.
In diuinitatẽ nihil poteſt tranſmutari. p. 21. n. 4.

Diabolus.

Diabolus eſt caput malorum. p. 87. n. 21.

Dolor.

Dolor ſenſibilis quis. p. 116. n. 29.
Fuit in Chriſto. ibid. etiam in eius voluntate rationali. p. 119. n. 38. & ſeqq.
D. Hilarij difficilia quædam loca explicantur. p. 117. n. 32. & ſeqq.

Donum.

Dona Spiritus Sancti quæ. p. 72. n. 32.
Omnia in Chriſto fuerunt. ibid. n. 33.
Donum Timoris in Chriſto in quo ſitum. ibidem n. 34. & ſeq.

Dulia.

Quid ſit & quibus deferenda. p. 215. n. 8. & 9.
Habitus duliæ diſtinguitur ab habitu latriæ. p. 228. n. 64. & ſeq.
Vide Adoratio.

E.

Eccleſia.

Chriſtus vt ſupremus Eccleſiæ Pontifex habuit poteſtatem excellentiæ in illam. p. 198. n. 23. & ſeqq.
Quos actus ſupremæ poteſtatis in Eccleſiam exercuerit Chriſtus. ibid. n. 24. & ſeqq.

Electio.

Electio hominum ad gloriam quatenus eſt voluntas hos potiùs quàm illos ſaluandi, non eſt ex Chriſti meritis. p. 181. n. 154. & ſeq.

Secus, quatenus eſt voluntas abſoluta hos ſaluandi. ibid. n. 156. & ſeqq.

F.

Fides.

Non fuit in Chriſto. p. 69. n. 20.

Fuit in Chriſto habitus quem ſupponere ſolet fides in voluntate. ibid. n. 21.

Filius.

Varia fundamenta filiationis in Chriſto. p. 204. n. 12.

Chriſtus vt verbum Patris eſt verè Filius Dei naturalis. p. 204. n. 13.

Chriſtus homo eſt etiam Filius Dei naturalis. ibidem. n. 14.

An hac ſit vera, Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis. ibid. n. 15.

An Chriſtus vt eſt ſuppoſitum compoſitum ex natura humana & perſonalitate verbi ſit Filius Dei naturalis. p. 207. n. 22.

Chriſtus non poteſt dici filius verbi. p. 208. n. 29.

An poſſit dici filius Spiritus Sancti. ibid.

Filius adoptiuus, Vide verbum adoptio.

Fomes.

Fomes duplex. p. 112. n. 15.

Quid fomes peccati ibid. n. 14.

Non eſt quid purè poſitiuum. 113. n. 19.

Fomes peccati non fuit in Chriſto. p. 112. n. 16. & ſeqq.

An in ſtatu natura integra ſecluſis donis ſupernaturalibus fuiſſet fomes peccati. p. 114. n. 20. & ſeq.

G.

Gratia.

Gratia eſt quadam participatio diuina natura. p. 97. n. 6.

Gratia habitualis in Chriſto fuit. p. 67. n. 9. & ſeqq.

Eſt finita quoad eſſentiam & intenſionem. p. 76. n. 47.

Poteſt dici infinita ſecundum quid. ibid. n. 49.

Non potuit augeri ſecundum ordinem rerum à Deo inſtitutum. p. 77. n. 50. & ſeqq.

Secus, per abſolutam Dei potentiam. ibidem. n. 53.

Fuit in ſummo gradu à primo inſtanti conceptionis. ibid. n. 50. & ſeqq.

Eſt effectus & proprietas quadam conſequens vnionem hypoſtaticam. p. 67. n. 8. & p. 81. n. 71. & p. 168. n. 99.

Gratia puri hominis nequit in tantùm creſcere vt pertingat ad aqualitatem cum gratia Chriſti. p. 76. n. 48.

An gratia habitualis ſit naturalis Chriſto homini. p. 40. n. 77.

In Chriſto fuit abſoluta plenitudo gratia. p. 75. n. 44.

Abſoluta gratia plenitudo eſt Chriſto propria. ibidem.

Alij Sancti ſecundũ quid ſunt gratia pleni. ib. n. 45.

Gratia vnionis qua. p. 39. n. 73.

Gratia habitualis non fuit diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam. p. 78. n. 54. & ſeqq.

Non eſt humanitati Chriſti neceſſaria vt ſit ſancta. p. 66. n. 5.

Non fuit quoque neceſſaria Chriſto ad merendum. p. 148. n. 6. & ſeqq.

Gratia habitualis Chriſti non eſt cauſa phyſica gratia iuſtorum. p. 86. n. 15.

Primus motus liberi arbitrij humanitatis Chriſti fuit effectus gratia habitualis. p. 169. n. 104.

Gratia gratis data.

Gratia gratis data qua dicuntur p. 73. n. 36. & ſeqq.

Omnes fuerunt in Chriſto perfectiſſimè. ibi. n. 37.

Gratia gratis data fuerunt in Chriſto permanenter per modum habitus. p. 75. n. 43.

Gratia capitis.

Gratia capitis in Chriſto eſt eadem cum perſonali. p. 85. n. 14.

Gratia vnionis poteſt etiam vocari gratia capitis. p. 86. n. 17.

Vnde ſortiatur habitualis gratia Chriſti gratiam capitis. ibid. n. 15.

Gratia puri hominis nequit eum conſtituere caput caterorum. ibid. n. 16.

H.

Habitus.

Non potuerunt habitus vitioſi eſſe in Chriſti humanitate. p. 112. n. 13.

Hebdomada.

Per hebdomades 70. Danielis 9. quid intelligatur. p. 6. n. 19.

Vnde inchoanda. ibid. n. 20. & ſeqq.

Quibus annis conſtent, ſolaribus an lunaribus. p. 7. n. 24. & p. 8. n. 31.

Homo, Humanitas.

Homo tribuitur vnione Deo & Petro. p. 126. n. 7.

Chriſtus non poteſt dici homo dominicus ibi. n. 8.

Hac propoſitio, Homo factus eſt Deus in ſenſu proprio eſt falſa. p. 129. n. 20.

In ſenſu improprio poteſt eſſe vera. p. 130. n. 23.

Humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam. p. 137. n. 5.

I.

Idolum.

Quid ſit & quomodo ab imagine diſtinctum. p. 236. n. 100.

Idolum dicitur doctrina vanitatis, & quomodo. p. 242. n. 125. & ſeqq.

Ignorantia.

Quid ſit. p. 114. n. 23.

Non fuit in Chriſto. ibid.

Imago.

Quid ſit & quomodo ab Idolo & ſimulacbro diſtincta. p. 236. n. 100.

Imaginum

Imaginum vſus & finis. p. 241. n. 123. & ſeq.
Vſus Imaginum Chriſti & Sanctorum honeſtus & retinendus. p. 237. n. 101. & ſeqq.
Obiectiones ſoluuntur. p. 238. n. 105. & ſeqq. & p. 242. n. 125. & ſeqq.
Varia Chriſti & Sanctorum Imagines antiquiſſimæ. ibid.
Imagines ſub antiquo teſtamento. p. 238. n. 104.
Imagines Angelorum depictæ in antiquo teſtamento. p. 239 n. 114.
Imagines Dei & SS. Trinitatis licitè fiunt, & quomodo. ibid. n. 111. & ſeqq. quales formari poſſunt. p. 251. n. 121.
Obiectionibus ſatisfit. p. 239. n. 116. & ſeqq.
Imaginum vſus non eſt per ſe periculoſus. 243. n. 132.
Imagines Sanctorum ſunt apta templorum ornamenta. p. 245 n. 137. & ſeqq.
Errat Caluinus aſſerens primis 500. annis Imagines non fuiſſe in templis collocatas. ibid.
Obiectiones ſoluuntur. ibidem n. 142. & ſeqq.
Imagines Chriſti & Sanctorum honorandæ. p. 2,6. n. 144.
Honor Imaginis redundat in prototypum p. 247. n. 145.
Varij modi adorandi Imagines. p. 248. n. 152.
Adoratio Imaginum non explicatur ſufficienter per adorationem ipſius prototypi occaſione Imaginis. ibid. n. 153. & ſeqq.
Imago propter prototypum, & prototypum in imagine vno actu interiori & exteriori adorari poſſunt. p. 249. n. 156. & ſeqq.
Hæc adoratio fertur primario in prototypum, concomitantur & inferiori modo in ipſam imaginem. ibidem n. 158. & p. 252. n. 168. & ſeqq.
Poſſunt etiam Imagines adorari vt obiectum quod totale adorationis propter ipſum prototypum. p. 249. n. 249.
Hæc adoratio eſt reſpectiua. p. 250. n. 160.
Eſt inferior ea qua exhibetur prototypo. p. 251. n. 163. & p. 25·. n. 171.
Obiectionibus contra hanc adorationem reſpondetur. p. 250. n. 161. & ſeqq.
Adorationem Imaginum Chriſti alij latriam, alij Duliam vocant. p. 252. n. 171.

Impeccabilitas.

Vide Peccatum.

Incarnatio.

Incarnationis varia nomina. p. 3. n. 1. & ſeqq.
Incarnatio quomodo ab aſſumptione & vnione diſtincta. p. 35. n. 55.
Incarnatio actio eſt communis toti Trinitati. p. 45. n. 21.
Incarnationis conuenientia oſtenditur. p. 11. n. 43. & ſeqq.
In ea conuenerunt Iuſtitia & miſericordia Dei. p. 15. n 16.
Incarnatio fuit Deo libera p 13. n. 48.
Non fuit ſimpliciter neceſſaria ad hominem reſtaurandum. ibid. n. 49. & ſeqq.
Secus, vt homo conuenientiſſimè repararetur. p. 14. n. 52. ſeqq.
Vtilitas Incarnationis decem rationibus oſtenditur. ibid. n. 53.
Fuit Adamo ante lapſum reuelata. p. 18. n. 72. & ſeqq.
Facta eſt principaliter ad delendum peccatum originale. p. 19. n. 77.
Verbum non fuiſſet incarnatum ſi homo non peccaſſet. p. 17. n. 67. & ſeqq.
An ſi aliqui duntaxat Adæ poſteri peccaſſent, Verbum fuiſſet incarnatum. p. 19. n. 77.
Incarnatio poteſt dici bonum occaſionatum.

Incarnatio Sanctorum.

Sancti non ſunt inuocandi vt principales auctores gratiæ & gloriæ. p. 229. n. 66.
Neque tanquam mediatores principales apud Deũ. ibid. n. 68. & ſeqq. & p. 231. n. 78.
Poſſunt inuocari vt interceſſores. p. 229. n. 70.
Et vt mediatores ſecundarij. p. 231. n. 78.
In Sanctorum inuocatione ſpectandus eſt ſenſus precum iuxta mentem orantis, aut eas facientis. p. 229. n. 67.
Obiectiones Hæreticorum. p. 221. n. 77. & ſeqq.
Inuocare Sanctos non eſt ſignum diffidentiæ de Deo. p. 235. n. 95.
Sancti ſub antiquo teſtamento mortui non inuocabantur, Vt nunc beati. p. 230. n. 72.
Sancti cognoſcunt inuocationes noſtras. p. 233. n. 86. & ſeqq.
Inuocare Sanctum vnum potius quàm alium, & vno loco potius quàm alio, nullatenus eſt ſuperſtitioſum p. 259. n. 200.
Quomodo intelligendũ illud Apoſtoli, Quomodo inuocabunt in quẽ non crediderunt. p. 231. n. 77.

Ira.

Ira fuit in Chriſto. p. 123.
Ira quæ mala. ibid. n. 54.

Iuſtificatio.

Iuſtificatio noſtra quomodo fiat gratis. p. 177. n. 133. & p. 172. n. 115 & ſeqq.
Reſurrectio Chriſti propter noſtram iuſtificationem facta eſt. p. 172. n. 117.

Iuſtitia particularis.

Ad actum iuſtitiæ non requiritur quod eius exercitium pendeat ex debito iuſtitiæ. p. 159. n. 58. & ſeq.
Operari ex debito iuſtitiæ non importat neceſſariò imperfectionem in operante. p. 160. n. 64.
Obligatio Iuſtitiæ non ponit in Deo vllam imperfectionem. ibid. n. 62. & ſeqq.
Iuſtitia propriè dicta communiter inter Perſonas diſtinctas conſiſtit. p. 161. n. 66.
Poteſt eſſe iuſtitia eiuſdem ad ſeipſum ſi ſubſiſtat in diuerſis naturis. ibid. n. 66. & ſeqq
Inter Patrem & Filium iuſtitiam non poſſe conſiſtere quomodo verum. ibid. n. 68.
In meritis Chriſti fuit rigoroſa iuſtitia. p. 157. n. 51. & ſeqq.
Actiones Chriſti hominis non erant Deo debitæ ex iuſtitia. p. 162. n. 74.

L.

Latria.

QVid ſit. p. 215. n. 8.

Habitus latriæ ſpecie differt ab habitu duliæ p. 228. n. 64.

Libertas, liberum arbitrium.

Ad libertatem non ſufficit ratio voluntarij. p. 143. n. 22.

Fuit in Chriſto liberum arbitrium. p. 140. n. 8. & ſeqq.

Voluntas humana Chriſti fuit libera in præceptorum adimpletione. ibidem n. 11. & ſeqq.

An fuerit libera in non tranſgreſſione præcepti negatiui. p. 141. n. 13.

Libertas in Chriſto conſiſtere potuiſſe cum præceptis diuinis oſtenditur. p. 142. n. 17. & ſeqq.

Quomodo potuerit conſiſtere libertas in Chriſto cum actibus beatificis, Scoti opinio non improbabilis. p. 143. n. 21. & ſeqq.

Aliorum ſententia cõmunis. p. 144. n. 27. & ſeqq.

M.

Machabæi.

MAchabæi ſiue Aſſamonæi fuerunt de genere Leui ſecundum lineam paternã, de Iuda ſecundum maternam. p. 4. n. 11. & 13.

Mediator.

Mediatoris nomen ſumitur dupliciter. p. 160. n. 1.

Chriſto proprium eſt eſſe abſolutum mediator inter Deum & homines. p. 160. n. 2.

Poſſunt alij participatiuè dici mediat. p. 161. n. 4.

Chriſtus eſt mediator vt homo. p. 161. n. 5.

Præcipuum mediatoris officium. 161. n. 3. & 5.

Epiſcopi & Paſtores ſunt mediatores ſecundarij. p. 161. n. 4.

Melchiſedech.

Melchiſedech fuit verus homo. p. 196. n. 16.

Fuit Sem primogenitus Noë. p. 197. n. 17.

Quomodo dicatur ſine patre, ſine matre &c. ibidem n. 18.

Fuit verè Sacerdos. ibidem. n. 19.

Fuit typus Chriſti. p. 198. n. 20. & ſeqq.

Membrum.

Chriſtus non eſt membrum Eccleſiæ. p. 83. n. 5.

Nullus homo influit in Eccleſiæ membra vt Chriſtus. p. 87. n. 19.

Meritum.

Ad meritum apud Deũ requiritur ex parte Perſonæ merentis vt ſit Deo grata. p. 148. n. 6. & ſeqq.

Requiritur vt ſit viator. ibidem n. 9.

Requiritur ad meritum honeſtus actus, libertas & condignitas. p. 149. n. 10. & ſeq.

Requiritur etiam pactum, ibidem n. 12.

Pactum non tollit rationem meriti rigoroſi. ibid.

Meritum à ſatiſfactione quomodo diſtinctum. p. 153. n. 32.

Tempus meriti finitur morte. p. 152. n. 28. & ſeqq.

Meritum præcedit præmium vel realiter vel in ſcientia præmiantis. p. 165. n. 82.

Poteſt eſſe ſimul tempore cũ præmio. p. 167. n. 96.

An duo impares gratiâ habituali, ſed pares in actibus mereantur æqualiter. p. 157. n. 51.

Quando perfectius ſit aliquid ex meritis habere quam ſine illis. p. 169. n. 101. & ſeq.

Meritum Chriſti.

Omnes conditiones meriti fuiſſe in Chriſto oſtenditur. p. 148. n. 6. & ſeqq.

Non fuit neceſſaria Chriſto gratia habitualis ad merendum. ibidem n. 7.

De potentia abſoluta fieri potuit quod Chriſtus non mereretur. p. 149. n. 13.

Chriſtus non meruit pura omiſſione actus mali. p. 141. n. 13.

Non derogat dignitati Chriſti quod dicatur ſibi meruiſſe. p. 164. n. 81.

Humanitas Chriſti non potuit mereri ſibi electionem ad vnionem hypoſtaticam. p. 165. n. 82.

Non meruit etiam illius executionem. ibidem n. 84. & ſeqq.

Nulla Chriſti merita potuerunt præcedere Incarnationem. p. 39. n. 74.

Chriſtus non meruit prædeſtinationẽ Incarnationis, neque eius executionem. p. 166. n. 86. & ſeqq.

Non eſt improbabile potuiſſe abſolutè mereri executionem Incarnationis ſuæ. ibid. n. 90. & ſeqq.

Potuit per abſolutam potentiam ſibi mereri primã gratiam habitualem, & gloriã. p. 167. n. 94. non tamen meruit, p. 168 n. 99. & ſeqq.

Non meruit ſibi actus beatificos, neque primum actum meritorium. p. 170. n. 105.

Meruit ſibi omnes actus ſupernaturales quatenus ſunt dona Dei, excepto primo. ibidem n. 106.

Non tamen eos meruit vt erant ab humana voluntate eius dependentes. ibidem n. 107.

Meruit ſi corporis gloriam & exaltationem nominis ſui. ibidem n. 108. & ſeqq.

Non meruit ſibi titulum dominij ſupremi Deo proprium. p. 171. n. 112.

Meruit ſibi collationem Regiæ & Iudicariæ poteſtatis, non eius proprietatem. ibidem.

Chriſtus nõ meruit voluntatem Dei generalẽ reſtaurandi humani generis. p. 174. n. 123. & ſeqq.

Chriſtus meruit nobis peccatorum remiſſionem & primam gratiam. p. 171. n. 113.

Etiam ijs qui præceſſerunt eius natiuitatem. ibid.

Meruit nobis etiam remiſſionem peccatorum venialium. p. 180. n. 149.

An omnibus omnino remiſſionem peccatorum meruerit. p. 172. n. 118.

Poteſt dici meruiſſe omnibus applicationẽ ſuorum meritorum in potentia quadam. p. 177. n. 134. & ſeq.

Chriſtum non meruiſſe nobis diſpoſitionem ad primam gratiam, nec ſacramentorum applicationem, quorundam opinio non admittenda. p. 173. n. 121. & ſeqq.

Meruit homini omne auxilium gratiæ omnemque motum pium quo ad iuſtitiam diſponitur. p. 174. n. 126. & ſeqq.

Meruit omnibus qui iuſtificantur applicationem

omnium

omnium mediorum per quæ iuſtitiam conſequuntur. p. 176. n. 131.
Meruit Iuſtis omnia dona gratiæ quæ illis cõferuntur poſt iuſtificationẽ. p. 178. n. 140. & ſeqq.
Quomodo dicatur meruiſſe iuſtis augmentum gratiæ & gloriæ. p. 179. n. 144. & ſeqq.
Meruit electis finalem perſeuerantiam. p. 178. n. 142. item prædeſtinationem, p. 182. n. 160. & gloriam. p. 172. n. 120.
Solis electis meruit efficacem applicationem ſuorum meritorum cum effectu ſalutis. p. 176. n. 132. & ſeqq.
Meruit operibus iuſtorum diuinam promiſſionem de mercede reddenda. p. 179. n. 147.
Meruit ipſis actus bonos quibus merentur. ibidem n. 143.
Chriſtus meruit nobis remiſſionem pœnæ temporalis quæ fit per modum redemptionis operæ ſatisfactorio. p. 180. n. 150.
Non meruit proximè illam quæ fit per condignam paſſionem ad æqualitatem. p. 181. n. 152.
Quid angelis meruerit. p. 183. n. 164. & ſeqq.
Chriſtus incepit mereri à primo inſtanti incarnationis. p. 152. n. 26.
Meruit continuò vſq; ad inſtans mortis. ibid. n. 27.
Poſt mortem non meruit. ibidem n. 28.
Suſceptio vulneris in latere an fuerit meritoria. p. 153. n. 31.
Deus poterat compenſare merita Chriſti ad æqualitatem. p. 156. n. 45. & ſeqq.
Fuerunt relata ad præmium finitũ. p. 157. n. 48.
Valor meritorum Chriſti vnde prouenit. p. 154. n. 37. & ſeq.
Opera meritoria Chriſti cuius valoris. p. 153. n. 33. & ſeqq.
Vide verbum, Opera. Iuſtitia.
Actus diuinæ voluntatis in Chriſto non fuit meritorius. p. 150. n. 14.
Neque acceperunt ab illo ratione meriti Chriſti opera meritoria. ibidem n. 15.
Chriſtus non meruit per actus beatificos. p. 150. n. 17. & ſeqq.
Meruit per actum amoris Dei liberum ab amore beatifico diſtinctum. ibidem n. 19.
Meruit per actum amoris proximi. p. 151. n. 20.
Meruit per omnes actus virtutum infuſarum quos liberè exercuit. ibidem n. 24.
Meruit per humanos actus ordinis naturalis. p. 152. n. 25.

Meritum hominis.

Merita iuſtorũ non accipiunt condignitatẽ ad præmiũ proximè à Chriſti meritis. p. 179. n. 146.
An prima gratiæ donatio poſſit abſoluta potentiâ cadere ſub meritum hominis. p. 167. n. 93.
Purus homo non poterat mereri de condigno verbi Incarnationem. p. 39. n. 75.
Sancti Patres meruerunt de congruo illam quoad executionem. p. 40. n. 76.

Metaphora.

Nomen ſpeciei admittit quandoque metaphoram, & non nomen generis. p. 83. n. 5.

Miraculum.

Ad miraculum duo requiruntur. p. 103. n. 7.
Anima Chriſti habuit virtutẽ quaſi permanenter patrandi miracula. p. 103. n. 6. & ſeqq.

Mors.

Voluntas Chriſti vt natura refugiebat mortem tanquam naturæ contrariam. p. 120. n. 41.
Chriſtus non deſiderauit per voluntatem rationalẽ actu elicito mortẽ euadere. ibid. n. 42. & ſeqq.
Vtrum ſi Chriſtus non fuiſſet occiſus, erat aliquando naturaliter moriturus. p. 107. n. 13.
Mors Chriſti fuit meritoria vt erat in fieri. p. 153. n. 30.
Chriſtus nõ eſt mortuus pro Angelis. p. 183. n. 163.
Fuit datum Chriſto præceptum moriendi. p. 141. n. 16. & p. 189. n. 20.

O.

Omnipotentia.

Omnipotentia duo importat. p. 102. n. 2.
Non conuenit ſimpliciter animæ Chriſti. ibidem n. 1.
Quomodo intelligendi SS. PP. dũ Chriſti humanitati tribuunt omnipotentiam. ibidem n. 3
Anima Chriſti non habuit naturaliter omnipotentiam in corpus ſuum. p. 104. n. 12.
Habuit in illud tanquam inſtrumentum verbi potentiam ad omnes eius diſpoſitiones. ibid. n. 13.

Opus. Operatio Chriſti.

In Chriſto aliæ fuerunt operationes humanitatis, aliæ diuinitatis. p. 147. n. 2.
Fuit in Chriſto vnica operatio humana quantum eſt ex parte principij. ibidem n. 3.
Operationes naturales humanitatis Chriſti fuerunt eius voluntati ſubiectæ. ibidem n. 4.
Opera Chriſti habuerunt valorem ſimpliciter infinitum ad merendum & ſatisfaciendum. p. 153. n. 33. & ſeqq.
Valor operum Chriſti vnde attendenda. p. 154. n. 37. & ſeq. & p. 66 n. 5.
Non omnia opera Chriſti fuerunt paria in reali & ſpecificâ bonitate actus. p. 155. n. 39.
Omnia fuerunt paris valoris in ratione meriti ex parte perſonæ operantis. ibidem n. 40.
Ex parte obiecti vel intentionis poteſt dici vnum fuiſſe altero magis meritorium. ibidem n. 41.
Vnum Chriſti opus tantum valebat ad merendum, quantum omnia ſimul. ibidem.
Omnia Chriſti opera fuerunt ex Dei ordinatione inſtar vnius completi meriti & ſatisfactionis pro humano genere. ibidem n. 42. & ſeq.
Cur Deus plura opera meritoria à Chriſto exegerit cũ vnicũ ſufficeret ad ſatisfaciendũ. ibid. n. 44.
Opera Chriſti meritoria fuerunt relata ad præmium finitum. p. 157. n. 84.
Erant ſufficientis valoris vt illis mereretur Chriſtus vnionem hypoſtaticam Perſonæ diuinæ ad naturam creatam. p. 156. n. 46. & ſeq.

Oratio.

Chriſtus vt homo orauit. p. 190. n. 1.
Quibus de cauſis ſit Chriſtus oratione vſus. ibid. n. 3. & ſeqq.

Angelum Verbo Reliquiæ: quia res in ſe bona eſt, & non cadit ſub prohibitionem citati Cap. quod ſolùm agit de corporibus Sanctorũ exhumandis & transferendis ab vno loco ad alium, quod merito prohibetur fieri abſque cognitione Ordinarij propter abuſus & fraudes quæ poſſent interuenire. Quando autem ſubinde plures Eccleſiæ gloriantur ſe habere corpus eiuſdem alicuius Sancti, quod ab antiquo & de ſcientiâ Ordinariorum ibi ſolet coli, id intelligendum eſt ſic eueniſſe: quia vel partes aliquæ eiuſdem corporis ſint in diuerſis illis Eccleſijs, aut certè quod fuerint plures Sancti eiuſdem nominis, quorum vnus fuerit minus celebris: vnde poſtmodum poſteritas exiſtimauit corpus illius, propter identitatem nominis, eſſe alterius qui celebrior in Eccleſia eſt.

QVÆSTIO XXVI.

De eo, quod Chriſtus Mediator Dei & hominum dicitur.

In duos Articulos diuiſa.

ARTIC. I. & II.

Vtrùm eſſe mediatorem Dei & hominum, ſit proprium Chriſto? &, Vtrùm Chriſtus ſecundũ quod homo, ſit Mediator Dei & hominum?

1 NOtandum hic eſt, Mediatoris nomen dupliciter accipi poſſe: vno modo quaſi ſubſtantialiter, vt ſignificet eum qui inter duas diſtãtes naturas habet naturam quaſi mediam quoad eſſentiam, & proprietates: vel in quo tanquam in vno ſuppoſito duæ naturæ extremè diſtantes conueniunt. Secundũ priorem rationem dicit Dionyſius de diuin.nominib. cap.4. Angelos eſſe medios inter Deum & hominem: quia ſecundum gradum naturæ ſuæ ſunt infrà Deum, & ſuprà homines: & iuxtà poſteriorẽ rationẽ Chriſtus Dominus dici poteſt mediator ſubſtãtialis, aut magis propriè medius ſubſtantialiter inter Deũ & hominem: quia in eo tanquã vno ſuppoſito natura diuina, & natura humana ſubſtantialiter coniunctæ ſunt: vt loquitur Chryſoſt.hom.7. in 1.ep. ad Timoth. Ambroſ. ibidem in cap. 2. Et D.Aug. lib.9. de Ciuit. c. 11. dicit Chriſtũ fuiſſe medium, non ſolum ratione ſubſtantiæ, quia fuit Deus & homo, ſed etiam ratione ſtatus, quia ſimul fuit beatus & mortalis. Alio modo ſumitur, & magis propriè nomen mediatoris tanquam nomen officij, & ſignificat illum qui inter perſonas diſſidentes, aut eas quæ ſuper negotijs quæ inter ſe habent, conuenire non poſſunt, intercedit, vt vel illas inter ſe reconciliet, & amicitiæ vinculo coniungat, vel ſuper negotijs, ſiue contractibus faciat conuenire.

Notandum Secundò: quæſtionem hic eſſe de Mediatore, vt eſt nomen Officij. His præmiſſis ſit

CONCLVSIO Prima: Chriſto proprium eſt, eſſe mediatorem Dei & hominũ perfectum, qui videlicet ſeipſo, nullo alio interpoſito, ſed ſuâ propriâ operâ ſuſtulit inimicitias quæ erant inter Deum & hominem, ipſumque hominem Deo reconciliauit. Eſt certa de fide. Probatur primò ex Script. 1. ad Timoth. cap. 2. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* IESVS. 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ad Coloſſ. cap. 1. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius.* Et cap. 2. *Donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti,* &c. *& ipſum tulit de medio, affigens illud cruci,* &c. Et ad Hebr. 9. & 12. Noui Teſtamenti mediator dicitur. Deníque Scriptura ſoli Chriſto Domino redemptionem noſtram, & reconciliationem cũ Deo aſcribit: vnde 1. ad Corinth. cap. 1. *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et iuxta hunc ſenſum D. Auguſt. lib.2. contra Parmenianum cap. 8. Negat Paulum, vel Apoſtolos eſſe mediatores: ſed docet id ſoli Chriſto competere: ipſe enim per ſemetipſum accedit ad interpellandum pro nobis: in nullius alterius nomine rogat, ſed ſuâ propriâ 2

dignitate

Digitized by Google

dignitate & virtute accedit, alij omnes in nomine eius, tam ſibi, quam alijs petunt.

3 Probatur Secundò ratione: quia vt quis eſſet abſolutus mediator inter Deum & homines, requiritur vt eſſet medius ſecundum rationem ſubſtantiæ inter vtrumque, id eſt, vt eſſet Deus ſimul & homo, quod Sancti Patres ſæpius vrgent; atqui hoc Chriſto proprium eſt; ergò &c. Probatur Maior: quia præcipuum munus mediatoris Dei & hominum erat, vt hominem Deo reconciliaret ſatisfaciendo ſecundum iuſtitiæ rigorem pro hominis culpa in Deum commiſſa, & honorem Deo ablatum exactè reſtituendo; atqui hoc nullus præſtare potuit qui non ſit ſimul Deus & homo: vt ex antè dictis qu. 1. & qu. 19. conſtat; ergò &c.

4 Conclvsio Secunda: Miniſterialiter tamen, & participatiuè poſſunt etiam alij quidam vocari mediatores inter Deum & homines, ſed cum aliqua eiuſmodi particula diminuente. Ita D. Tho. ar. 1. Probatur, quia licet Chriſtus ſolus ſit *Lux vera quæ illuminat omnem hominem* &c. nihilominus dixit ipſe Apoſtolis ſuis. *Vos eſtis lux mundi*, ſic ille quoque eſt paſtor bonus, videlicet primarius & independens, & velut magiſter, & tamen alios conſtituit Paſtores & Doctores; ergo ſimiliter quamuis Chriſtus ſolus ſit mediator abſolutus & independens ab omni alio mediatore, poterunt tamen etiam alij quidam dici mediatores per quandam participationem & miniſterialiter: ſic Moyſes Deuter. cap. 5. dixit, *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominũ & vos in tempore illo*. Sic quoque modo Epiſcopi & Paſtores debent ſuo modo eſſe mediatores, quia à Chriſto conſtituti ſunt, vt apud Deum pro populo intercedant, vt indignationẽ precibus, & ſacrificijs auertant, populo miſericordiam implorent: & ad diuinam amicitiam recuperandam diſponant, diuina videlicet myſteria eis diſpenſando, quorum vſu & applicatione Chriſti Domini ſatisfactio, & ſanguinis eius pretium ab eo oblatum, hominibus applicantur, & ſic cum Deo reconciliatur. Similiter quoque Angeli, & beati in cælis dicũtur ſuo modo mediatores noſtri, quatenus preces noſtras Deo offerunt, pro nobis ſimul intercedunt, & deſideratos effectus impetrant, in virtute tamen ſemper meritorum Chriſti Domini. 5

Conclvsio Tertia: Chriſtus mediator eſt, non ſecundum naturam diuinam, ſed ſecundum humanam, & proindè ſecundum quod homo. Eſt D. Th. ar. 2.

Probatur Primò ex verbis Apoſtoli iam allegatis, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Iesvs: in hoc enim quod dicit Apoſtolus *Homo Chriſtus* Iesvs, non autẽ, Chriſtus Deus Iesvs, ſignificat naturam humanam eſſe ſecundum quam Chriſto competit eſſe mediatorem: quod notauit D. Auguſt. lib. 2. de peccato originis cap. 28. & Tract. 82. in Ioannem, Mediator, inquit, Dei & hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum homo eſt Iesvs Chriſtus. Et ratio eſt, quia munus mediatoris huius in eo conſiſtit, quod per ſui ſubmiſſionem, ac ſui ipſius oblationem Deo in ſacrificium, ac per pœnarum tolerantiam, quas homo promeritus fuerat, hominem Deo reconciliauerit, ac iniuriam Deo illatam ſecundum iuſtitiæ rigorem compenſauerit; atqui ſe ſubmittere Deo, ſacrificium offerre, pœnas ſuſtinere in naturam diuinam cadere non poſſunt; ergo &c. Notandum tamen eſt, hæc opera naturæ humanæ tanquam principij quo, non habitura fuiſſe ſufficientem valorem & dignitatem ad mediationem hanc perficiendam, niſi illa natura in perſona diuina ſubſtitiſſet, idemque qui homo erat, Deus ſimul eſſet iuxta illud Auguſtini Tract. 81. in Ioannem: Quamuis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet, tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet niſi etiã Deus eſſet. Sed hæc ex ante dictis ſatis conſtant.

FINIS.

Nomini tuo Domine da gloriam.

INDEX

INDEX RERVM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Littera *P*. denotat Paginam, *N*. Numerum.

A.

Actus.

ACtus non trahit bonitatem infinitam ab obiecto infinito. p. 16. n. 63.
Vide, opus.

Admiratio.

Quæ eius cauſa. p. 122. n. 51.
Quis actus & cuius potentiæ. ibidem n. 52.
Fuit in Chriſto vera admiratio. ibid. n. 51.

Adoptio, Adoptiui filij.

Adoptio quid. p. 201. n. 1.
Requiritur ad illam conſenſus adoptati ſi ad vſum rationis peruenerit. ibidem.
Adoptio diuina in quo conſiſtat. p. 202. n. 6.
Diſcrimina varia inter diuinam & humanam adoptionem. ibid. n. 4. & ſeqq.
Conuenit Deo adoptare ſibi filios. ibid. n. 2.
Adoptare eſt totius SS. Trinitatis. ibidem n. 7.
An omnibus conueniat poſſe adoptare. p. 203. n. 7.
Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus. p. 205. n. 17. & ſeqq.
Chriſtus vt eſt ſuppoſitum conſtans naturâ humanâ & Verbi perſonalitate non poteſt dici filius Dei adoptiuus. p. 206. n. 20. & ſeqq.
Hæc propoſitio, Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei adoptiuus, non eſt admittenda. p. 207. n. 24. & ſeqq.
Quare gratia habitualis non faciat Chriſtum filium Dei adoptiuum. ibid. n. 23.
Humanitas Chriſti nequit dici filia Dei adoptiua. ibidem n. 25.
Neque dicitur adoptata. p. 208. n. 26.
Soli Homines & angeli poſſunt eſſe filij Dei adoptiui. p. 203. n. 8.
Iuſti ſub antiquo teſtamento erant filij Dei adoptiui. ibidem n. 9.
Iuſti in nouo teſtamento perfectiori modo ſunt filij Dei adoptiui, quam erant in antiquo. ibid.
Reprobi pro tempore quo ſunt iuſti, ſunt filij Dei adoptiui. p. 203. n. 10.

Adoratio.

Quid ſit. p. 213. n. 1. & ſeqq.
Quod eius obiectum. p. 214. n. 3. & ſeqq.
Adoratio alia interna, alia externa. p. 215. n. 10. & ſeqq.
Alia abſoluta, alia reſpectiua. p. 216. n. 12.
Adorationis reſpectiuæ capax eſt natura irrationalis; abſoluta ſola rationalis. ibid.
Adoratio triplex ex obiecto formali deſumpta. p. 215. n. 7. & ſeqq.
Actus externi non ſunt determinati natura ſua ad Dei adorationem. 216. n. 11.

Adoratio Chriſti.

Hic homo Chriſtus in diuinâ & humanâ natura ſubſiſtens adoratur eodem latriæ cultu quo SS. Trinitas. p. 216. n. 13.
Adoratione illâ latriæ quâ adoratur verbum incarnatum, coadoratur humanitas verbo vnita. ibidem. n. 14. & ſeqq.
Humanitas tamen non eſt ratio talis adorationis ſed verbum. ibidem. & p. 217. n. 17.
Humanitas Chriſti non poteſt per ſe primò latriæ cultu à verbi cultu diſtincto adorari. p. 217. n. 18.
Humanitas Chriſti abſtractim conſiderata cum ſuis tantùm donis, non poteſt adorari adoratione abſolutâ & completâ quæ per ſe primò in eam terminetur. p. 218. n. 19.
Eſt tamen vt ſic adorabilis adoratione aliquâ incompletâ, eiq; proportionata. ibid. & ſeqq.
Humanitas Chriſti ratione gratiæ habitualis eſt adorabilis cultu hyperduliæ. p. 219. n. 24. & ſeqq.
Humanitas vt eſt natura verbi abſtractim conſiderata non eſt adorabilis supremâ latriâ. ibid. n. 26. & ſeqq.
Eſt tamen adorabilis latriâ reſpectiuâ. ibidem. & p. 22. n. 321.
Hæc adoratio eſt actus ſecundarius habitus latriæ. p. 221. n. 32. & ſeqq.
An poſſit vocari Hyperdulia. ibid. n. 34.
An Chriſtus ratione perfectionū creatarum humanitatis ſuæ ſit adorabilis Duliâ. p. 223. n. 40.
Quando CC. & PP. duas Chriſti adorationes reijciunt, intelligi debent de adoratione complera contra Neſtorium ponentem duas in Chriſto perſonas. p. 222. n. 36. & ſeqq.

Adoratio Sanctorum.

Sancti tum Angeli tum homines adorandi. p. 223. n. 41. & ſeqq.
Obiectionibus ſatisfit. p. 224. n. 46. & ſeqq.
Adoratio Sanctorum non eſt ciuilis ſed religioſa. p. 225. n. 51.

Adorantur

Digitized by Google

Adorantur Sancti ob ſupernaturalē eorum excellentiam. p. 226. n. 55. & ſeqq.
Adorantur Beati ex eadem virtute quâ homines iuſti viatores; ſed perfectiori modo. ibidem. n. 57. & ſeqq.
Propria & vſitata adoratio Sanctorum eſt abſoluta. p. 227. n. 61.
Adoratione reſpectiuâ poſſunt etiam adorari. p. 228. n. 62. & ſeq.
Adoratio Sanctorum eſt Dulia. p. 228. n. 62.
Procedit ab habitu diſtincto à Latria habitu. ibidem. n. 64.
D. Virgini non debetur adoratio latria ſed Hyperdulia. p. 253. n. 172. & ſeqq.
An B. Virgo poſſit adorari eadem adoratione quâ Chriſtus. p. 253. n. 177.
Solum ſuppoſitum intellectuale quomodo dicatur capax adorationis. p. 252. n. 167.
Natura rationalis creata non dicitur adorabilis cultu Latria, etſi poſſit conſiderari vt Deo coniuncta. p. 253. n. 176.
Quomodo Crux Chriſti eâdem adoratione quâ Chriſtus adorari poſſit. p. 253. n. 175.
Inſtrumenta paſſionis Chriſti adoranda vt ſunt inſtrumenta redemptionis noſtra. p. 259. n. 202.

Amor.

Amor beatificus an ſit neceſſarius ex parte voluntatis. p. 143. n. 21. & ſeqq.
Nequ impediuit libertatem Chriſti in præceptis adimplendis. p. 144. n. 26. & ſeqq.
Præter amorem beatificum fuit in Chriſto amor Dei ſupernaturalis liber. p. 150. n. 19.
Differt ſpecie ab amore beatifico. p. 151. n. 20.
Duplex amor proximi in Chriſto conſequens viſionem beatam. p. 151. n. 21. & ſeqq.

Angelus.

Quid influat Chriſtus in Angelos beatos. p. 85. n. 10.
Natura angelica eſt aſſumptilis. p. 50. n. 4.
Angelorum gratia & gloria an ſit ex Chriſti meritis. p. 183. n. 164. & ſeqq.

Anima Chriſti.

Anima Chriſti eſt verè vnita corpori. p. 28. n. 36.
Anima Chriſti habet intellectum creatum. p. 88. n. 2. & p. 59. n. 28.
Non poteſt conſtitui intelligens increata intellectione. p. 89. n. 5.
Anima Chriſti cognouit ſcientiâ infuſâ omnes res naturales tam corporeas quàm incorporeas. p. 96. n. 1.
Cognouit omnia ſingularia intuitiuè. ibid. n. 2.
Cognouit actus liberos intellectus & voluntatis exiſtentis. ibidem n. 3.
Item futura contingentia. ibidem n. 4.
Cognouit res ſupernaturales creatas quidditatiuè per proprias ſpecies. ibidem. n. 5.
Item viſionem beatificam. p. 97. n. 6. & 7. Etiam vnionem Hypoſtaticam. ibidem n. 8.
Cognouit ſcientia infuſa Deum vnum & Trinum, ſed non quidditatiuè. ibidem n. 9.
Anima Chriſti poterat vti ſcientia infuſa independenter à phantaſmate. p. 97. n. 10. & ſeq.
In cognitione rerum ſenſibilium poterat ſe conuertere ad phantaſmata. p. 98. n. 12.
Anima Chriſti videt Deum perfectiùs qualibet creatura. p. 95. n. 15.
Videt in verbo omnia quæ formaliter in Deo ſunt. p. 93. n. 6.
Non videt in verbo omnia quæ ſunt in Deo eminenter. ibidem n. 5.
Non comprehendit diuinam eſſentiam. p. 92. n. 1. & ſeqq.
Videt in verbo quæcumque Deus nouit ſcientia viſionis. p. 93. n. 7.
Videt infinita in verbo. p. 94. n. 12.
Non tamen infinitas ſubſtantias ſcientia viſionis. ibidem n. 11.
Cognoſcit infinitas ſcientia ſimplicis intelligentiæ. p. 95. n. 13.
Anima Chriſti habuit potentiam ad omnes affectus humana natura aliquomodo connaturales. p. 102 n. 4. & ſeqq.
Habuit virtutem quaſi permanenter ad miracula patranda. p. 103. n. 6. & ſeqq.
Non habuit potentiam annihilandi creaturas. ibidem n. 9.
An potuerit efficere quæcumque volebat. p. 104. n. 14. & ſeqq.
Anima Chriſti fuit paſſibilis paſſione tum corporali tum animali. p. 115. n. 24. & ſeqq.

Antichriſtus.

Antichriſtus poteſt dici caput malorum. p. 88. n. 23.

Appetitus.

Appetitus ſenſitiuus poteſt vocari voluntas participatiuè. p. 139. n. 6.
Fuit in Chriſto. ibidem.
Actus inferioris appetitus in Chriſto qui. p. 116. n. 26. & ſeq.
Fuerunt ſemper voluntarij & ſine turbatione rationis. ibidem n. 28.

Aſſumptio, aſſumere, aſſumptibile.

Aſſumptio quomodo ab vnione hypoſtatica, & Incarnatione differat. p. 34. n. 55. & ſeqq.
Aſſumere quid. ibidem & p. 41. n. 2.
Solus filius in diuinis dicitur aſſumpſiſſe naturam humanam. p. 34 n. 55.
Verbum non poteſt dici aſſumptum. p. 35. n. 55.
Verbum aſſumpſit verum corpus. p. 54. n. 1.
Aſſumpſit corpus terrenum. ibidem n. 2.
Aſſumpſit animam rationalem. p. 58. n. 23. & ſeqq.
Anima non fuit aſſumpta tempore prius quam caro. p. 61. n. 7.
Neque caro prius quam anima. ibidem. n. 8.
Quo ſenſu dicatur aſſumpſiſſe carnem mediante anima. p. 59. n. 1. & ſeqq.
Non poteſt dici aſſumpſiſſe animam mediante corpore. p. 60. n. 4.
Aſſumpſit animam mediante ſpiritu. ibidem.
Ordine intentionis prius aſſumpta eſt humanitas quam ſingula partes. p. 64. n. 26.

Secus,

Secus, ordine executionis. p. 65. n. 26. & ſeq.
Fuit conueniens vt verbum aſſumeret corpus paſſibile. p. 105. n. 1. & ſeq.
Non fuit neceſſarium ad redemptionem humani generis. p. 106. n. 4.
Conueniens fuit aſſumi naturam ex ſtirpe Adæ. p. 53. n. 22.
Verbum aſſumpſit ſanguinem immediate. p. 55. n. 5. & ſeq.
Aſſumpſit quattuor humores. p. 57. n. 19.
Aſſumpſit dentes, vngues, capillos, ſpiritus animales & vitales. ibidem. n. 20. & ſeqq.
Non aſſumpſit Perſonam. p. 51. n. 9.
Non aſſumpſit propriè hominem. p. 52. n. 17.
Quomodo intelligendi Patres dum aſſerunt verbum aſſumpſiſſe hominem. p. 53. n. 18.
Poteſt natura diuina dici ſecundario aſſumpſiſſe humanitatem. p. 42. n. 8. & ſeqq.
Fuit conuenientius verbum aſſumere humanitatem quam alias perſonas diuinas. p. 48. n. 38.
Nulla natura creata eſt naturaliter aſſumptibilis à perſona diuina. p. 49. n. 1.
Natura humana eſt magis aſſumptibilis quam alia natura. ibidem n. 3.
Natura angelica, & natura irrationalis aſſumi poſſunt. p. 50. n. 4. & ſeqq.
Natura humana abſtracta ab indiuiduis aſſumi non poteſt. p. 53. n. 19. & ſeq.
Natura perſonata aſſumi poteſt. p. 46. n. 27.
Manens affecta propriâ perſonalitate nequit aſſumi. p. 51. n. 11.
Cur minus quam duabus ſubſiſtentijs alienis terminari. p. 52. n. 12. & ſeqq.
Vide verbum Perſona.

Attributa.

Quænam attributa humanitatis non poßint Chriſto attribui. p. 133. n. 32.
Attributa humanitatis non poſſunt de diuinitate verbi in abſtracto prædicari, neque attributa diuinitatis de humanitate. p. 128. n. 15.
Aliquot PP. locutiones quomodo intelligendæ. ibidem n. 16.

B.

Beatitudo.

Chriſtus fuit beatus ab initio conceptionis. p. 89. n. 7.
Chriſtus etiam in quantum homo eſt obiectum beatitudinis noſtræ. p. 18. n. 72. & ſeqq.
Cur beatitudo vocetur hæreditas. p. 202. n. 3.

C.

Caput.

Capitis myſtici conditiones. p. 82. n. 1.
Poteſt eſſe diuerſæ naturæ à membris. p. 85. n. 11.
Cur caput naturale potius dicitur membrū quam caput myſticum. p. 83. n. 5.
Chriſtus eſt caput Eccleſiæ tam triumphantis quam militantis. p. 82. n. 2. & ſeqq.
Eſt caput omnium hominum capacium ſalutis. p. 83. n. 7. idque ſecundum animas & corpora. p. 84. n. 8.
Melius dicitur Caput Eccleſiæ quam cor. p. 83. n. 6.
Eſt etiam Caput angelorum beatorum. p. 84. n. 9.
Minus proprie tamen quam hominum. ibid. n. 10.
Eſſe caput Eccleſiæ an Chriſto proprium. p. 87. n. 18. & ſeqq.
Chriſtus non poteſt ſimpliciter dici caput damnatorum. p. 85. n. 12.
Generaliſsime loquendo poteſt dici caput omnis creaturæ. p. 85. n. 13.
Vide verbum, gratia capitis.

Caro.

Quis terminus actionis quâ verbum dicitur caro factum. p. 35. n. 56.

Chriſtus.

Chriſti aduentus probatur ex cap. 49. Gen. p. 4. n. 7. & ſeqq.
Probatur ex cap. 9. Daniel. p. 5. n. 16.
Probatur ex Aggæo cap. 2. p. 11. n. 40.
Probatur vaticinijs aliorum Prophetarum. ibidem n. 42.
Chriſtus eſt Deus ſimul & homo. p. 20. n. 2. & ſeqq.
In Chriſto natura diuina & humana manent inconfuſæ. ibidem n. 1. & ſeqq.
Chriſtus eſt vnus maſculinè. p. 136. n. 1.
Eſt etiam vnum neutraliter. ibidem n. 2.
Chriſtus non poteſt dici eſſe aliud & aliud. p. 13. n. 3. & 4.
In Chriſto eſt duplex eſſentia. ibidem n. 5.
Dicendum abſolutè quod in Chriſto ſit tantum vnum eſſe. ibidem n. 6.
In Chriſto eſt vnicum ſuppoſitum. p. 25. n. 1. & ſeq.
In Chriſto eſt vnica Perſona in duabus naturis ſubſiſtens. p. 23. n. 17. & ſeqq.
Dici hominem & Deum ſubſtantiuè arguit vnitatem Perſonæ in Chriſto. p. 24. n. 18.
Pronomina, Ego, Tu &c. de Chriſto dicta in Scripturis, probant vnitatem Perſonæ. ibid. n. 19.
An hæc propoſitio ſit vera: Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona. p. 135. n. 42.
Perſona Chriſti nequit dici facta. p. 27. n. 33.
An ſit Chriſtus Perſona compoſita. p. 25. n. 23.
Chriſtus ſupponit pro Perſona. p. 27. n. 32.
Chriſtus quomodo primogenitus omnis creaturæ. p. 18. n. 70.
Chriſtus, homo de cælo cæleſtis, quo ſenſu dictum. p. 54. n. 4.
Ad exaltationem nominis Chriſti quæ ſpectent. p. 171. n. 110.
Chriſtus non poteſt abſolutè dici minor Patre, ſed cum particula in quantum homo. p. 185. n. 2. & ſeqq.
Chriſtus non poteſt dici annullabilis. p. 132. n. 28.
Hæc propoſitio, Iſte incepit eſſe, demonſtrato Chriſto, eſt ſimpliciter falſa.
Hæc etiam in ſenſu obuio eſt falſa: Iſte homo incepit eſſe. ibidem n. 34. & ſeq.

Erit

Erit vera ſi ſubiectum ſupponat tantùm pro formali ſignificato. ibid. n. 36. & ſeqq.
An hæc ſit vera: Chriſtus vt homo eſt Deus. p. 135. n. 41.
Chriſti ſeruitus, Vide verbum, ſeruus.
Chriſti ſubiectio, Vide verbum, ſubiectio.

Cognitio animæ Chriſti.

Vide verbum anima Chriſti.

Communicatio.

Communicatio Dei per Incarnationem eſt perfectiſſima. p. 12. n. 43. & ſeqq.
Summi boni eſt communicare ſe ſummo modo. ibidem.

Communicatio Idiomatum.

Communicatio Idiomatum quid. p. 127. n. 11.
Fundamentum ipſius in Chriſto eſt vnio hypoſtatica. p. 128. n. 13.
Quæ attributa prædicentur de verbo & homine Chriſto per communicationem Idiomatum. p. 128. n. 14.

Compoſitio, compoſitum.

Vtrùm compoſitio ſupponat aliquam imperfectionem in componente. p. 28. n. 34.
Componens latiùs patet quàm pars. ibid.
Verbum componit Chriſtum. ibid.
Ex natura diuina & humana non exurgit compoſitum vnius naturæ. p. 22. n. 8. & ſeqq.
Vnitas compoſiti per ſe non requirit quod omnes eius partes eadem forma informentur. p. 56. n. 13.

Comprehenſio.

Chriſtus fuit comprehenſor & viator ſimul. p. 123. n. 56.
Anima Chriſti non comprehendit Deum p. 92. n. 1. & ſeqq.

Conceptio.

Conceptio Chriſti in vtero fuit peracta in inſtanti. p. 62. n. 11. & ſeqq.
Secus per ambula ad illam. ibid. n. 10.
Vnde factum quod Chriſtus non ſit ante 97. menſem natus ſi conceptio eius fuit inſtantata. p. 63. n. 15.

Concilium.

Duo Conſtantinopolitana illegitima. p. 247. n. 146.
Concilium Francfordienſe non damnauit ſeptimā Synodum. 247. n. 147. & ſeq.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia non fuit in Chriſto p. 112. n. 16.

Corpus.

Chriſtus habuit corpus verum & terrenum. p. 54. n. 1.
Corpus Chriſti non accepit ſuum augmentum in inſtanti. p. 62. n. 10.
Defectus corporu, Vide verbum, Defectus.

Creatura.

Creatura quid ſit. p. 131. n. 27.
Creatura in rigore non dicitur de re niſi totaliter ex nihilo producta. p. 132. n. 28. & ſeq.
Quomodo res quæ modo producuntur, dicantur creaturæ. p. 131. n. 27.

Hæc propoſitio, Chriſtus eſt creatura, non eſt ſine addito vſurpanda. p. 130. n. 24.
Probabile eſt non eſſe falſam. ibid. n. 25. & ſeq.
Verius eſt in ſenſu proprio & rigido eſſe falſam. p. 131. n. 27.
Hæc, Chriſtus in quantum homo eſt creatura, erit vera, ſi reduplicetur homo gratiâ formalis ſignificati: falſa, ſi ratione ſuppoſiti humani. p. 134. n. 38. & ſeqq.

D.

Defectus.

Quos corporis defectus Chriſtus aſſumpſerit. p. 107. n. 12. & ſeqq.
Chriſtus aſſumpſit neceſſitatem naturalem ſubiacendi defectibus corporu. p. 106. n. 6.
Non ſubiacuit illis ex neceſſitate coactionis. ibid. n. 7.
Non poteſt dici Chriſtus contraxiſſe defectus corporu. ibid. n. 9. & ſeqq.

Deus.

Hæc propoſitio, Deus eſt homo, eſt neceſſaria, ſi ſubiectum accipiatur pro Perſona verbi, vt habente ſibi vnitam humanitatem. p. 125. n. 4.
Si accipiatur pro Perſona verbi vt Deus eſt, erit contingens. ibid. n. 6.
Non eſt tamen accidentaria. p. 126. n. 6.
Hæc eſt vera, Deus factus eſt homo. p. 129. n. 19.
Deificatio quid. p. 35. n. 55.
In diuinitatē nihil poteſt tranſmutari. p. 21. n. 4.

Diabolus.

Diabolus eſt caput malorum. p. 87. n. 21.

Dolor.

Dolor ſenſibilis quis. p. 116. n. 29.
Fuit in Chriſto. ibid. etiam in eius voluntate rationali. p. 119. n. 38. & ſeqq.
D. Hilarij difficilia quædam loca explicantur. p. 117. n. 32. & ſeqq.

Donum.

Dona Spiritus Sancti quæ. p. 72. n. 32.
Omnia in Chriſto fuerunt. ibid. n. 33.
Donum Timoris in Chriſto in quo ſitum. ibidem n. 34. & ſeq.

Dulia.

Quid ſit & quibus deferenda. p. 215. n. 8. & 9.
Habitus duliæ diſtinguitur ab habitu latriæ. p. 228. n. 64. & ſeq.
Vide Adoratio.

E.

Eccleſia.

Chriſtus vt ſupremus Eccleſiæ Pontifex habuit poteſtatem excellentiæ in illam. p. 198. n. 23. & ſeqq.
Quos actus ſupremæ poteſtatis in Eccleſiam exercuerit Chriſtus. ibid. n. 24. & ſeqq.

Electio.

Electio hominum ad gloriam quatenus eſt voluntas hos potiùs quàm illos ſaluandi, non eſt ex Chriſti meritis. p. 181. n. 154. & ſeq.

Secus, quatenus eſt voluntas abſoluta hos ſaluandi. ibid. n. 156. & ſeqq.

F.

Fides.

Non fuit in Chriſto. p. 69. n. 20.

Fuit in Chriſto habitus quem ſupponere ſolet fides in voluntate. ibid. n. 21.

Filius.

Varia fundamenta filiationis in Chriſto. p. 204. n. 12.

Chriſtus vt verbum Patris eſt verè Filius Dei naturalis. p. 204. n. 13.

Chriſtus homo eſt etiam Filius Dei naturalis. ibidem. n. 14.

An hac ſit vera, Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis. ibid. n. 15.

An Chriſtus vt eſt ſuppoſitum compoſitum ex natura humana & perſonalitate verbi ſit Filius Dei naturalis. p. 207. n. 22.

Chriſtus non poteſt dici filius verbi. p. 208. n. 29.

An poſſit dici filius Spiritus Sancti. ibid.

Filius adoptiuus, Vide verbum adoptio.

Fomes.

Fomes duplex. p. 112. n. 15.

Quid fomes peccati ibid. n. 14.

Non eſt quid purè poſitiuum. 113. n. 19.

Fomes peccati non fuit in Chriſto. p. 112. n. 16. & ſeqq.

An in ſtatu natura integra ſecluſis donis ſupernaturalibus fuiſſet fomes peccati. p. 114. n. 20. & ſeq.

G.

Gratia.

Gratia eſt quadam participatio diuina natura. p. 97. n. 6.

Gratia habitualis in Chriſto fuit. p. 67. n. 9. & ſeqq.

Eſt finita quoad eſſentiam & intenſionem. p. 76. n. 47.

Poteſt dici infinita ſecundum quid. ibid. n. 49.

Non potuit augeri ſecundum ordinem rerum à Deo inſtitutum. p. 77. n. 50. & ſeqq.

Secus, per abſolutam Dei potentiam. ibidem. n. 53.

Fuit in ſummo gradu à primo inſtanti conceptionis. ibid. n. 50. & ſeqq.

Eſt effectus & proprietas quadam conſequens vnionem hypoſtaticam. p. 67. n. 8. & p. 81. n. 71. & p. 168. n. 99.

Gratia puri hominis nequit in tantùm creſcere vt pertingat ad aqualitatem cum gratia Chriſti. p. 76. n. 48.

An gratia habitualis ſit naturalis Chriſto homini. p. 40. n. 77.

In Chriſto fuit abſoluta plenitudo gratia. p. 75. n. 44.

Abſoluta gratia plenitudo eſt Chriſto propria. ibidem.

Alij Sancti ſecundũ quid ſunt gratia pleni. ib. n. 45.

Gratia vnionis qua. p. 39. n. 73.

Gratia habitualis non fuit diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam. p. 78. n. 54. & ſeqq.

Non eſt humanitati Chriſti neceſſaria vt ſit ſancta. p. 66. n. 5.

Non fuit quoque neceſſaria Chriſto ad merendum. p. 148. n. 6. & ſeqq.

Gratia habitualis Chriſti non eſt cauſa phyſica gratia iuſtorum. p. 86. n. 15.

Primus motus liberi arbitrij humanitatis Chriſti fuit effectus gratia habitualis. p. 169. n. 104.

Gratia gratis data.

Gratia gratis data qua dicuntur p. 73. n. 36. & ſeqq.

Omnes fuerunt in Chriſto perfectiſſimè. ibi. n. 37.

Gratia gratis data fuerunt in Chriſto permunenter per modum habitus. p. 75. n. 43.

Gratia capitis.

Gratia capitis in Chriſto eſt eadem cum perſonali. p. 85. n. 14.

Gratia vnionis poteſt etiam vocari gratia capitis. p. 86. n. 17.

Vnde ſortiatur habitualis gratia Chriſti gratiam capitis. ibid. n. 15.

Gratia puri hominis nequit eum conſtituere caput caterorum. ibid. n. 16.

H.

Habitus.

Non potuerunt habitus vitioſi eſſe in Chriſti humanitate. p. 112. n. 13.

Hebdomada.

Per hebdomades 70. *Danielis* 9. *quid intelligatur.* p. 6. n. 19.

Vnde inchoanda. ibid. n. 20. & ſeqq.

Quibus annis conſtent, ſolaribus an lunaribus. p. 7. n. 24. & p. 8. n. 31.

Homo, Humanitas.

Homo tribuitur vnione Deo & Petro. p. 126. n. 7.

Chriſtus non poteſt dici homo dominicus ibi. n. 8.

Hac propoſitio, Homo factus eſt Deus in ſenſu proprio eſt falſa. p. 129. n. 20.

In ſenſu improprio poteſt eſſe vera. p. 130. n. 23.

Humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam. p. 137. n. 5.

I.

Idolum.

Quid ſit & quomodo ab imagine diſtinctum. p. 236. n. 100.

Idolum dicitur doctrina vanitatis, & quomodo. p. 242. n. 125. & ſeqq.

Ignorantia.

Quid ſit. p. 114. n. 23.

Non fuit in Chriſto. ibid.

Imago.

Quid ſit & quomodo ab Idolo & ſimulachro diſtincta. p. 236. n. 100.

Imaginum

Imaginum vſus & finis. p. 241. n. 123. & ſeq.
Vſus imaginum Chriſti & Sanctorum honeſtus & retinendus. p. 237. n. 101. & ſeqq.
Obiectiones ſoluuntur. p. 238. n. 105. & ſeqq. & p. 242. n. 125. & ſeqq.
Varia Chriſti & Sanctorum Imagines antiquiſſimæ. ibid.
Imagines ſub antiquo teſtamento. p. 238. n. 104.
Imagines Angelorum depicta in antiquo teſtamento. p. 239. n. 114.
Imagines Dei & SS. Trinitatis licitè fiunt, & quomodo. ibid. n. 111. & ſeqq. quales formari poſſint. p. 251. n. 121.
Obiectionibus ſatisfit. p. 239. n. 116. & ſeqq.
Imaginum vſus non eſt per ſe periculoſus. 243. n. 132.
Imagines Sanctorum ſunt apta templorum ornamenta. p. 245. n. 137. & ſeqq.
Errat Caluinus aſſerens primis 500. annis Imagines non fuiſſe in templis collocatas. ibid.
Obiectiones ſoluuntur. ibidem n. 142. & ſeqq.
Imagines Chriſti & Sanctorum honorandæ. p. 246. n. 144.
Honor Imaginis redundat in prototypum p. 247. n. 145.
Varij modi adorandi Imagines. p. 248. n. 152.
Adoratio Imaginum non explicatur ſufficienter per adorationem ipſius prototypi occaſione Imaginis. ibid. n. 153. & ſeqq.
Imago propter prototypum, & prototypum in imagine vno actu interiori & exteriori adorari poſſunt. p. 249. n. 156. & ſeqq.
Hac adoratio fertur primario in prototypum, concomitanter & inferiori modo in ipſam imaginem. ibidem n. 158. & p. 252. n. 168. & ſeqq.
Poſſunt etiam Imagines adorari vt obiectum quod totale adorationis propter ipſum prototypum. p. 249. n. 249.
Hac adoratio eſt reſpectiua. p. 250. n. 160.
Eſt inferior ea qua exhibetur prototypo. p. 251. n. 163. & p. 25·. n. 171.
Obiectionibus contra hanc adorationem reſpondetur. p. 250. n. 161. & ſeqq.
Adorationem Imaginum Chriſti alij latriam, alij Duliam vocant. p. 252. n. 171.

Impeccabilitas.

Vide Peccatum.

Incarnatio.

Incarnationis varia nomina. p. 3. n. 1. & ſeqq.
Incarnatio quomodo ab aſſumptione & vnione diſtincta. p. 35. n. 55.
Incarnatio actio eſt communis toti Trinitati. p. 45. n. 21.
Incarnationis conuenientia oſtenditur. p. 11. n. 43. & ſeqq.
In ea enituerunt Iuſtitia & miſericordia Dei. p. 15. n. 16.
Incarnatio fuit Deo libera p. 13. n. 48.
Non fuit ſimpliciter neceſſaria ad hominem reſtaurandum. ibid. n. 49. & ſeqq.
Secus, vt homo conuenientiſſimè repararetur. p. 14. n. 52. ſeqq.
Vtilitas Incarnationis decem rationibus oſtenditur. ibid. n. 53.
Fuit Adamo ante lapſum reuelata. p. 18. n. 72. & ſeqq.
Facta eſt principaliter ad delendum peccatum originale. p. 19. n. 77.
Verbum non fuiſſet incarnatum ſi homo non peccaſſet. p. 17. n. 67. & ſeqq.
An ſi aliqui dumtaxat Adæ Poſteri peccaſſent, Verbum fuiſſet incarnatum. p. 19. n. 77.
Incarnatio poteſt dici bonum occaſionatum.

Incarnatio Sanctorum.

Sancti non ſunt inuocandi vt principales auctores gratiæ & gloriæ. p. 229. n. 66.
Neque tanquam mediatores principales apud Deū. ibid. n. 68. & ſeqq. & p. 231. n. 78.
Poſſunt inuocari vt interceſſores. p. 229. n. 70.
Et vt mediatores ſecundarij. p. 231. n. 78.
In Sanctorum inuocatione ſpectandus eſt ſenſus precum iuxta mentem orantis, aut eas facientis. p. 229. n. 67.
Obiectiones Hæreticorum. p. 221. n. 77. & ſeqq.
Inuocare Sanctos non eſt ſignum diffidentia de Deo. p. 235. n. 95.
Sancti ſub antiquo teſtamento mortui non inuocabantur, vt nunc beati. p. 230. n. 72.
Sancti cognoſcunt inuocationes noſtras. p. 233. n. 86. & ſeqq.
Inuocare Sanctum vnum potius quàm alium, & vno loco potius quàm alio, nullatenus eſt ſuperſtitioſum p. 259. n. 200.
Quomodo intelligendū illud Apoſtoli, Quomodo inuocabunt in quē non crediderunt. p. 231. n. 77.

Ira.

Ira fuit in Chriſto. p. 123.
Ira qua mala. ibid. n. 54.

Iuſtificatio.

Iuſtificatio noſtra quomodo fiat gratis. p. 177. n. 133. & p. 172. n. 115 & ſeqq.
Reſurrectio Chriſti propter noſtram iuſtificationem facta eſt. p. 172. n. 117.

Iuſtitia particularis.

Ad actum iuſtitia non requiritur quod eius exercitium pendeat ex debito iuſtitia. p. 159. n. 58. & ſeq.
Operari ex debito iuſtitia non importat neceſſariò imperfectionem in operante. p. 160. n. 64.
Obligatio Iuſtitia non ponit in Deo vllam imperfectionem. ibid. n. 62. & ſeqq.
Iuſtitia propriè dicta communiter inter Perſonas diſtinctas conſiſtit. p. 161. n. 66.
Poteſt eſſe iuſtitia einſdem ad ſeipſum ſi ſubſiſtat in diuerſis naturis. ibid. n. 66. & ſeqq
Inter Patrem & Filium iuſtitiam non poſſe conſiſtere quomodo verum. ibid. n. 68.
In meritis Chriſti fuit rigoroſa iuſtitia. p. 157. n. 51. & ſeqq.
Actiones Chriſti hominis non erant Deo debita ex iuſtitia. p. 162. n. 74.

omnium mediorum per quæ iuſtitiam conſequuntur. p. 176. n. 131.
Meruit Iuſtis omnia dona gratiæ quæ illis cõferuntur poſt iuſtificationẽ. p. 178. n. 140. & ſeqq.
Quomodo dicatur meruiſſe iuſtis augmentum gratiæ & gloriæ. p. 179. n. 144. & ſeqq.
Meruit electis finalem perſeuerantiam. p. 178. n. 142. Item prædeſtinationem. p. 182. n. 160. & gloriam. p. 172. n. 120.
Solis electis meruit efficacem applicationem ſuorum meritorum cum effectu ſalutis. p. 176. n. 132. & ſeqq.
Meruit operibus iuſtorum diuinam promiſſionem de mercede reddenda. p. 179. n. 147.
Meruit ipſis actus bonos quibus merentur. ibidem n. 143.
Chriſtus meruit nobis remiſſionem pœnæ temporalis quæ fit per modum redemptionis operæ ſatisfactorio. p. 180. n. 150.
Non meruit proximè illam quæ fit per condignam paſſionem ad æqualitatem. p. 181. n. 152.
Quid angelis meruerit. p. 183. n. 164. & ſeqq.
Chriſtus incepit mereri à primo inſtanti Incarnationis. p. 152. n. 26.
Meruit continuò vſq; ad inſtans mortis. ibid. n. 27.
Poſt mortem non meruit. ibidem n. 28.
Suſceptio vulneris in latere an fuerit meritoria. p. 153. n. 31.
Deus poterat compenſare merita Chriſti ad æqualitatem. p. 156. n. 45. & ſeqq.
Fuerunt relata ad præmium finitũ. p. 157. n. 48.
Valor meritorum Chriſti vnde prouenit. p. 154. n. 37. & ſeq.
Opera meritoria Chriſti cuius valoris. p. 153. n. 33. & ſeqq.
Vide verbum, Opera. Iuſtitia.
Actus diuinæ voluntatis in Chriſto non fuit meritorius. p. 150. n. 14.
Neque acceperunt ab illo ratione meriti Chriſti opera meritoria. ibidem n. 15.
Chriſtus non meruit per actus beatificos. p. 150. n. 17. & ſeqq.
Meruit per actum amoris Dei liberum ab amore beatifico diſtinctum. ibidem n. 19.
Meruit per actum amoris proximi. p. 151. n. 20.
Meruit per omnes actus virtutum infuſarum quos liberè exercuit. ibidem n. 24.
Meruit per humanos actus ordinis naturalis. p. 152. n. 25.

Meritum hominis.

Merita iuſtorũ non accipiunt condignitatẽ ad præmiũ proximè à Chriſti meritis. p. 179. n. 146.
An prima gratia donatio poßit abſoluta potentiâ cadere ſub meritum hominis. p. 167. n. 93.
Purus homo non poterat mereri de condigno verbi Incarnationem. p. 39. n. 75.
Sancti Patres meruerunt de congruo illam quoad executionem. p. 40. n. 76.

Metaphora.

Nomen ſpeciei admittit quandoque metaphoram, & non nomen generis. p. 83. n. 5.

Miraculum.

Ad miraculum duo requiruntur. p. 103. n. 7.
Anima Chriſti habuit virtutẽ quaſi permanenter patrandi miracula. p. 103. n. 6. & ſeqq.

Mors.

Voluntas Chriſti vt natura refugiebat mortem tanquam naturæ contrariam. p. 120. n. 41.
Chriſtus non deſiderauit per voluntatem rationalẽ actu elicito mortẽ euadere. ibid. n. 42. & ſeqq.
Vtrum ſi Chriſtus non fuiſſet occiſus, erat aliquando naturaliter moriturus. p. 107. n. 13.
Mors Chriſti fuit meritoria vt erat in fieri. p. 153. n. 30.
Chriſtus nõ eſt mortuus pro Angelis. p. 183. n. 163.
Fuit datum Chriſto præceptum moriendi. p. 141. n. 16. & p. 189. n. 20.

O.

Omnipotentia.

Omnipotentia duo importat. p. 102. n. 2.
Non conuenit ſimpliciter animæ Chriſti. ibidem n. 1.
Quomodo intelligendi SS. PP. dũ Chriſti humanitati tribuunt omnipotentiam. ibidem n. 3
Anima Chriſti non habuit naturaliter omnipotentiam in corpus ſuum. p. 104. n. 12.
Habuit in illud tanquam inſtrumentum verbi potentiam ad omnes eius diſpoſitiones. ibid. n. 13.

Opus. Operatio Chriſti.

In Chriſto aliæ fuerunt operationes humanitatis, aliæ diuinitatis. p. 147. n. 2.
Fuit in Chriſto vnica operatio humana quantum eſt ex parte principij. ibidem n. 3.
Operationes naturales humanitatis Chriſti fuerunt eius voluntati ſubiecta. ibidem n. 4.
Opera Chriſti habuerunt valorem ſimpliciter infinitum ad merendum & ſatisfaciendum. p. 153. n. 33. & ſeqq.
Valor operum Chriſti vnde attendenda. p. 154. n. 37. & ſeq. & p. 66 n 5.
Non omnia opera Chriſti fuerunt paria in reali & ſpecificâ bonitate actus. p. 155. n. 39.
Omnia fuerunt paris valoris in ratione meriti ex parte perſonæ operantis. ibidem n. 40.
Ex parte obiecti vel intentionis poteſt dici vnum fuiſſe altero magis meritorium. ibidem n. 41.
Vnum Chriſti opus tantum valebat ad merendum, quantum omnia ſimul. ibidem.
Omnia Chriſti opera fuerunt ex Dei ordinatione inſtar vnius completi meriti & ſatisfactionis pro humano genere. ibidem n. 42. & ſeq.
Cur Deus plura opera meritoria à Chriſto exegerit cũ vnicũ ſufficeret ad ſatisfaciendũ. ibid. n 44.
Opera Chriſti meritoria fuerunt relata ad præmium finitum. p. 157. n. 84.
Erant ſufficientis valoris vt illis mereretur Chriſtus vnionem hypoſtaticam Perſonæ diuinæ ad naturam creatam. p. 156. n. 46. & ſeq.

Oratio.

Chriſtus vt homo orauit. p. 190. n. 1.
Quibus de cauſis ſit Chriſtus oratione vſus. ibid. n. 3. & ſeqq.

R.

Redemptor.

Chriſtus omnium Redemptor quomodo dicatur? p. 177. n. 134.
Quare redemptio noſtra tribuitur ſpecialiter Chriſti paſsioni & morti. p. 155. n. 43.

Regnum.

Chriſtus non fuit iure hæreditario Rex Iudeæ. p. 199. n. 27. & ſeqq.
Chriſtus vt homo non fuit conſtitutus à Deo Rex mundi cum excluſione aliorum Regum. p. 200. n. 29.
Chriſtus vt homo habuit indirectam poteſtatem in temporalia Regna. p. 199. n. 26.
Probabile eſt habuiſſe etiam dominium directum in omnia Regna mundi. p. 200. n. 30. & ſeqq.

Reliquiæ.

Sanctorum Reliquiæ quæ. p. 154. n. 178.
Debentur illis honor & veneratio ibid.
In antiquo teſtamento & in nouo ſemper in honore habita. p. 154. n. 179. & ſeqq.
Reliquiæ adorari poſſunt adoratione reſpectiuâ vt obiectum totale adorationis. p. 156. n. 188.
Hæc adoratio procedit ab eodem habitu quo adoratio ipſius perſonæ ibid.
Reliquiæ interdum eâdem adoratione quâ adoratur Perſona, coadorari poſſunt. p. 155. n. 187.
Reliquiarum cultus eſt ſacer & religioſus. p. 156. n. 189.
Obiectiones contra Reliquias. p. n. 190. & ſeqq.

S.

Sacerdos, Sacerdotium.

Sacerdotij efficium, p. 193. n. 1.
Chriſtus vt homo eſt propriè ſacerdos. ibidem. Non autem vt Deus. p. 194. n. 3. & ſeqq.
Chriſtus fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. p. 197. n. 20. & ſeqq. Humanitas Chriſti non dicitur ſacerdos p. 194. n. 7.
Sacerdotium Chriſti manet in æternum quoad effectum. p. 19?. n. 14.
Manet etiam ſecundum actus ſecundarios ſacerdotij. ibidem n. 15.
Et aliquo modo ſecundum actum principalem. ibidem.
Expiatio peccatorum eſt effectus primarius ſacerdotij Chriſti. p. 195. n. 11. & ſeqq.
Sacerdotium Chriſti quos habuerit effectus in Chriſto. p. 196. n. 13.

Sacrificium.

Chriſtus vt homo fuit hoſtia & ſacrificium. p. 194. n. 6. & ſeqq.
Quomodo Chriſtus obtulerit ſe in ſacrificium, cum ſeipſum in cruce non occiderit. p. 195. n. 8.
Non fuit ſola Chriſti humanitas oblata in ſacrificium. p. 194. n. 7.
Sacrificium Chriſti habuit rationem triplicis ſacrificij. ibidem n. 6.
Cur martyrium non ſit propriè dictum ſacrificium. p. 195. n. 9.

Sanctificatio & Sanctus.

An natura irrationalis ſit capax ſanctificationis. p. 67. n. 7.
Humanitas Chriſti ſecluſâ gratiâ habituali non foret pleniſſimè formaliter ſanctificata. ibidem n. 8.
Redditur formaliter ſancta per vnionem ſui ad verbum. p. 66. n. 2. & ſeqq.
Solus Chriſtus dicitur ſanctus ſanctorum. p. 5. n. 17.
Eſſe ſanctum non eſt adæquatus formalis effectus gratiæ habitualis. p. 66. n. 6.
Sanctorum adoratio. Vide. Adoritio Sanctorum.

Sanguis.

Sanguis pertinet ad hominis integritatem. p. 56. n. 11.
Eius neceſſitas ibidem n. 12.
Non eſt ſuppoſitum. p. 56. n. 13 & p. 57. n. 18.
Sanguinis duplicis diſtinctio in Chriſto eſt fruſtranea. ibid. n. 16.
Sanguis Chriſti nequit dici verbum. p. 57. n. 18.
Fuit aſſumptus immediatè. p. 55. n. 5.
Sanguis Chriſti fuit pretium redemptionis noſtræ, non tantùm eius effuſio. ibid. n. 8.

Satisfactio.

Satisfactio quomodo à merito diſtincta. p. 153. n. 32.
Valor ſatisfactionis creſcit pro dignitate perſonæ ſatisfacientis. p. 154. n. 36.
Satisfactio rigoroſa poteſt fieri ex bonis debitis alio titulo quam iuſtitiæ. p. 162. n. 73. & ſeqq.
An poſſit fieri ex bonis creditoris. p. 161. n. 69. & ſeqq.
Quomodo non debeat fundari in gratia creditoris. p. 163. n. 76.
Chriſtus propter valorem infinitum operum ſuorum potuit ſatisfacere Deo pro nobis ex iuſtitia etſi fuiſſent illa alias debita pluribus titulis. p. 162. n. 74.
Chriſti ſatisfactio fuit ex rigida iuſtitia. p. 157. n. 51. & ſeqq.
Nec obſtabat quod fundaretur in gratia Dei offenſi. p. 163. n. 77. & ſeqq.
Sepoſito pacto non fuiſſet Chriſtus obligatus ex iuſtitia ad ſatisfaciendum pro humano genere; neque Deus obligatus ad acceptandum ſatisfactionem. p. 159. n. 58 & ſeqq.
Deus tenebatur vi pacti acceptare ſatisfactionem à Chriſto oblatam. p. 160. n. 61.
Chriſtus poteſt dici ſatisfeciſſe pro omnibus hominibus. p. 173. n. 119.
Perſona diuina in ſe conſiderata non poterat ſatisfacere pro peccato. p. 16. n. 61.
Pura creatura non poterat ſatisfacere Deo ex condigno pro iniuria ei per peccatum illatâ. p. 15. n. 60.

Opera iuſtorum vt procedunt à Spiritu ſancto non habent valorem infinitum in ratione ſatiſfactionis. p. 17. n. 66.
Valor ſatiſfactionis Chriſti vnde. p. 154. n. 37.
Vide, Opus.

Sceptrum.

Manſit in Tribu Iuda vſque ad tempora Chriſti p. 4. n. 8. & ſeqq.

Scientia.

Scientia infuſa duplex. p. 40. n. 10.
Scientia acquiſita etiam duplex. p. 91. n. 14.
Chriſtus habuit ſcientiam aliquam creatam. p. 88. n. 3.
Chriſtus habuit ſcientiam per ſe infuſam p. 90. n. 11. & ſeqq.
Hæc ſcientia eſt habitus diſtinctus à ſpeciebus intelligibilibus. p. 100. n. 26.
Eſt ſimplex qualitas. p. 101. n. 29.
Non eſt ex natura ſua diſcurſiua in Chriſto p. 98. n. 14.
Potuit Chriſtus hac vti diſcurrendo. ibid. n. 16.
Fuit in Chriſto maior ſcientia angelica p. 98. n. 17.
Quo ſenſu D. Tho. dicat fuiſſe ex parte ſubiecti infra angelicam. ibid. n. 18.
Fuit in Chriſto naturalis ſcientia rerum omnium ab inſtanti conceptionis p. 91. n. 15. & ſeqq.
Scientiam propriè experimentalem acquiſiuit ſucceſſu temporis. p. 92. n. 19.

Seruitus.

Dependentia creaturæ à Deo eſt fundamentum ſeruitutis ipſius ad Deum. p. 186. n. 7.
Chriſtus vt homo eſt ſeruus Patris. p. 185. n. 5. & ſeqq.
Chriſtus non poteſt ſermone abſoluto dici ſeruus. p. 187. n. 12. & ſeqq.

Simulachrum.

Quid ſit, & vnde dictum. p. 236. n. 100.
Simulachra gentium quo ſenſu dicantur doctrina vanitatis. p. 242. n. 125. & ſeqq.
Crediderunt gentes ijs ineſſe diuinitatem. p. 243. n. 132. & ſeqq.

Species.

Species intelligibiles reſpondentes ſcientiæ infuſæ Chriſti, ſunt multiplices p. 99. n. 21.
Non eſt improbabile eſſe minus vniuerſales Angelicis. ibid. n. 22.
Oppoſitum eſt longè probabilius. ibid. n. 23.
Earum vniuerſalitas vnde deſumenda. p. 100. n. 24.

Spes.

Habitus ſpei quoad ſubſtantiam fuit in Chriſto. p. 71. n. 29.
Non poteſt in illo dici ſpes. p. 72. n. 30.
Remanet etiam in beatis quoad ſubſtantiam. p. 70. n. 24.
Qui actus ſpei non remanent in beatis. p. 70. n. 24.
Actus ſpei qui verſentur circa Deum, ibid. n. 23.
Omnes actus ſpei tendentes in Deum procedunt ab eodem habitu. ibid. n. 25.
Spes gloriæ corporis eſt actus ſecundarius virtutis ſpei. p. 71. n. 28.
Deſiderium reſurrectionis eſt in beatis actus ſpei. p. 70. n. 25. & p. 71. n. 28.
Actus ſpei ſimpliciter dictus non fuit in Chriſto. p. 71. n. 26.
Sperauit Chriſtus reſurrectionem corporis ſui. ibid. n. 27.

Solutio.

Non poteſt fieri ex bonis creditoris. p. 161. n. 70.
Poteſt fieri ex bonis debitis alio titulo quàm iuſtitiæ. p. 162. n. 73.

Subiectio.

Chriſtus vt homo eſt ſubiectus Deo patri. p. 185. n. 1.
An Chriſtus ſit ſibi ipſi ſubiectus. p. 189. n. 23.
Chriſtus vt homo fuit legi ſubiectus. p. 188. n. 15.
Non tamen legi antiquæ. ibid. n. 16.
Neque legi poſitiuæ noui teſtamenti p. 189. n. 19.

Suppoſitum.

Suppoſitum quomodo differat in Perſona. p. 25. n. 22.
Eſſe creaturam non eſt de eſſentia ſuppoſiti humani. p. 133. n. 32.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia abſoluta naturæ diuinæ naturam creatam terminare poteſt. p. 44. n. 19.
Non tamen cum illâ conſtituere Perſonam. p. 45. n. 20.
Subſiſtentia eſt naturâ prior accidentibus. p. 79. n. 59.
Subſtantia nequit prius ſuſtentare accidens quam ipſius eſſe ſubſiſtat ſuâ ſubſiſtentiâ. p. 80. n. 66. & ſeqq.
Proprietates humanitatis Chriſti non ſubſiſtunt ſubſiſtentiâ verbi. p. 61. n. 6.
Natura creata nequit terminari ſimul ſubſiſtentia propria & aliena. p. 51. n. 11.
Cur minus quam duabus alienis. p. 52. n. 12. & ſeqq.
Eadem natura replicata poteſt vno loco terminari aliena ſubſiſtentia; alio, propria. ibid. n. 16.

T.

Timor.

EIus requiſita, p. 122. n. 50.
Timor ſenſibilis fuit in Chriſto p. 121. n. 49.
In voluntate Chriſti non fuit timor mortis. ibid. n. 48.

Triſtitia.

Fuit in Chriſto. p. 118. n. 36. & ſeqq. *etiam ſecundum voluntatem rationem* p. 119. n. 38. & ſeq.
Quomodo Chriſtus cum gaudio beatifico habuerit triſtitiam. ibid. n. 40.

Verbum

Verbum.

Verbum caro factum eſt, quo ſenſu dicitur. p. 21. n. 6.

Virtus.

Omnes virtutes morales tam naturales quàm ſupernaturales fuerunt in Chriſto, exceptis ijs quæ ſtatus talis perſonæ repugnant, p. 69. n. 15. & ſeqq.

Inditæ fuerunt animæ Chriſti ab initio creationis eius. ibid. n. 18.

Viſio beatifica.

Fuit in Chriſto à primo inſtanti Incarnationis. p. 89. n. 7. & ſeqq.

Non impediuit eius libertatem in præceptis adimplendis. p. 145. n. 32.

Vide Verbum, anima Chriſti.

Vnio, Vnio Hypoſtatica.

Vnionis varia acceptio. p. 30. n. 43. & ſeq.

Vnio hypoſtatica non eſt qualitas neque relatio prædicamentalis. p. 32. n. 48. & ſeq. *diſtinguitur ab extremis* p. 30. n. 44. & ſeqq.

Eſt modus ſubſtantialis reſpectiuus. p. 33. n. 49. & p. 28. n. 38.

Cur ab aliquibus Patribus dicatur vnio eſſentialis & naturalis. p. 29. n. 39.

Quæ eius extrema, p. 25. n. 25. & ſeqq.

Proximè terminatur ad Perſonalitatem Verbi, non ad ſubſiſtentiam abſolutam, p. 43. n. 11. & ſeqq.

Non terminatur ad Perſonalitatem Patris aut Spiritus Sancti, p. 45. n. 23.

Cur vnio hypoſtatica ſit potius re diſtincta ab extremis ſuis quam vnio ſubſiſtentiæ creatæ cum natura. p. 34. n. 52.

Quomodo differat ab aſſumptione. p. 34.

Vnio hypoſtatica multis modis eſt perfectiſſima. p. 12. n. 43. & ſeqq.

Non eſt maxima vnionum ſi conſideretur ex parte naturarum coniunctarum. p. 35. n. 58.

Secus conſiderata ex parte illius in quo naturæ coniunguntur. p. 36. n. 59. & ſeqq.

Vnio hypoſtatica eſt ſimilis vnioni animæ cum corpore. p. 22. n. 9.

Vnio hypoſtatica quibus compoſitionibus comparata ab antiquis. 30. n. 42.

Vnione hypoſtatica prior eſt ordine intentionis vnio animæ cum corpore. p. 65. n. 27.

Terminus reſultans ex vnione hypoſtatica quis. p. 25. n. 25. & ſeqq.

Eſt perſona compoſita p. 26. n. 30. & ſeqq.

Vnio hypoſtatica eſt perfectiſſimum opus gratiæ. p. 38. n. 68. & ſeq.

Facta eſt gratuitâ Dei voluntate. p. 39. n. 71.

Non eſt facta per gratiam habitualem. ibidem n. 72.

Non potuit gratia habitualis poni in anima Chriſti tanquam præuia diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam. p. 80. n. 66. & ſeqq.

Vnio hypoſtatica poteſt vocari gratia. p. 39. n. 73.

Quibus modis dicatur Chriſto homini naturalis, p. 40. n. 77.

Præbuit Chriſti operibus valorem infinitum p. 86. n. 17.

Vnio Perſonæ diuinæ cum natura rationali fuit neceſſaria ad redimendum genus humanum. p. 15 n. 59.

An verbum dicatur vnitum. p. 35. n. 55.

Perſonæ diuinæ non vniuntur propriè in diuinitate p. 27. n. 32.

Ratione vnionis hypoſtaticæ omnes Perſonæ diuinæ ſunt in Chriſti humanitate, p. 45. n. 24.

Vnio cum ente completo quando non ſit accidentaria. p. 29. n. 40.

Actionis vnitiuæ humanitatis cum verbo terminus quis. p. 31. n. 45. & ſeqq.

Non poteſt eſſe humanitas, neque verbi ſubſiſtentia. p. 32. n. 47.

Voluntas.

Duæ voluntates in Chriſto, diuina & humana. p. 138. n 3. & ſeqq.

Voluntas humana in Chriſto habuit actus ſuos diſtinctos ab actibus voluntatis diuinæ. p. 139. n. 5.

Nulla fuit in Chriſto contrarietas voluntatum. p. 146. n. 36.

Chriſtus voluntate rationali ſemper voluit id quod Deus quoad actus efficaces. p. 145. n. 34.

Velleitate quâdam potuit aliud velle quàm Deus. p. 146. n. 35.

Potuit voluntate naturali & ſenſualitatis aliud velle quàm Deus. p. 145. n. 33.

FINIS.

ERRATA.

PAgina 25. columna 1. linea 10. *ia* lege *in*. lin. 21. *Hypotaſis*, lege *Hypoſtaſis*. lin. 24. *Phyſicorum*, lege *Philoſophorum*. p. 26. col. 1. lin. 17, *Subſiſlent* lege *ſubſiſtent*. p. 29. col. 1. lin. 49. *Commentitiâ*. lege *commentitiam*. lin. 50. *eun*. pro *eius*. p. 33. col. 1. lin. 52. *humanitans*, lege *humanitatu*. p. 35. col. 2. lin. 48. *tam* lege *tamen*. p. 36. c. 2. l. 13. *priore* lege *priorem*. p. 37. c. 1. lin. 59. *corruptionem* l. *corruptiuum*. p. 45. c. 1. lin. 49. *ant*, l. *autem*. p. 64. c. 1. lin. 35. *argumentatione*, l. *augmentatione*. p. 64. c. 2. lin. vlt. Concluſ. 2. delendum eſt, & verba ſequentia priotibus ſunt iungenda. p. 76. c. 1. l. 41. *infinitio* l. *infinito*. p. 93. col. 2. l. 29. *poſt ſed*, adde *hoc eſt*. p. 97. c. 2. l. 50. *conuerſationem* l. *conuerſionem*. p. 98. c. 2. lin. 29. *dependunt*, l. *dependent*. p. 112. c. 2. lin. 55. *peccat*, l. *peccata*. p. 117. c. 1. lin. 61. *poſſe*, l. *poſſet*. p. 125. c. 1. lin. 41. *habentem*, l. *habente*. p. 143. col. 2. lin. 26. *admittere*, l. *amittere*. p. 156. c. 1. lin. 37. *debet*, l. *debetur*. p. 157. c. 1. l. 24. *fit*, l. *ſit*. p. 159. c. 2. lin. 23. *offeret*, l. *offerret*. p. 161. c. 1. lin. 4. *altera*, lege *alter*. p. 173. c. 1. lin. 41. *diuinum* l. *diuinam*. p. 175. col. 2. lin. 2. *Chriſtin*, *obu*, l. *Chriſti nobis* p. 180. c. 2. lin. 27. *porrigunt*, l. *corrigunt*. p. 192. col. 1. lin. 21. *interpretandum*, l. *interpellandum*. p. 201. c. 2. lin. vlt. *ſolum*, l. *ſolet*. p. 202. c. 2. lin. 54. *augusta*, l. *anguſta*. p. 217. c. 2. l. 6. *eis*, l. *eius*. p. 240. c. 1. lin. penult. *populi*. l. *populo*. p. 249. c. 1. lin. penult. *interiori*, l. *interiori*.

Digitized by Google

5-3-2